M. T. CICERONIS

OPERA OMNIA

TOM. IV.

M. TVLLII
CICERONIS
OPERA

EX RECENSIONE

CHRIST. GODOFR. SCHÜTZII

ADDITIS COMMENTARIIS

TOMVS QVARTVS

AVGVSTAE TAVRINORVM

EX TYPIS IOSEPHI POMBA

ANNO MDCCCXXVI.

M. TVLLII CICERONIS

ORATIONES

TOM. I.

ORATIO

PRO

P. QVINTIO

SVMMARIVM

C. Quintius (s. Quinctius) homo de plebe romana, cui in Gallia erat pecuaria res ampla, et rustica bene culta et fructuosa, cum Sex. Naevio praecone (quod genus hominum in auctionibus, quae saepe in atriis Liciniis fiebant (c. 3), magna voce pretia rerum a licitantibus oblata pronuntiare solebat) societatem fecit earum rerum, quae in Gallia comparabantur. Quae societas quum annos iam complures esset, et quum saepe Quintio Naevius, quem in Galliam arcessiverat, suspectus fuisset, neque commode posset rationem reddere, moritur in Gallia Quintius, quum Naevius adesset, et moritur repentino. Heredem testamento reliquit fratrem P. Quintium. Is nec ita multo post (A. V. C. 669) in Galliam proficiscitur; ibi annum fere cum Naevio familiariter vivit, et quum de societate multa inter se communicarent, nunquam tamen Naevius monuit, aut societatem sibi quidquam debere, aut privatim C. Quintium debuisse. Erat ab hoc aeris alieni aliquantulum relictum, quibus nominibus pecuniam Romae curari oportebat. Itaque P. Quintius auctionem Narbone (quae urbs caput erat Galliae Narbonensis) se facturum proscribit earum rerum, quae ipsius erant privatae. Sex. Naevius hominem deterret, ne auctionetur; Romae sibi numorum facultatem esse, quam ut communem existimet hortatur pro fraterna necessitudine (scil. societatis quae cum C. Quintio fuerat) et pro ipsius affinitate. Nam C. Quintii consobrinam habebat in matrimonio Naevius, et ex ea liberos. Itaque una ex Gallia Romam decedunt. Quintius auxilio Naevii fretus, P. Scapulae (gentilis ut videtur sui, nam Scapulae sunt

e Quintiis), cui frater pecuniam debuerat, liberis certo die se soluturum promisit. Naevium certiorem facit, rogat ut sibi curet, quod dixisset. Tum ille assem se negat daturum, nisi prius de rebus rationibusque societatis omnibus decidisset. Destitutione illa perculsus Quintius a Scapulis paucos dies aufert (h. e. aliquot dierum dilationem impetrat): in Galliam mittit, ut ea, quae proscripserat, venirent, Scapulis difficiliore conditione (h. e. non sine aliqua pecuniae iactura, ut qui absens et iniquiore tempore res in Gallia vendere coactus esset) dissolvit. Tunc ultro Naevium appellat, ut si quid esset controversiae, per arbitros transigeretur. Dat iste amicum Trebellium; Quintius communem necessarium, suumque propinquum Sex. Alphenum. Sed quum res per arbitros propter Naevii avaritiam convenire non posset, res esse in vadimonium coepit; h. e. alter alterum in ius vocavit; mutuoque certo die in iure se praesto futuros promiserunt. Vadimoniis autem, i. e. diebus, quibus praesentiam in iure promiserant, saepe dilatis, tandem praesto est Naevius, ait se auctionatum esse in Gallia, curasse ne quid sibi societas deberet; seque iam neque vadari amplius Quintium, neque vadimonium promittere. Si quid agere secum velit Quintius, non recusare. Hic in praesentia hominem non vadatur; post XXX dies in Galliam proficiscitur. Roma egreditur a. d. IV. Kal. Febr. L. Cornelio Scipione et C. Iunio Narboue Coss. A. V. C. 670. L. Albius Sex. fil. (ex tribu) Quirina, una profectus est. Ad vada Volaterrana (haud procul a Volaterris, oppido Etruriae) occurrit iis L. Publicius, qui ex Gallia pueros venales Naevio adducebat. Is ut Romam venit, narrat Naevio, quo in loco viderit Quintium. Tum Naevius amicos et necessarios suos corrogat, ut ad tabulam Sextiam (unam ex tabulis argentariorum, quae in foro erant) sibi adsint hora secunda postridie. Naevius testificatur P. Quintium vadimonium non stitisse, et se stitisse, tabulae signis testium consignantur; disceditur. Postulat a Burrieno praetore Naevius, ut ex edicto bona eius possidere liceat. Nam qui vadimonium destituissent, in eorum bona creditores ex edicto praetoris mittebantur, eaque si per XXX dies possessa essent, illis addicebantur. Iussit igitur Naevius bona Quintii proscribi. Libellos (in triviis et compitis propositos, quibus auctionem futuram denuntiabat) Sex. Alphenus procurator Quintii deiicit, servulum unum, quem iste prehenderat, abducit, denuntiat aequum esse famae fortunisque P. Quintii consulere, et adventum eius exspectare; ceterum si quid agere velit, se

Quintii procuratorem eum iudicio defensurum. Interea dum haec Romae geruntur, Quintius in Gallia de saltu agroque communi a servis communibus. Naevii iussu, vi detruditur. Quintius hac iniuria accepta confugit ad C. Flaccum imperatorem, qui tum erat in provincia. Is rem vehementer vindicandam esse decernit. Alphenus interea Romae cum Naevio pugnat. Et hic quidem postulat, ut procurator iudicatum solvi satisdaret. Cogebantur autem satisdare, qui vadimonium deseruerant, si litem instaurare vellent, partim ne rursus impune fallerent, partim quia creditores suspicari poterant eos solvendo non esse, quum eorum bona ex edicto praetoris adversarii possiderent. Negat Alphenus aequum esse, procuratorem satisdare, quod reus satisdare non deberet, si ipse adesset, scil. quia nec vadimonium deseruerat, nec bona eius ex edicto a Naevio iure possideri poterant. Appellantur tribuni; petitur, ut adversus edictum Burrieni intercedant. Illi quidem intercedere nolunt; attamen M. Brutus intercessurum se dicit palam, nisi quid inter Alphenum et Naevium conveniret. Itaque sic disceditur, ut idib. Sept. P. Quintium sisti Sex. Alphenus promitteret. Venit Romam Quintius, vadimonium sistit. Naevius annum et sex menses nihil petit; quiescit; conditionibus Quintium, quoad potest, producit; a Cn. Dolabella denique praetore postulat, ut sibi Quintius iudicatum solvi satisdet ex formula, *quod ab eo petat, cuius ex edicto praetoris bona dies XXX possessa sint.* Non recusabat Quintius, quin ita satisdare iuberet, si bona possessa essent ex edicto. Praetor adversus aequitatem et morem iubet P. Quintium aut satisdare, aut sponsionem cum Sex. Naevio facere (i. e. certa pecunia, quae sacramentum vocabatur, vel deposita, vel promissa eum provocare, qua ratione ipse ut petitor priore loco causam dicere cogebatur) *ni bona suo ex edicto P. Burrieni praetoris dies XXX possessa non essent.* Recusabant qui aderant tum Quintio; demonstrabant, de re, h. e. de rebus societatis iudicium fieri oportere; ita in re dubia aut utrimque inter se, aut neutrum satisdare debere; clamabat porro Quintius sese iccirco nolle satisdare, ne videretur iudicasse bona sua ex edicto possessa esse, quod si concederet, vadimonium a se desertum fateretur, et bonam existimationem perderet. Sponsionem vero si istius modi faceret, se de capite suo, h. e. causa, in qua praeter fortunas fama sua et summa existimatio periclitaretur, priore loco dicturum: quae conditio sane erat iniqua, quum in causis capitis alias accusator priore

loco diceret, reus autem secundo loco se adversus eum defenderet. Dolabella praetor iuioriam facere fortissime perseverat; Quintium aut satisdare aut sponsionem iubet facere, et recusantes eius advocatos acerrime submoveri iubet. Quintius ex duabus illis conditionibus alteram elegit, ut sponsionem illam faceret; itaque C. Aquilium Gallum iudicem sumpsit, ex sponso egit. C. Aquilius tres Iurisconsultos M. Marcellum, P. Quintilium, L. Lucullum (s. ut Manutius mavult L. Lucilium) in consilium sibi advocavit. Quum igitur pro Quintio saepius iam M. Iunius dixisset, legatione autem impeditus esset, quo minus peroraret, Cicero rogatos a Quintii amicis, inprimis a Q. Roscio comoedo causam eius suscepit, habuitque hanc orationem in comitio (h. e. ea fori parte, in qua ius dicebatur) A. V. C. 672. XXVI annos natus.

In *exordio* Cicero fatetur se in hac causa partim eloquentiam Q. Hortensii, qui Naevium defendebat, vereri, partim ipsius Naevii gratiam (apud multos nobiles Sullanarum partium gratiosi) extimescere; rogatque C. Aquilium eosque, qui ei in consilio aderant, ut Quintii solitudini atque inopiae contra vim et gratiam adversarii succurrant; c. 1, 2.

Sequitur narratio rei gestae, cuius summam paullo ante dedimus; c. 3—8.

Tum accedit auctor ad partitionem, denuntiatque se ostensurum, primum, causam non fuisse cur Naevius a praetore postularet, ut bona P. Quintii possideret; deinde ex edicto eum illa bona possidere haud potuisse; denique non possedisse; c. 9, 10.

In confirmatione igitur primum docetur, causam non fuisse cur Naevius postularet, ut in bona Quintii immitteretur his argumentis, 1.° quia Sex. Naevio neque ex societatis ratione neque privatim quidquam debuerit Quintius, et 2 si maxime debuisset, iniquissimum fuisset statim postulare, ut ex edicto eius bona possidere liceret; c. 15—18.

Deinde ostenditur ex edicto praetoris bona P. Quintii possideri nullo modo potuisse; quod probatur ex ipsis edicti verbis c. 19—27. neque enim *latitasse* Quintium, neque *absentem iudicio non defensum* fuisse, quippe quum Alphenus eius procurator, libellos Naevii deiecerit, vadimonium promiserit, iudicium quin acciperet in ea ipsa verba, quae Naevius edebat, non recusarit; c. 19—21; neque dici posse Naevio parem certationem cum Alpheno non fuisse illo tempore Marianis partibus dominantibus. c. 22. Denique si Naevius ex edicto Quintii bona pos-

sedisset, quaerit cur bona non venierint; cur ceteri sponsores et creditores non convenerint. c. 23. Additur narratio, qua docetur, Naevium iam antequam postulasset, ut bona Quintii possideret, misisse, qui curarent, ut ille de suo fundo a sua familia vi deiiceretur; c. 24—26; quod ipsum eo improbius fuisse, quod in edicto praetoris vetitum esset, dominum invitum de praedio detrudi; c. 27.

Tertium erat, ut demonstraretur, Naevium bona Quintii ne possedisse quidem. Verum totus hic locus intercidit una cum initio conclusionis, in qua breviter dicta enumerantur, c. 28, 29, et iudices rogantur, ut quum veritas cum Quintio faciat, plus eius inopiam ad misericordiam, quam Naevii opes ad crudelitatem valere sinant, et ut quam existimationem, quam honestatem in iudicium attulerit, eam liceat ei secum ex hoc iudicio efferre. c. 30, 31.

I.

Quae res in civitate duae plurimum possunt, hae contra nos ambae faciunt in hoc tempore, summa gratia et eloquentia: quarum alteram, C. Aquili, vereor, alteram metuo. Eloquentia Q. Hortensii ne me in dicendo impediat, nonnihil commoveor: gratia Sex. Naevii ne P. Quintio noceat, id vero non mediocriter pertimesco. Neque haec tantopere queren-

Gratia) Ad hunc locum haec habet Hotomannus: *Gratia, copia est plurimorum amicorum, ut scribit Asconius.* Verum, quamvis hoc loco *gratia* sumatur pro πολυφιλία, tamen generatim atque universe considerata, est benevolentia, et favor modo unius hominis, modo plurium; cuius rei passim occurrunt exempla. Sic *gratiosus* dicitur aliquis promiscue apud unum et apud plures. Oliv.— Quum annotationes textui Ciceroniano *ad usum Delphini* subiunctae magna ex parte nullius nomen subscriptum prae se ferant, ac nihil de iisdem Olivetus in praefatione monuerit, facile mihi persuadeo, ab eodem esse concinnatas; proinde, quas in usum nostrum excerpsimus, litera O insignientur, ut a Schutzii notis dignoscantur. Typ. T.

Vereor) Eloquentiam vereor, gratiam metuo. *Vereor* minorem vim habet, quam *metuo.* Idem de Senect. cap. 11, *metuebant eum servi, verebantur liberi.* O.

In dicendo) *In* restituit Graev. quod habet lib. Vrsini, aliquot Pall. ed. Mediol. Vulgo abest.

Neque haec tantopere querendum videretur summa) Vulgo *neque hoc tu q. v. haec summa.* Secutus sum Er-

dum videretur summa in illis esse, si in nobis essent saltem mediocria. Verum ita se res habet, ut ego, qui neque usu satis, et ingenio parum possum, cum patrono disertissimo comparer: P. Quintius, cui tenues opes, nullae facultates, exiguae amicorum copiae sunt, cum adversario gratiosissimo contendat. Illud quoque nobis accedit incommodum, quod M. Iunius, qui hanc causam, Aquili, aliquoties apud te egit, homo et in aliis causis exercitatus, et in hac multum et saepe versatus, hoc tempore abest, nova legatione impeditus; et ad me ventum est, qui, ut summa haberem cetera, temporis quidem certe vix satis habui, ut rem tantam, tot controversiis implicatam, possem cognoscere. Ita, quod mihi consuevit in celeris causis esse adiumento, id quoque me in hac causa deficit.

nestii coniecturam, altero loco pronomen delendum esse censentis.

Comparer) i. q. *componar.*

Aliquoties) Hotomannus, *apparet*, inquit, *aliquoties ampliatam hanc causam fuisse.* Interpretationem hanc sumpsit a Manolio, ab eo deinde Freigius, postremo Graevius. Non facile probabitur ab eo, qui legat, ac serio perpendat Ciceronis verba c. 10: *Instat Hortensius, ut eas in consilium; a me postulat, ne dicendo tempus absumam: queritur, priore patrono causam defendente, nunquam perorari potuisse: non patiar istam manere suspicionem, nos rem iudicari nolle.* Ergo M. Ionius aliquoties causam egeral, et Cicero rursus agebat, quod nondum *perorari potuisset*, quod nondum Aquilius *isset in consilium*, quod *tempus dicendo esset absumptum*: itaque suspicio erat, Quintium, et Quintii patronos *rem iudicari nolle.* Hinc satis, opinor, manifeste constat, causam non fuisse *ampliatam.* Non enim poteral *ampliari*, nisi iudices ivissent in consilium, et rem iudicassent. Tunc enim per tabellas *N. L.* hoc est, *Non liquet*, pronuntiabatur, causam *amplius* esse cognoscendam. Hinc Sigonius de Iud. lib. 2, cap. 22: *Ampliatio ex incerta iudicum sententia nata est.* Ad haec Asconius lib. 1 in Verrem, cap. 9, de ampliatione: *Ea pars, interposita dilatione, dicebat, in cuius peroratione videbatur obscuritas.* Atqui ex loco Ciceronis allato haec causa, *priore patrono defendente, nunquam perorata est.* Igitur neque ampliata. O.

Id quoque me in hac causa deficit) Vulgo *id quoque in hac causa.* Pronomen *me* auctore Lambino inserui.

Quod minus ingenio possum) Rescripsi *quod minus* pro vulg. *quo minus.* Et sic iam olim viri quidam docti teste Lambino, corrigendum putarunt. *Quod minus ingenio possum*, est i. q. *propterea quod parum ingenio possum.*

Nam, quod minus ingenio possum, subsidio mihi diligentiam comparavi: quae quanta sit, nisi tempus et spatium datum sit, intelligi non potest. Quae quo plura sunt, C. Aquili, eo te et hos, qui tibi in consilio adsunt, meliori mente nostra verba audire oportebit, ut multis incommodis veritas debilitata tandem aequitate talium virorum recreetur. Quod si tu iudex nullo praesidio fuisse videbere, contra vim et gratiam, solitudini atque inopiae; si apud hoc consilium ex opibus, non ex veritate causa pendetur: profecto nihil est iam sanctum neque sincerum in civitate; nihil, quod humilitatem cuiusquam gravitas et virtus iudicis consoletur. Certe aut apud te et eos, qui tibi adsunt, veritas valebit: aut ex hoc loco repulsa vi et gratia, locum, ubi consistat, reperire non poterit.

II. Neque hoc eo dico, C. Aquili, quo mihi veniat in dubium tua fides et constantia; aut quo non in his, quos tibi advocasti, viris electissimis civitatis, spem summam habere P. Quintius debeat. Quid ergo est? Primum magnitudo periculi summo timore hominem afficit, quod uno iudicio de fortunis omnibus decernit; idque dum cogitat, non minus saepe ei venit in mentem potestatis, quam aequitatis tuae: propterea quod omnes, quorum in alterius manu vita posita est, saepius illud cogitant, quid possit is, cuius in ditione ac potestate sunt, quam, quid debeat fa-

Nullo praesidio fuisse) *Nullo* est pro *nulli* (quod ipsum Lambin. reposuit), ut Orat pro Murena c. 12, *nullo usui.*

Neque sincerum) Sic. Pal. 2, 3. Vulgo *atque.*

Vbi consistat) *ubi res consistat* octo codd. Pall. al. male. cf. extrema huius capitis verba.

Neque hoc eo dico) Sic MS. Falkenburg. Vulgo, *Non eo dico.* In MS. Vrsin. *nec eo dico.* Ern. coni. *Id non eo dico.*

Viris electissimis) *Lectissimis* coni. Lambin. Gulielmus vero *selectissimis.*

Hominem afficit) *conficit* Ox. Pal. 2, 3, minus apte.

cere. Deinde habet adversarium P. Quintius verbo Sex. Naevium, re vera, huiusce aetatis homines disertissimos, fortissimos, ornatissimos nostrae civitatis, qui communi studio, summis opibus Sex. Naevium defendunt; si id est defendere, cupiditati alterius obtemperare, quo is facilius, quem velit, iniquo iudicio opprimere possit. Nam quid hoc iniquius aut indignius, C. Aquilli, dici aut commemorari potest, quam me, qui caput alterius, famam fortunasque defendam, priore loco causam dicere? quum praesertim Q. Hortensius, qui hoc iudicio partes accusatoris obtinet, contra me sit dicturus; cui summam copiam facultatemque dicendi natura largita est. Ita fit, ut ego, qui tela depellere et vulneribus mederi debeam, tum id facere cogar, quum etiam telum adversarius nullum iecerit: illis autem id tempus impugnandi detur, quum et vitandi illorum impetus potestas adempta nobis erit; et, si qua in re, id quod parati sunt facere, venenatum aliquod telum iecerint, medicinae faciendae locus non erit. Id accidit praetoris iniquitate et iniuria: primum quod, contra omnium con-

Fortissimos) Hotom. corr. *florentissimos*. Ranconet. *potentissimos*. Recte vero Graev. defendit *fortissimos*, i. e. eos qui clientes suos magna constantia defendant.

Priore loco) Quia sponsionem facere coactus erat, priore loco dicere debebat, quasique actoris partes sustinere, quum revera defenderet. V. Argum. O.

Telum — iecerit) Ex antiqua lectione *legerit* Ruhnkenius ad Vellei. p. 337, colligit scripsisse Ciceronem *egerit*.

Id quod parati sunt facere) Vulgo additur *falsum crimen quasi*, scil. glossemate in textum translato. Summo iure hoc delevit Lambinus.

Praetoris) Cn. Cornelii Dolabellae, praetoris urbani, qui proposito annuo edicto, ius dicebat inter cives in privatis causis, id est iudicem, iurisque formulam dabat: ipse vero non iudicabat. Eodem modo praetor peregrinus ius dicebat inter cives et peregrinos, non iudicabat. Manut.

Iniquitate) Quam in ius dicente ponimus, quum varie et non aequabiliter omnibus ius dicit: sed aut gratia inflectitur, aut potentia infringitur, aut adulteratur pecunia. Iniquitati autem aequabilitas opponitur. Hotom.

suetudinem, iudicium prius de probro, quam de re, maluit fieri: deinde, quod ita constituit id ipsum iudicium, ut reus, antequam verbum accusatoris audisset, causam dicere cogeretur; quod eorum gratia et potentia factum est, qui, quasi sua res aut honos agatur, ita diligenter Sex. Naevii studio et cupiditati morem gerunt: et in eiusmodi rebus opes suas experiuntur, in quibus, quo plus propter virtutem nobilitatemque possunt, eo minus, quantum possint, debent ostendere. Quum tot tantisque difficultatibus affectus atque afflictus, in tuam, C. Aquilli, fidem, veritatem, misericordiam P. Quintius confugerit; quum adhuc ei, propter vim adversariorum, non ius par, non agendi potestas eadem, non magistratus aequus reperiri potuerit; quum ei, summam per iniuriam, omnia inimica atque infesta fuerint: te, C. Aquilli, vosque, qui in consilio adestis, orat atque obsecrat, ut multis iniuriis iactatam atque agitatam aequitatem in hoc tandem loco consistere et confirmari patiamini. Id quo facilius facere possitis, dabo operam, ut a principio, res quemadmodum gesta et contracta sit, cognoscatis.

III. C. Quintius fuit P. Quintii huius frater; sane ceterarum rerum paterfamilias et prudens et attentus, una in re paullo minus consideratus, qui societatem cum Sex. Naevio fecerit, viro bono, verumtamen non

De probro) i. e. de quaestione an desertum sit a Quintio vadimonium et bona ex praetoris edicto possessa, in quo est probrum s. levis quaedam infamia.

De probro) Vtrum vadimonium deseruerit Quintius, ideoque eius bona ex edicto possessa sint. O.

De re) De qua princeps erat controversia disceptanda iudicio *pro socio*. O.

Sane ceterarum rerum) Lambinus malebat *sane cetera paterfamilias*. Vulgatum tamen bene defendit Graevius. O.

Ceterarum rerum) Constructio graeca, in qua per ellipsim deest περὶ.

ita instituto, ut iura societatis et officia certi patrisfamilias nosse posset; non quo ei deesset ingenium; nam neque parum facetus scurra Sex Naevius, neque inhumanus praeco est unquam existimatus. Quid ergo est? Quum ei natura nihil melius quam vocem dedisset, pater nihil praeter libertatem reliquisset: vocem in quaestum contulit; libertate usus est, quo impunius dicax esset. Quare quod socium tibi eum velles adiungere, nihil erat, nisi ut in tua pecunia condisceret, qui pecuniae fructus esset. Tamen inductus consuetudine ac familiaritate Quintius fecit, ut dixi, societatem earum rerum, quae in Gallia comparabantur. Erat ei pecuaria res ampla, et rustica sane bene culta et fructuosa. Tollitur ab atriis Liciniis, atque a praeconum consessu in Galliam Naevius, et trans Alpes usque transfertur. Fit magna mutatio loci, non ingenii. Nam, qui ab adolescentulo quaestum sibi instituisset sine impendio; posteaquam nescio quid impendit et in commune contulit, mediocri quaestu contentus esse non poterat. Nec mirum, si is, qui vocem venalem habuerat, ea, quae voce quae-

Neque inhumanus) Memm. Lambin. malebant *inurbanus*. Sed *inhumanus* h. l. idem significat.

Inhumanus praeco) Nimis acerbus et molestus. Alii legunt *inurbanus*. Praecones porro auctionarios dicaces fuisse constat ex Apuleio lib. 8 Metamorph. et ex Cicerone pro Planc. cap. 14, tum ex eodem in Brut. cap. 46, ubi multa de facetiis Granii praeconis. O.

Tibi) De quocunque dixit, pro, quod cum sibi quisquam socium vellet adiungere. Man.

In tua pecunia) Quia quum Naevius nihil haberet, non poterat pecuniae fructum, nisi ex aliena pecunia cognoscere. *Pecunia* hic sumitur pro rebus omnibus, quae sunt in patrimonio. O.

Atriis Liciniis) Atriis auctionariis, ut ab eodem Cicerone dicuntur in prima contra Rullum, cap. 3. O.

Sine impendio) Quia vocis proprie loquendo nullum impendium est. Sed veretur Passeratius, ne quid lateat obscoenum. O.

Nec mirum) si, qui ex re minima et per se ipsa non venali fructum tulerat, is multo maiorem fructum ex pecunia, et rebus venalibus colligendum sibi putabat. O.

sierat, magno sibi quaestui fore putabat. Itaque hercule haud mediocriter de communi, quidquid poterat, ad se in privatam domum sevocabat. Qua in re ita diligens erat, quasi ii, qui magna fide societatem gererent, pro socio condemnari solerent. Verum his de rebus non necesse habeo dicere ea, quae me P. Quintius cupit commemorare: tametsi causa postulat, tamen, quia postulat, non flagitat, praeteribo.

IV. Quum annos iam complures societas esset, et quum saepe suspectus Quintio Naevius fuisset, neque ita commode posset rationem reddere earum rerum, quas libidine, non ratione gesserat; moritur in Gallia Quintius, quum adesset Naevius, et moritur repentino. Heredem testamento reliquit hunc P. Quintium: ut, ad quem summus moeror morte sua veniebat, ad eundem summus honos quoque perveniret. Quo mortuo, nec ita multo post in Galliam proficiscitur Quintius. Ibi cum isto Naevio familiariter vivit. Annum fere una sunt, quum et de societate inter se multa communicarent, et de tota illa ratione atque re Gallicana: neque interea verbum ullum interposuit Naevius, aut societatem sibi quidpiam debere, aut privatim

De communi — in privatam domum sevocabat) *commune* opponitur *privato*. Itaque Gronovius Obss. II, 19, censet Ciceronem scripsisse vel *in privatum d. e.* vel *de re communi — in privatam, domum sevocabat*. Domum vero Naevii *privatam* dici nihil attinebat.

Societatem gererent) Vulgo additur *arbitrium*. Hotom. coni. *arbitrio*. Budaeus *arbitrii*. Manul. *ad arbitrium*. Ranconet. *ad arbitrum*. Recte autem Graev. et Em. delendum censuerunt *arbitrium*.

Arbitrium pro socio) Sensus est, quasi qui fraudentur, non qui fraudent, condemnari soleant in iudicio quod dicitur *pro socio*. Fac. *Pro socio, damnari*, quum quis fraudis in socium convincitur. Ern.

Tametsi causa postulat) Hotom. coni. *nam etsi*.

Postulat, non flagitat) *Flagitare* significat rem sibi debitam vehementer poscere. Itaque maiorem vim habet, quam *postulare*. Facc.

Summus honos) Quia non utile solum, sed perhonorificum erat institui heredem. Facc.

Quintium debuisse. Quum aeris alieni aliquantulum esset relictum, quibus nominibus pecuniam Romae curari oporteret: auctionem in Gallia P. hic Quintius Narbone se facturum esse proscribit earum rerum, quae ipsius erant privatae. Ibi tum vir optimus, Sex. Naevius, hominem multis verbis deterret, ne auctionetur: eum non ita commode posse eo tempore, quae proscripsisset, vendere. Romae sibi nummorum facultatem esse, quam, si saperet, communem existimaret, pro fraterna illa necessitudine, et pro ipsius affinitate. Nam P. Quintii consobrinam habet in matrimonio Naevius, et ex ea liberos. Quia, quod virum bonum facere oportebat, id loquebatur Naevius; credidit Quintius, eum qui orationem bonorum imitaretur, facta quoque imitaturum. Auctionem velle facere desistit; Romam proficiscitur; decedit ex Gallia Romam simul Naevius. Quum pecuniam C. Quintius P. Scapulae debuisset, per te, C. Aquili, decidit P. Quintius, quod liberis eius dissolveret. Hoc eo per te agebatur, quod propter aerariam rationem non satis erat in tabulis inspexisse, quantum deberetur, nisi ad Castoris quaesisset, quantum solveretur. De-

Quibus nominibus pecuniam Romae curari) *Curare pecuniam*, curare ut pecunia detur et solvatur. *Nomen* autem dicitur, quidquid in accepti vel expensi tabulas refertur. Videtur autem in pactione cautum fuisse, ut ea pecunia Romae redderetur. Hot.

Proscribit) *Proscribere*, publice scriptum proponere, in primis de rebus venalibus.

Quae proscripsisset) *Quo proscripsisset* Ed. Ven.

Decidit) Transegit, pactus est, ut in re obscura.

Propter aerariam rationem) Propter varietatem pecuniae gallicae et romanae. O.

Nisi ad Castoris quaesisset) *ad Castoris templum* in foro, ubi stabant argentarii. Ibi igitur decidendum erat, pro summa gallicae pecuniae, quae Scapulis debebatur, quantum *ad denarium*, i. e. quantum romanae pecuniae solvendum esset. Recte autem *ad Castoris* legitur. In Mss. nonnullis est *ad Castoris templum*. In aliis edd. vett. et codd. *a quaestoribus*. — *Quaesisset*. Lamb. Hotom. *quaesisses*.

cidis statuisque tu, propter necessitudinem, quae tibi cum Scapulis est, quid iis ad denarium solveretur.

V. Haec omnia Quintius agebat, auctore et consuasore Naevio. Nec mirum, si eius utebatur consilio, cuius auxilium sibi paratum putabat. Non modo enim pollicitus erat in Gallia; sed Romae quotidie, simul annuisset, numeraturum se dicebat. Quintius porro istum posse facere videbat; debere intelligebat; mentiri, quia causa, cur mentiretur, non erat, non putabat. Quasi domi nummos haberet, ita constituit Scapulis se daturum. Naevium certiorem facit; rogat, ut curet quod dixisset. Tum iste vir optimus (vereor, ne se derideri putet, quod iterum iam dico *optimus*), qui hunc in summas angustias adductum putaret; ut eum suis conditionibus in ipso articulo temporis adstringeret, assem sese negat daturum, nisi prius de rebus rationibusque societatis omnibus decidisset, et scisset, sibi cum Quintio controversiae nihil futurum. Posterius, inquit, ista videbimus, Quintius: nunc hoc velim cures, si tibi videtur, quod dixisti. Negat se alia ratione facturum; quod promisisset, non plus sua referre, quam si, quum auctione venderet, domini iussu quippiam promisisset. Destitutione illa

Simul annuisset) Vulgo *simul atque sibi hic annuisset*. Verba *atque sibi hic* melius absunt ab uno cod. Palat. Lambinus e coniectura reposuit *innuisset*.

Negat se alia ratione facturum; quod promisisset non plus sua referre) Vulgo sic interpungitur: *negat se alia ratione facturum quod promisisset: non plus etc.* Melius autem *quod promisisset* cum sequentibus *non plus sua referre* coniungitur. Paulo post nonnulli verbum *venderet* cum *domini iussu* coniungunt; praestat autem illud seiungere, et *domini iussu* cum *promisisset* copulare.

Auctione venderet) Ita Pal. 6; probb. Hotom. Manut. Graev. Alii *auctionem vendere* probant, eodem modo dictum, quo *iudicium vincere*, *sectionem bonorum vendere*.

Auctione venderet) Hoc est praeconem ageret: praeco enim auctionarius promittit, dominus praestat. Ol.

perculsus Quintius a Scapulis paucos dies aufert; in Galliam mittit, ut ea, quae proscripserat, venirent; deteriore tempore absens auctionatur; Scapulis difficiliore conditione dissolvit. Tunc appellat ultro Naevium, ut, quoniam suspicaretur, aliqua de re fore controversiam, videret, ut quam primum, et quam minima cum molestia tota res transigeretur. Dat iste amicum M. Trebellium; nos communem necessarium, qui istius domi erat educatus, et quo utebatur iste plurimum, propinquum nostrum, Sex. Alphenum. Res convenire nullo modo poterat; propterea quod hic mediocrem iacturam facere cupiebat; iste mediocri praeda contentus non erat. Itaque ex eo tempore res esse in vadimonium coepit. Quum vadimonia saepe dilata essent, et quum aliquantum temporis in ea re esset consumptum, neque quidquam profectum esset: venit ad vadimonium Naevius.

VI. Obsecro te, C. Aquili, vosque, qui adestis in consilio, ut diligenter attendatis, ut singulare genus fraudis et novam rationem insidiarum cognoscere possitis. Ait, se auctionatum esse in Gallia: quod sibi videretur, se vendidisse; curasse, ne quid sibi societas deberet; se iam neque vadari amplius, neque vadimonium promittere. Si quid agere secum velit Quintius, non recusare. Hic, quum rem Gallicanam

Dat iste amicum) *Arbitrum* aliquot edd. vett.

Vadimonium) Est sponsio quaedam comparendi stato die (erat autem plerumque tertius) in iudicium vel per se, vel per procuratorem. Si quis vadimonium deseruisset, et infamia notabatur, et eius bona edicto praetoris ab adversario possidebantur. Hinc *vadari* est in iudicium vocare; et *vadimonium deserere* idem quod Ital. *cader in contumacia*: Gall. *ne point comparoître, faire défaut.* Adverte hic contra Manutii opinionem, rem esse in vadimonio consuevisse, quum ageretur apud iudices, non autem apud arbitros: *Ex eo tempore res esse in vadimonium coepit.* Hoc est, ex quo tempore per arbitros res transigi non potuit, ut paulo ante dixerat. Facc.

cuperet revisere, hominem in praesentia non vadatur. Ita sine vadimonio disceditur. Deinde Romae dies xxx fere Quintius commoratur. Cum ceteris, quae habebat, vadimonia differt, ut expeditus in Galliam proficisci posset. Proficiscitur. Roma egreditur ante diem IV Kalend. Februarii, Scipione et Norbano Coss. Quaeso, ut eum diem memoriae mandetis. L. Albius, Sex. filius, Quirina, vir bonus, et cum primis honestus, una profectus est. Quum venissent ad Vada Volaterrana quae nominantur, vident perfamiliarem Naevii, qui ex Gallia pueros venales isti adducebat, L. Publicium; qui, ut Romam venit, narrat Naevio, quo in loco viderit Quintium. Quod ubi ex Publicio cognovit, pueros circum amicos dimittit; ipse suos necessarios ab atriis Liciniis et a faucibus macelli corrogat, ut ad tabulam Sextiam sibi adsint hora secunda postridie. Veniunt frequentes. Testificatur iste, P. QVINTIVM NON STITISSE, ET SE STITISSE. Tabulae maximae signis hominum nobilium consignantur; disce-

Ante diem IV Kalend. Februarii) Hotom. et Lamb. edidere *II Kalend. Febr.* quia infra c. 18 Quintius dicitur profectus esse *prid. Kal. Febr.* Sed forma *II Kal.* pro *prid. Kal.* est inusitata. Et quum edd. vett. et codd. omnes hic habeant *a. d. IV Kalend. Febr.* infra potius videtur dies corrigendus. FAEC.

Quirina) Hoc est, ex tribu Quirina.

Vada Volaterrana) In agro Pisano, in ora maris Tyrrheni. FACC.

Pueros) Servos.

Quod ubi ex Publicio cognovit) Vulgo: *quod nisi ex Publicio narratum Naevio esset, non tam cito res in contentionem venisset*; ac codd. Pall. 1, 2, 3, habent, *quod ubi ex Publicio, pueros* etc. omissis intermediis. In MSS. Grut. *quod ubi ex Publicio agnovit.* Id Graevio placuit, modo pro *agnovit* substitueretur *cognovit.*

Vt ad tabulam Sextiam) *ab atriis Liciniis*, ubi auctiones fiebant, *et a faucibus macelli*, quod ab istis non procul aberat, corrogat praecones, aliosque necessarios, parum diversae farinae homines, ut ad tabernam argentarii, quae vocabatur *tabula Sextia*, sibi adsint.

Testificatur iste) ed. vett. et multi MSS. *testificantur isti.* Verum tamen est: *testificatur iste*, h. e. testibus adhibitis confirmat.

STITISSE) Vadimonium: quasi vero alter alterum vadatus esset. FACC.

Nobilium) Ironice ad imminuendam eorum auctoritatem. Non enim nobi-

ditur. Postulat a Burrieno praetore Naevius, ut ex edicto bona possidere liceat. Iussit bona proscribi eius, quicum familiaritas fuerat, societas erat, affinitas, liberis istius vivis, divelli nullo modo poterat. Qua ex re intelligi facile potuit, nullum esse officium tam sanctum atque solemne, quod non avaritia comminuere atque violare soleat. Etenim si veritate amicitia, fide societas, pietate propinquitas colitur: necesse est, iste, qui amicum, socium, affinem fama ac fortunis spoliare conatus est, vanum se et perfidiosum et impium esse fateatur. Libellos Sex. Alphenus, procurator P. Quintii, familiaris et propinquus Sex. Naevii, deiicit; servulum unum, quem iste prehenderat, abducit; denuntiat, sese procuratorem esse; istum aequum esse famae fortunisque P. Quintii consulere, et adventum eius exspectare. Quod si facere nolit, atque imbiberit eiusmodi rationibus illum ad suas conditiones perducere, sese nihil precari; et, si quid agere velit, iudicio defendere. Haec dum Romae geruntur, Quintius interea contra ius, consuetudinem, edicta praetorum, de saltu agroque communi a servis communibus vi detruditur.

VII. Existima, C. Aquili, modo et ratione omnia Romae Naevium fecisse, si hoc, quod per literas istius in Gallia gestum est, recte atque ordine factum videtur. Expulsus atque eiectus e praedio Quintius,

les, qui ab atriis Liciniis, qui a faucibus macelli, qui amici et necessarii Naevii abiecti praeconis. O.

Ex edicto) Quo bona eius qui vadimonium deseruisset, adversario addicebantur. O.

Libellos) Publice propositos, quibus bona Quintii proscriberentur. Publicis locis figebantur hi libelli, ut bonorum auctionem certo die futuram edicerent.

Atque imbiberit) In animum induxerit; sic Manutius et Lambinus. Alia lectio *atque inhibuerit*, in qua latere videtur *atque ei libuerit*. P. Sylvio placebat, quod in codd. nonnullis est, *inhiaverit*.

accepta insigni iniuria, confugit ad C. Flaccum imperatorem, qui tum erat in provincia; quem, ut ipsius dignitas poscit, honoris gratia nomino. Is eam rem quam vehementer vindicandam putarit, ex decretis eius poteritis cognoscere. Alphenus interea Romae cum isto gladiatore vetulo quotidie pugnabat. Vtebatur populo sane suo, propterea quod iste caput petere non desinebat. Iste postulabat, ut procurator iudicatum solvi satisdaret. Negat Alphenus, aequum esse, procuratorem satisdare, quod reus satisdare non deberet, si ipse adesset. Appellantur tribuni; a quibus quum esset certum auxilium petitum, ita tamen disceditur, ut idibus Septembribus P. Quintium sisti Sex. Alphenus promitteret.

VIII. Venit Romam Quintius; vadimonium sistit. Iste, homo acerrimus, bonorum possessor, expulsor, ereptor, annum et sex menses nihil petit; quiescit; conditionibus hunc, quoad potest, producit; a Cn. Dolabella denique praetore postulat, ut sibi Quintius iudicatum solvi satisdet, ex formula, QVOD AB EO PE-

Populo sane suo) Sibi favente, quasi in pugna gladiatoria. O.

Iste caput) Ernestius pronomen *iste* ante *caput* spurium esse iudicabat, quia haec ad Alphenum pertinere opinabatur. At Naevius dicitur *caput* i. e. existimationem et famam Quintii petiisse. Ergo hic servandum est *iste*: et si quid mutandum sit, potius ante *postulabat* delendum.

Caput petere) Hoc est, existimationem oppugnare. Ludit in allegoria gladiatoris. O.

Iste postulabat) Sic ed. pr. et codd. Pall. 4, 6, probantibus Lamb. Graev. Alii *postulat*.

Satisdaret) Satisdare, unde *satisdatio*, est sponsores locupletes dare. Hinc *satisdare iudicatum solvi*, est sponsores dare, qui periculo suo litis aestimationem solutum iri promittant. Cogebantur autem satisdare, qui vadimonium deseruerant, si vellent litem instaurare, tum ne rursus impune fallarent, tum etiam quia credebantur solvendo non esse, quod eorum bona praetoris edicto adversarii possiderent. De aliis satisdationum generibus, vide Sigonium lib. I. de Iud. OL.

Tribuni) Vt intercedant praetoris decreto.

QVOD AB EO PETAT, CVIVS, EX EDICTO) Ita rectius legitur, quam *QVONIAM EIVS*, ut est in nonnullis editionibus et manuscriptis.

TAT, CVIVS, EX EDICTO PRAETORIS, BONA DIES XXX POSSESSA SINT. Non recusabat Quintius, quin ita satisdare iuberetur, si bona possessa essent ex edicto. Decernit; quam aequum, nihil dico; unum hoc dico, novum; et hoc ipsum tacuisse mallem, quoniam utrumque quivis intelligere potuisset. Iubet P. Quintium aut satisdare aut sponsionem cum Sex. Naevio facere, NI BONA SVA EX EDICTO P. BVRRIENI PRAETORIS DIES XXX POSSESSA NON ESSENT. Recusabant, qui aderant tum Quintio. Demonstrabant, de re iudicium fieri oportere, ut aut uterque inter se, aut neuter satisdaret: non necesse esse famam alterius in iudicium venire. Clamabat porro ipse Quintius, sese idcirco nolle satisdare, ne videretur iudicasse, bona sua ex edicto possessa esse. Sponsionem porro si istiusmodi faceret, se (id quod nunc evenit) de capite suo priore loco causam esse dicturum. Dolabella (quemadmodum solent homines nobiles; seu recte, seu perperam facere coeperunt, ita in utroque excellunt, ut

Satisdare iuberetur) Sic est in MSS. Grut. Et vel absque libris sic legendum esse censuerunt Hotom. et Lamb. Vulg. *iuberet.*

Aut satisdare) in plerisque absunt. Addenda censuerunt Man. Hot Eadem in MSS. invenit Lamb.

Sponsionem) Ne calumniantes litigatores impune discederent, cogebantur certae pecuniae sponsione adversarios lacessere in ea verba, *ni res ita esset*, etc. Pecunia dicebatur sacramentum; quod victi pars olim ob aerarii inopiam in usum sacrificiorum insumeretur. Provocatio vero illa, et mutua promissio *sponsio* appellabatur. Qui sacramento provocabat, actor erat, et priore loco dicebat; qui vero ex provocatione contendebat, rei personam sustinebat. FACC.

NI BONA SVA — POSSESSA NON ESSENT) Vulgo: *si bona sua ex edicto possessa essent.* Nonnulli male *si bona sua — possessa non essent.* Vnice verum est *ni — non essent*; idque post Muretum probavit Lambin.

De re) Hoc est, de rebus societatis, non de deserto vadimonio.

Priore loco) Dolet igitur orator, Quintio impositam esse conditionem prorsus iniquam, ut quamvis reus esset, quippe de eius fortunis et fama agebatur, tamen priore loco diceret ex vi sponsionis, quam facere iussus erat. Moris enim fuit, quemadmodum hodie quoque moris est, ut actor priore loco diceret, reus posteriore. FACC.

In utroque excellunt) *Excedunt* lib. Vrsini.

nemo nostro loco natus assequi possit,) iniuriam facere fortissime perseverat; aut satisdare, aut sponsionem iubet facere; et interea recusantes nostros advocatos acerrime submoveri. Conturbatus sane discedit Quintius; neque mirum, cui haec optio tam misera tamque iniqua daretur, ut aut ipse se capitis damnaret, si satisdedisset, aut causam capitis, si sponsionem fecisset, priore loco diceret. Quum in altera re causae nihil esset, quin secus iudicaret ipse de se, quod iudicium gravissimum est: in altera spes esset ad talem tamen virum, iudicem, veniendi, unde eo plus opis auferret, quo minus attulisset gratiae: sponsionem facere maluit; fecit; te iudicem, C. Aquilí, sumpsit; ex sponso egit. In hoc summa iudicii causaque tota consistit.

IX. Iudicium esse, C. Aquilí, non de re pecuniaria, sed de fama fortunisque P. Quintii vides. Quum maiores ita constituerint, ut qui pro capite diceret, is posteriore loco diceret: nos, inaudita criminatione accusatorum, priore loco causam dicere intelligis. Eos porro, qui defendere consuerunt, vides accusare; et ea ingenia converti ad perniciem, quae antea versabantur in salute atque auxilio ferendo. Illud etiam restiterat, quod hesterno die fecerunt, ut te in ius adducerent, ut nobis tempus, quam diu diceremus, praestitueres: quam rem facile a praetore impetrassent, nisi tu, quod esset tuum ius et officium partesque,

Nostro loco) Cicero equestri loco natus erat.

Quum in altera re — iudicaret ipse de se) Si satisdedisset, inficiari non poterat, quin ipse de se minus recte iudicaret, se ipse capitis damnaret. F.

Ex sponso egit) Passerat. et Manut. malebat *ex sponsu*, ut est ap. Gell. IV, 4, Varr. lib. V, de L. L. P. Sylvio placebat *ex sponso agit.*

In ius adducerent) Pall. 2, 3, Edd. vett. *educerent*, quod placuit Gulielmio. *In ius adducere* est ad *praetoris tribunal.*

docuisses. Neque nobis adhuc, praeter te, quisquam fuit, ubi nostrum ius contra illos obtineremus: neque illis unquam satis fuit illud obtinere, quod probari omnibus posset. Ita sine iniuria potentiam levem atque inopem esse arbitrantur.

X. Verum quoniam tibi instat Hortensius, ut eas in consilium; a me postulat, ne dicendo tempus absumam; queritur, priore patrono causam defendente, nunquam perorari potuisse: non patiar, istam manere suspicionem, nos rem iudicari nolle; nec illud mihi arrogabo, me posse causam commodius demonstrare, quam antea demonstrata sit; neque tamen tam multa verba faciam; propterea quod et ab illo, qui ante dixit, informata iam causa est, et a me, qui neque excogitare, neque pronuntiare multa possum, brevitas postulatur, quae mihimet ipsi amicissima est. Faciam, quod te saepe animadverti facere, Hortensi; totam causae meae dictionem certas in partes dividam. (Tu id semper facis, quia semper potes. Ego in hac causa faciam, propterea quod in hac videor posse facere.)* Quod tibi natura dat, ut semper possis, id mihi causa concedit, ut hodie possim. Certos mihi fines terminosque constituam, extra quos egredi non possim, si maxime velim; ut et mihi sit propositum, de quo dicam, et Hortensius habeat exposita, ad quae respondeat, et tu, C. Aquili, iam ante animo prospicere possis, quibus de rebus audi-

Docuisses) Carpit inscitiam Dolabellae.

Levem) Inanem, nisi abutatur ad iniurias inferendas.

Eas in consilium) Sententiam feras.

Neque pronuntiare) Erat enim Cicero eo tempore magna corporis infirmitate, ut ipse ait in Brut. cap. 91.

Semper facis) Notat nimiam Hortensii in partiendo curam: de qua et Quintilianus, lib. 4 Instit. cap. 5.

* Uncis inclusa e paraphrasi sequentium verborum *quod tibi —— possim*, a grammatico adscripta in textum venisse videntur.

turus sis. Negamus, te bona P. Quintii, Sex. Naevi, possedisse ex edicto praetoris. In eo sponsio facta est. Ostendam primum, causam non fuisse, cur a praetore postulares, ut bona P. Quintii possideres; deinde ex edicto te possidere non potuisse; postremo, non possedisse. Quaeso, C. Aquili, vosque, qui estis in consilio, ut, quid pollicitus sim, diligenter memoriae mandetis. Etenim rem facilius totam accipietis, si haec memineritis; et me facile vestra existimatione revocabitis, si extra hos cancellos egredi conabor, quos mihi ipse circumdedi. Nego fuisse causam, cur postularet; nego ex edicto possidere potuisse; nego possedisse. Haec tria quum docuero, perorabo.

XI. Non fuit causa, cur postulares. Qui hoc intelligi potest? Quia Sex. Naevio, neque ex societatis ratione, neque privatim quidquam debuit Quintius. Quis huic rei testis est? Idem, qui acerrimus adversarius. In hac re te, te, inquam, testem, Naevi, citabo. Annum, et eo diutius, post mortem C. Quintii fuit in Gallia tecum simul Quintius. Doce, te petiisse ab eo istam, nescio quam, innumerabilem pecuniam; doce, aliquando mentionem fecisse; dixisse deberi: debuisse concedam. Moritur C. Quintius; qui tibi, ut ais, certis nominibus grandem pecuniam debuit. Heres eius P.

In eo sponsio facta est) Legendum putabat Lambin. *in ea verba sponsio facta est;* adiuvantibus aliquot codd. in quibus erat *in ea*.

Existimatione) Qua verebor, ne me tacite reprehendatis. O.

Sex. Naevio) *Assumptio*, quae confirmatur duplici coniectura, quarum prima nititur *adiunctis* personae, et temporis hoc modo:

Homo avarus, et crudelis non tacuisset per biennium, si quid ei quispiam debuisset;
Sed Naevius talis homo est, neque per biennium huiusce rei mentionem fecit;
Ergo nihil omnino Quintius Naevio debebat. FERR.

Annum, et eo) Huius *assumptionis* secunda pars, quod per biennium nihil petiit, quam infra etiam repetit. ID.

Fuit in Gallia) *In Galliam* S. Vict. et Pal. 2, 3, quod retinebat Gulielm.

Quintius in Galliam ad te ipsum venit in agrum communem; eo denique, ubi non modo res erat, sed ratio quoque omnis, et omnes literae. Quis tam dissolutus in re familiari fuisset, quis tam negligens, quis tam tui, Sexte, dissimilis, qui, quum res ab eo, quicum contraxisset, recessisset, et ad heredem pervenisset, non heredem, quum primum vidisset, certiorem faceret? appellaret? rationem afferret? si quid in controversiam veniret, aut intra parietes, aut summo iure experiretur? Itane? Quod viri optimi faciunt, ii qui suos propinquos ac necessarios caros et honestos esse atque haberi volunt; id Sex. Naevius non faceret, qui usque eo fervet ferturque avaritia, ut de suis commodis aliquam partem nolit amittere, ne quam partem huic propinquo suo ullius ornamenti relinquat? Et is pecuniam, si qua deberetur, non peteret, qui, quia, quod debitum nunquam est, id datum non est, non pecuniam modo, verum etiam hominis propinqui sanguinem vitamque eripere conatur?

XII. Huic tu molestus esse videlicet noluisti, quem nunc respirare libere non sinis? quem nunc interficere nefarie cupis, eum tu pudenter appellare nolebas? Ita credo; hominem propinquum, tui observantem, virum bonum, pudentem, maiorem natu, nolebas, aut non audebas appellare. Saepe, ut fit,

Quis tam) *Propositionis* approbatio *a comparatione minorum*; si enim dissolutus quilibet, et vir optimus id fecisset, multo magis Naevius, et avarus, et crudelis, si quid illi debitum fuisset. FERN.

Necessarios caros) Hotom. coni. *claros*. Idem antea legendum putabat: *quod iure optimo faciunt hi qui suos* etc.

Qui usque eo) *Assumptionis* secunda pars de avaritia et crudelitate Naevii, *ab effectis*, quam ironice, et ingeniose amplificat. FERN.

Ferturque avaritia) Pal. 5, 6, *et ferturque*; unde Grut. coni. *efferturque*. Fortasse *ferturque* e glossa accessit.

quum ipse te confirmasses, quum statuisses de pecunia mentionem facere, quum paratus meditatusque venisses, homo timidus, virginali verecundia, subito ipse te retinebas; excidebat repente oratio. Quum cuperes appellare, non audebas, ne invitus audiret. Id erat profecto. Credamus hoc, Sex. Naevium, cuius caput oppugnet, eius auribus pepercisse. Si debuisset, Sexte, petisses statim; si non statim, paulo quidem post; si non paulo, at aliquanto; sex quidem illis mensibus profecto; anno vertente sine controversia. Anno et sex mensibus vero, quum tibi quotidie potestas hominis fuisset admonendi, verbum nullum facis: biennio iam confecto fere appellas. Quis tam perditus ac profusus nepos, non adesa iam, sed abundanti etiam pecunia, sic dissolutus fuisset, ut fuit Sex. Naevius? Quum hominem nomino, satis mihi videor dicere. Debuit tibi C. Quintius. Nunquam petisti. Mortuus est ille; res ad heredem venit. Quum eum quotidie videres, post biennium denique appellas. Dubitabitur, utrum sit probabilius, Sex. Naevium statim, si quid deberetur, petiturum fuisse: an, ne appellaturum quidem biennio? Appellandi tempus non erat? At tecum plus annum vixit. In Gallia agi non potuit? At et in provincia ius dicebatur; et Romae iudicia fiebant. Restat, ut aut summa negligentia tibi obstiterit, aut unica liberalitas. Si negligentiam dices, mirabimur; si bonitatem, ridebimus. Neque praeterea quid possis dicere, invenio. Satis est argumenti, nihil esse debitum Naevio, quod tamdiu nihil petivit.

Plus annum vixit) Ita plerique codd. Pall. S. Vict. ed. Waldarf. Recepit Grut. Ern. Vulgo *anno plus.*

Aut unica liberalitas) Minime opus est, quod Facciolato in mentem venit legere, *aut summa bonitas.* Cicero variat orationem.

XIII. Quid si hoc ipsum, quod nunc facit, ostendo testimonio esse, nihil deberi? Quid enim nunc agit Sex. Naevius? Qua de re controversia est? Quod est hoc iudicium, in quo iam biennium versamur? Quid negotii geritur, in quo ille tot et tales viros defatigat? Pecuniam petit. Nunc denique? Verumtamen petat. Audiamus. De rationibus et controversiis societatis vult diiudicari. Sero: verum aliquando tamen: concedamus. "Non, inquit, id ago, C. Aquili, neque in eo nunc laboro. Pecunia mea tot annos utitur P. Quintius. Vtatur sane; non peto.„ Quid igitur pugnas? An, quod saepe multis in locis dixisti, ne in civitate sit? ne locum suum, quem adhuc honestissime defendit, obtineat? ne numeretur inter vivos? decernat de vita et ornamentis suis omnibus? apud iudicem causam priore loco dicat, et, eam quum orarit, tum denique vocem accusatoris audiat? Quid? hoc quo pertinet? Vt ocius ad tuum pervenias? At, si id velles, iampridem actum esse poterat. Vt honestiore iudicio conflictere? At sine summo scelere P. Quintium, propinquum tuum, iugulare non potes. Vt facilius iudicium sit? At neque C. Aquilius de capite alterius libenter iudicat, et Q. Hortensius contra caput non didicit dicere. Quid a nobis autem, C. Aquili, refertur? Pecuniam petit: negamus deberi. Iudicium fiat statim; non recusamus. Numquid praeterea? Si veretur, ut res, iudicio facto, parata sit: iudicatum solvi satis accipiat; quibus a me verbis

Non, inquit) *Assumptio*; nam vi, et gratia hoc iudicium ut fieret de Quintii fama Naevius curaverat, ne qua de re ipsa, et pecunia esset contentio. Ferr.

Et, eam quum orarit) Hotom. et Lambin. coni. *et eam quum perorarit.*

Numquid praeterea?) Nonnulli MSS. et edd. pr. *non quid*. Alii *ut quid*. Pal. 7, *numquid*. Gruter. coni. *ecquid*.

satis accipiet, iisdem ipse quod peto satisdet. Actum iam potest esse, C. Aquili. Iam tu potes discedere liberatus molestia, prope dicam, non minore, quam Quintius.

XIV. Quid agimus, Hortensi? quid de hac conditione dicimus? Possumus aliquando, depositis armis, sine periculo fortunarum, de re pecuniaria disceptare? Possumus ita rem nostram persequi, ut hominis propinqui caput incolume esse patiamur? Possumus petitoris personam capere, accusatoris deponere? « Immo, inquit, abs te satis accipiam: ego autem tibi non satisdabo ». Quis tandem nobis ista iura tam aequa describit? Quis hoc statuit, quod aequum sit in Quintium, id iniquum esse in Naevium? « Quintii bona, inquit, ex edicto praetoris possessa sunt ». Ergo, id ut confitear, postulas; ut, quod nunquam factum esse iudicio defendimus, id, proinde, quasi factum sit, nostro iudicio confirmemus. Inveniri ratio, C. Aquili, non potest, ut ad suum quisque quam primum sine cuiusquam dedecore, infamia, pernicieque perveniat? Profecto, si quid deberetur, peteret; non omnia iudicia fieri mallet, quam unum illud, unde haec omnia nascuntur. * Qui inter tot annos ne appellarit quidem Quintium, quum potestas esset agendi quotidie; qui, quo tempore primum

Iisdem ipse quod peto) P. Sylvius coni. *si quid peto.*

Satisdet) Non recusabat enim Quintius satisdare, sed satisdare solus; quasi vero bonorum suorum possessionem ipse amisisset, ut propterea iudicatum solvere non posset. O.

Proinde) alii *perinde.*

Nostro iudicio) Quia si Quintius satisdedisset solus, ipse se suo iudicio condemnasset. O.

Inveniri ratio) *Iniri* coni. Lambin.

* Scil. iudicium de re pecuniaria. Naevius potius id agebat, ut Quintium de fama periclitari, et pro socio condemnari vellet, quam ut simpliciter pecuniam, quam sibi a Quintio deberi dicebat, peteret.

Qui inter tot annos) Facciolat. coni. *inter duos annos*, vel *integro anno.* Sed correctione nihil opus esse monuit Gorenzius ad Cic. Acad. I, 7.

male agere coepit, in vadimoniis differendis tempus omne consumpserit; qui postea quam vadimonium quoque missum fecerit, hunc per insidias vi de agro communi deiecerit; qui, quum de re agendi, nullo recusante, potestas fuisset, sponsionem de probro facere maluerit; qui, quum revocetur ad id iudicium, unde haec nata sunt omnia, conditionem aequissimam repudiet; fateatur, se non pecuniam, sed vitam et sanguinem petere: is hoc palam dicit: «Mihi si quid deberetur, peterem, atque adeo iampridem abstulissem. Nihil hoc tanto negotio, nihil tam invidioso iudicio, nihil tam copiosa advocatione uterer, si petendum esset; extorquendum est invito atque ingratiis; quod non debet, eripiendum est; de fortunis omnibus P. Quintius deturbandus est; potentes, diserti, nobiles omnes advocandi sunt; adhibenda vis est veritati; minae iactentur; pericula intendantur; formidines opponantur, ut iis rebus aliquando victus et perterritus ipse cedat». Quae mehercule omnia, quum, qui contra pugnent, video, et quum illum consessum considero, adesse atque impendere videntur, neque vitari ullo modo posse. Quum autem ad te, C. Aquili, oculos animumque retuli; quo maiore conatu studioque aguntur, eo leviora infirmioraque existimo.

XV. Nihil igitur debuit, ut tu ipse praedicas. Quid si debuisset? continuone causa fuisset, cur a praetore posceres, ut bona possideres? Non opinor id quidem neque ius esse, neque cuiquam expedire.

Male agere) Petere, quod sibi non debebatur, et socium, ac propinquum suum vexare sine causa. Facc.

Qui postea quam) Sic cod. Ox. et Manutius ita legendum censebat, ne sententia solveretur. Vulgo *qui postea.*

Minae iactentur) *Minae iocentur* IV Pall. S. Vict. ed. Ven. 1480.

Praedicas) Non verbo, sed re. F.

Quid igitur demonstrat? Vadimonium sibi ait esse desertum. Antequam doceo, id factum non esse, libet mihi, C. Aquili, ex officii ratione atque ex omnium consuetudine, rem ipsam et factum simul Sex. Naevii considerare. Ad vadimonium non venerat, ut ais, is, quicum tibi affinitas, societas, omnes denique causae, et necessitudines veteres intercedebant. Illicone ad praetorem ire convenit? Continuone verum fuit postulare, ut ex edicto bona possidere liceret? Ad haec extrema et inimicissima iura tam cupide decurrebas, uti tibi nihil in posterum, quod gravius atque crudelius facere posses, reservares? Nam quid homini potest turpius, quid vero miserius aut acerbius usuvenire? Quod tantum evenire dedecus, quae tanta calamitas inveniri potest? Pecuniam si cuipiam fortuna ademit, aut si alicuius eripuit iniuria: tamen, dum existimatio est integra, facile consolatur honestas egestatem. At non nemo aut ignominia affectus, aut iudicio turpi convictus, bonis quidem suis utitur; alterius opes, id quod miserrimum est, non exspectat; hoc tamen in miseriis adiumento et solatio sublevatur. Cuius vero bona venierunt; cuius non modo illae amplissimae fortunae, sed etiam victus vestitusque necessarius sub praecone cum dedecore subiectus est: is non modo ex numero vivorum exturbatur, sed, si fieri potest, infra etiam mortuos amandatur. Etenim mors honesta saepe vitam quo-

Quid vero miserius) Manut., quem alii secuti sunt, dedit *quid viro*. At hic nulla erat ratio cur *hominem* a *viro* distingueret.

Pecuniam) Adverte tria membra. Qui solam pecuniam amittit, consolatur se fama sua: qui amittit solam famam, consolatur se sua pecunia: qui vero utrumque amittit, miserrimus est omnium etiam mortuorum. Talis porro est Quintius, si eius bona veneant sub hasta, ob desertum vadimonium. FACC.

Etenim mors honesta — — locum relinquit) Vulgo sic edebatur: *Etenim mors honesta saepe vitam quoque tur-*

que miseram exornat: vita turpis et misera ne morti quidem honestae locum relinquit. Ergo hercule, cuius bona ex edicto possidentur, huius omnis fama et existimatio cum bonis simul possidetur; de quo libelli in celeberrimis locis proponuntur, huic ne perire quidem tacite obscureque conceditur; cui magistri fiunt, et domini constituuntur, qui qua lege et qua conditione pereat, pronuntient; de quo homine praeconis vox praedicat, et pretium conficit; huic acerbissimum vivo videntique funus ducitur, si funus

pem exornat: vita turpis ne morti quidem honestae locum relinquit. In quo prima iam sententia iure viros doctos offendit. Quid enim? An *mors honesta vitam turpem* potest exornare? Satis profecto sit, si vitae turpiter actae memoriam obliteret. Itaque negat Ernestius vocabulum *exornare* premendum esse, q. d. *si quis honeste*, ut pro patria pugnans, moritur, obliteratur memoria vitae superioris honestate mortis. Sed *exornare* nunquam potest significare idem quod *obscurare*, *obliterare*. Semper significat rei decus aut ornamentum addere. Atque ut illud mittamus, tamen si legatur *mors honesta saepe vitam quoque turpem exornat*, ferri id quod sequitur haud potest: *vita turpis ne morti quidem honestae locum relinquit*. Si enim *mors honesta saepe vitam turpem* exornat, necessario sequitur saepe quoque vitam turpem honestae morti locum relinquere. Itaque Hotomannus reponendum censebat: *Vita haec turpis ne morti quidem honestae locum relinquit.* Facciolatus autem: *Vita ita turpis ne —*. Verum haec medela levior est quam ut ad locum hunc persanandum sufficiat. Cicero enim in Quintii periculo *turpitudinem a miseria*, *dedecus a calamitate* distinxerat, affirmaveratque, si bona eius ex edicto praetoris venderentur, id aeque turpe et probrosum, ac miserum et calamitosum fore. Tum illud adiunxerat, facilius esse ferendum, si quis vel pecuniam existimatione integra, vel famam salvis opibus perdiderit; utriusque autem et rei familiaris et famae iacturam prorsus intolerabilem esse. Quare sic rescribendum esse nobis persuasimus: *Etenim mors honesta saepe vitam quoque miseram exornat; vita turpis et misera ne morti quidem honestae locum relinquit.* Prioris commutatis veritatem confirmat id quod Cicero solea dixerat: *dum existimatio est integra, facile consolatur honestas egestatem;* alterum vero, ita ut diximus scribendum esse, non solum tota conclusionis vis, verum etiam consequentis orationis perpetuitas demonstrat.

Huic ne perire quidem) Vulgo additur *certe* quod melius abest in codd. Pall. e quibus secundus et tertius totum illud *huic ne — — conceditur* omittunt.

Magistri) Magister, in auctione is dicitur, qui bonis alicuius vendendis praeest. Est autem fere unus ex creditoribus. Vide Ep. I ad Att. lib. I. Facc.

id habendum sit, quo non amici conveniunt ad exsequias cohonestandas, sed bonorum emptores, ut carnifices, ad reliquias vitae lacerandas et distrahendas.

XVI. Itaque maiores nostri raro id accidere voluerunt; praetores, ut considerate fieret, comparaverunt. Viri boni, quum palam fraudantur, quum experiundi potestas non est, timide tamen et pedetentim istuc descendunt, vi ac necessitate coacti, inviti, multis vadimoniis desertis, saepe illusi ac destituti. Considerant enim, quid et quantum sit, alterius bona proscribere. Iugulare civem ne iure quidem quisquam bonus vult; mavult enim commemorare, se, quum posset perdere, pepercisse, quam, quum parcere potuerit, perdidisse. Haec in homines alienissimos, denique inimicissimos viri boni faciunt, et hominum existimationis, et communis humanitatis causa: ut, quum ipsi nihil alteri scientes incommodarint, nihil ipsis iure incommodi cadere possit. Ad vadimonium non venit. Quis? Propinquus. Si res ista gravissima sua sponte videretur, tamen eius atrocitas necessitudinis nomine levaretur. Ad vadimonium non venit. Quis? Socius. Etiam gravius aliquid ei deberes concedere, quicum te aut voluntas congregasset, aut fortuna coniunxisset. Ad vadimonium non venit. Quis? Is, qui tibi praesto semper fuit. Ergo in eum, qui semel hoc commisit, ut tibi praesto non esset, omnia tela coniecisti, quae parata sunt in eos, qui permulta male agendi causa fraudandique fecerunt? Si dupon-

Nihil ipsis iure) *Nihil in se iure* MS. Dresd.

Si dupondius tuus ageretur) Ita MSS. Gruteri omnes praeter Pal. 7, recte. Intelligitur dupondius qui Naevio provenire solebat ex praeconio. In Pal. 7 erat *si de praediis tuis ageretur*. Sic Ald. alii. Lectionem *si dupondius tuus* confirmat Iul. Rufinianus de figg. p. 203, ed. Ruhnk.

dius tuus ageretur, Sex. Naevi, si in parvula re captionis aliquid vererere, non statim ad C. Aquilium, aut ad eorum aliquem, qui consuluntur, cucurrisses? Quum ius amicitiae, societatis, affinitatis ageretur; quum officii rationem atque existimationis duci conveniret: eo tempore tu non modo ad C. Aquilium, aut L. Lucullum, sed ne ipsum quidem ad te retulisti, ne haec quidem tecum locutus es: « Horae duae fuerunt; Quintius ad vadimonium non venit: quid ago? » Si mehercule haec tecum duo verba fecisses, *Quid ago?* respirasset cupiditas atque avaritia paululum; aliquid loci rationi et consilio dedisses; tu te collegisses; non in eam turpitudinem venisses, ut hoc tibi esset apud tales viros confitendum, qua tibi vadimonium non sit obitum, eadem te hora consilium cepisse, hominis propinqui fortunas funditus evertere.

XVII. Ego pro te nunc hos consulo, post tempus et in aliena re, quoniam tu in tua re, quum tempus erat, consulere oblitus es. Quaero abs te, C. Aquili, L. Lucullo, P. Quintili, M. Marcelle: vadimonium mihi non obiit quidam socius et affinis meus, quicum mihi necessitudo vetus, controversia de re pecuniaria recens intercedit. Postulone a praetore, ut eius bona mihi possidere liceat? An, quum Romae domus eius,

Non statim) Rofinian. habet *statim* sine *non*. Vulgata Naevii ingenio aptior.

Cucurrisses?) Sic Rufinian. et Edd. nonnulli. Melius, quam vulg. *concurrisses*, etsi Graev. defendit.

Aut L. Lucullum) Vulgo olim addebatur *sed ne ipse quidem te consuluisti*, in quo est interpretatio sequentium. Delendum hoc esse vidit Grut. idemque Francii cod. 1 seculus omisit Graevius. Pro *L. Lucullum* Manut. coni. *L. Lucilium*.

Sed ne ipsum quidem) Sic correxit Ern. Vulg. *ne ipse quidem*.

Horae duae fuerunt) H. e. horae duae praeterierunt, intra quas Quintius vadimonium obire debebat.

Hos consulo — quoniam tu in re tua) Sic Rufinian. l. l. p. 204, probante Ruhnkenio. Recepit Beck. Lambin. *hos consulo — quos*. Ernest. cum aliis *hoc consulo — quod*; etsi probat Lambini lectionem.

uxor, liberi sint, domum potius denuntiem? Quid est, quod hac tandem de re vobis possit videri? Profecto si recte vestram bonitatem atque prudentiam cognovi, non multum me fallit, si consulamini, quid sitis responsuri: primum exspectare; deinde, si latitare ac diutius ludificare videatur, amicos convenire; quaerere, quis procurator sit; domum denuntiare. Dici vix potest, quam multa sint, quae respondeatis ante fieri oportere, quam ad hanc rationem extremam necesse sit devenire.

XVIII. Quid ad haec Naevius? Ridet scilicet nostram amentiam, qui in vita sua rationem summi officii desideremus, et institutà bonorum virorum requiramus. « Quid mihi, inquit, cum ista summa sanctimonia ac diligentia? Viderint, inquit, ista officia viri boni; de me autem non, quid habeam, sed quibus rebus invenerim, quaerant; et quemadmodum natus, et quo pacto educatus sim, meminerint. Vetus est, *De scurra multo facilius divitem, quam patrem familias fieri posse* ». Haec ille, si verbis non audet, re quidem vera palam loquitur. Etenim si vult virorum bonorum instituto vivere, multa oportet discat atque

Primum exspectare) Fartasse leg. *opartere primum exspectare.*

Quis procurator sit) Vrsin. cooi. *ecquis.*

Necesse sit devenire) Ita recepi ex Ernestii coniectura. Vulgo *extremam necessariam devenire.* Hotom. *ext. nec necessariam.* Lamb. *extremam ac necessariam.* Beckio, *necessariam* glossema videtur.

Cum ista summa sanctimonia ac diligentia) Ed. Ven. *cum ista sanctimonia ac summa diligentia*, quod probat Garatan.

De me autem) Vulgo additur *ita considerent* recte omissum in lib. Vrsini.

Meminerint) Sic lib. Vrsini. Vulgo *memini.*

De scurra — fieri posse) Hunc locum sic descripsit Aquila Romanus de figg. p. 146, ed. Ruhnk. *Quid Sex. Naevius? Ridet nostram amentiam scilicet, quom ab ea officia boni viri desideremus. Et quemadmodum natus, inquit, et quemadmodum educatus sum, memini. Vetus est de scurra, divitem facilius, quam patremfamilias fieri posse.*

dediscat: quorum illi aetati utrumque difficile est. «Non dubitavi, inquit, quum vadimonium desertum esset, bona proscribere». Improbe; verum, quoniam tu id tibi arrogas, et concedi postulas, concedamus. Quid? si nunquam deseruit; si ista causa abs te tota per summam fraudem et malitiam ficta est; si vadimonium omnino tibi cum P. Quintio nullum fuit: quo te nomine appellemus? Improbum? At etiamsi desertum vadimonium esset, tamen in ista postulatione et proscriptione bonorum improbissimus reperiebare. Malitiosum? Negas. Fraudulentum? Iam id quidem arrogas tibi, et praeclarum putas. Audacem? cupidum? perfidiosum? Vulgaria et obsoleta sunt; res autem nova atque inaudita. Quid ergo est? Vereor mehercule, ne aut gravioribus utar verbis, quam natura fert, aut levioribus, quam causa postulat. Ais esse vadimonium desertum. Quaesivit a te statim, ut Romam rediit, Quintius, quo die vadimonium istud factum esse diceres. Respondisti statim: Nonis Febr. Discedens in memoriam rediit Quintius, quo die Roma in Galliam profectus sit. Ad ephemeridem revertitur. Invenitur dies profectionis, IV. Kal. Feb. Nonis Feb. si Romae fuit, causae nil dicimus, quin tibi vadimonium promiserit. Quid? hoc inveniri qui potest? Profectus est una L. Albius, homo cum primis

Causa) Praetextus.

Malitiosum) Edd. vett. *non malitiosum*. Alii *num malitiosum*. Recte Garatonus *malitiosum*, omissa utraque particula.

Negas) Lambinus edidit *non negas*, improbante Grutero. Et iam Iunt. habet *non negas*, quod Ernestius quoque verum putavit. At verba quae sequuntur: *Iam id quidem — putas*, satis docent, nomen *fraudulenti* primum esse, quod sibi non deprecetur Naevius. Fortasse tamen verius fuerit: *Malitiosum? fraudulentum? Iam id quidem etc.*

IV Kal. Feb.) Vulgo *prid. Kal. Feb.* Supra autem erat *IV Kal. Feb.* Beckius spurium existimat *prid. Kal. Febr.* Audirem, nisi ad causam pertinuisset, quo die profectus esset Quintius, in memoriam revocare.

honestus. Dicet testimonium. Prosecuti sunt familiares et Albium et Quintium. Dicent hi quoque testimonium. Literae P. Quintii, testes tot, quibus omnibus causa iustissima est, cur scire potuerint, nulla, cur mentiantur, cum adstipulatore tuo comparabuntur. Et in hac eiusmodi causa P. Quintius laborabit? et diutius in tanto metu miser periculoque versabitur? et vehementius eum gratia adversarii perterrebit, quam fides iudicis consolabitur? Vixit enim semper inculte, atque horride; natura tristi ac recondita fuit; non ad solarium, non in campo, non in conviviis versatus est; id egit, ut amicos observantia, rem parsimonia retineret; antiquam officii rationem dilexit, cuius splendor omnis his moribus obsolevit. At, si in causa pari discedere inferior videretur, tamen esset non mediocriter conquerendum; nunc, in causa superiore, ne ut par quidem sit, postulat, inferiorem esse se patitur, dumtaxat usque eo, ne cum bonis, fama, fortunisque omnibus Sex. Naevii cupiditati crudelitatique dedatur.

XIX. Docui, quod primum pollicitus sum, C. Aquili, causam omnino, cur postularet, non fuisse: quod neque pecunia debebatur, et, si maxime deberetur, commissum nihil erat, quare ad istam rationem perveniretur. Attende nunc, ex edicto praetoris bona P. Quintii possideri nullo modo potuisse.

Prosecuti sunt familiares et Albium, et Quintium) In codd. nonnullis est: *profecti sunt familiares et Albi et Quintii.*

Adstipulatore) Teste stipulationis, seu potius calumniae tuae. FACC.

Ad solarium) Horologium solare ad Rostra, ubi homines animi causa otiabantur. Varro de L. L. lib. 5, et Censorinus de die nat. cap. 19. FACC.

Campo) Martio, ubi ludi spectabantur.

Inferiorem esse se patitur) Olim edebatur *inferiorem esse patitur.* In lib. Fraucii *inferiorem se patitur.*

Commissum nihil erat) Vulgo *nihil esse.* Graev. e MS. Franc. *nihil esset.* Ernestius correxit *nihil erat.*

Bona P. Quintii possideri) Ita

Recita edictum. QVI FRAVDATIONIS CAVSA LATITARIT. Non est is Quintius; nisi si latitant, qui ad negotium suum, relicto procuratore, proficiscuntur. CVI HERES NON EXSTABIT. Ne is quidem. QVI EXSVLII CAVSA SOLVM VERTERIT, QVI ABSENS IVDICIO DEFENSVS NON FVERIT. Quo tempore existimas oportuisse, Naevi, absentem Quintium defendi, aut quomodo? Tum, quum postulabas, ut bona possideres? Nemo affuit. Neque enim quisquam divinare poterat, te postulaturum: neque quemquam attinebat id recusare, quod praetor non fieri, sed ex edicto suo fieri iubebat. Qui locus igitur absentis defendendi procuratori primus datus est? Quum proscribebas. Ergo affuit; non passus est; libellos deiecit Sex. Alphenus. Qui primus erat officii gradus, servatus est a procuratore summa cum diligentia. Videamus, quae deinde sint consecuta. Hominem P. Quintii deprehendis in publico; conaris abducere; non patitur Alphenus; vi tibi adimit; curat, ut domum reducatur ad Quintium. Hic quoque summe constat procuratoris diligentis officium. Debere tibi dicis Quintium; procurator negat. Vadari vis; promittit. In ius vocas; sequitur. Iudicium postulas; non recusat. Quid aliud sit absentem defendi, ego non intelligo.

XX. At quis erat procurator? Credo aliquem eie-

Graev. e MS. Franc. it. ed. Iunt. Pleraeque edd. *possidere.*

QVI ABSENS — FVERIT) Vulgo absunt haec verba, quae tamen abesse nullo modo possunt. Hotomannus testatur se in MS. invenisse: — *VERTERIT. Dici id non potest. QVI ABSENS IVDICIO DEFENSVS NON FVERIT. Ne id quidem.* Lambinus vero edidit: *Dici hoc de Quintio non potest. QVI ABSENS IVDICIO DEFENSVS NON FVERIT. Ne is quidem.*

Quod praetor non fieri) Ita plurimi MSS.; et recte hanc lectionem defendunt Gruterus, Cuiacius, Graevius; arridet etiam Facciolato, qui hanc interpretationem subdit: Nemo putavit recusandum quod Praetor fieri iubebat, non simpliciter, sed ex edicto suo, hoc est, ex verbis sui

ctum hominem, egentem, litigiosum, improbum, qui posset scurrae divitis quotidianum convicium sustinere. Nihil minus. Eques romanus locuples, sui negotii bene gerens; denique is, quem, quoties Naevius in Galliam profectus est, procuratorem Romae reliquit. Et audes, Sex. Naevi, negare, absentem defensum esse Quintium, quum eum defenderit idem, qui te solebat? et, quum is iudicium acceperit pro Quintio, cui tu et rem et famam tuam commendare proficiscens et concredere solebas: conaris hoc dicere, neminem exstitisse, qui Quintium iudicio defenderet? «Postulabam, inquit, ut satisdares». Iniuria postulabas. «Ita iubebare». Recusabat Alphenus. «Ita: verum praetor decernebat». Tribuni igitur appellabantur. «Hic te, inquit, teneo. Non est istud iudicium pati, neque iudicio defendere, quum auxilium a tribunis petas.». Hoc ego, quum attendo, qua prudentia sit Hortensius, dicturum esse eum non arbitror. Quum autem antea dixisse audio, et causam ipsam considero, quid aliud dicere possit, non reperio. Fatetur enim, libellos Alphenum deiecisse, vadimonium promisisse, iudicium quin acciperet in ea ipsa verba, quae Naevius edebat, non recusasse,

edicti, quibus certe Quintius non comprehenditur. Typ. T.

Vt satisdares) Edd. pr. pleraeque *satisdaretur*. Ed. Waldarf. *satisdarent*. Ed. Med. Ald. *satisdaret*. Lambin. et Ern. coni. *satisdaret*, quod sane optimum est.

Ita iubebare) Sic Hotom. Lambin. Multae edd. vett. *ita videbare*; quod Beckius tenuit, sed ita ut ad Ciceronis non ad Naevii verba referatur. Facc. coni. *ita videbat*. Verum est *iubebare*, scil. a praetore; idque secundis curis Beckius quoque probavit in Add. Vol. II, pag. 390.

Non est — defendere) *Iudicium* abest codd. Pall. S. Vict. in Pal. 2 est *istud pati iudicioque defendere*, Grut. coni. *non est istud pari iudicio defendere*.

Non recusasse, ita tamen) Hic exciderunt verba quaedam. Lacunam sic explet Lambinus: *quum satisdare a praetore iuberetur, recusasse*. Graevius ita: *At recusavit satisdare*. Nempe ut haec sint verba Naevii. Si sic scri-

ita tamen, more et instituto, per eum magistratum, qui auxilii causa constitutus est. Aut haec facta non sint necesse est; aut C. Aquilius, talis vir, iuratus, hoc ius in civitate constituat, cuius procurator non recusarit omnia iudicia, quae quisque in verba postularit; cuius procurator a praetore tribunos appellare ausus sit, eum non defendi; eius bona recte possideri posse; ei misero, absenti, ignaro fortunarum suarum, omnia vitae ornamenta per summum dedecus et ignominiam deripi convenire. Quod si probari nemini potest: illud certe probari omnibus necesse est, defensum esse iudicio absentem Quintium. Quod quum ita est, ex edicto bona possessa non sunt.

XXI. «At enim tribuni plebis ne audierunt quidem». Fateor, si ita est, procuratorem decreto praetoris oportuisse parere. Quid? si M. Brutus intercessurum se dixit palam, nisi quid inter ipsum Alphenum et Naevium conveniret, videturne intercessisse appellatio tribunorum, non morae, sed auxilii causa?

psit Cicero, ea quae deinceps sequuntur, sic legenda videntur: *Recusavit, attamen more etc.*

Omnia iudicia) Olim edebatur *cuius procurator non omnia iudicia acceperit*, sensu prorsus a sententia, quae requiritur, abhorrente. Itaque Hotom. et Lambin. legi voluerunt *cuius procurator omnia iudicia acceperit*. Et sic lib. Vrsini. Graev. e cod. Franc. 1: *cuius procurator non recusavit omnia iudicia*. Malim: *cuius pr. non recusarit iudicium*.

Non omnia i.) Etiam iniqua, quale erat, ut Alphenus nomine Quintii satisdaret. Nemo enim debet indefensus dici, quod iniqua iudicia non acceperit, et ideo tribunos appellarit. Facc.

Ignaro fortunarum suarum) Hotomannus ex libro vetustissimo attulit lectionem *ignaro, omnia fortunarum suarum*, quam et ipse probavit et recepit post Lambin. et Aldum Nepotem Ernestius. Etsi autem non concedimus Ernestio *fortunas* semper in bonam partem dici, tamen ne vulgata quidem *ignaro fortunarum suarum* satis placet. Aptius dixisset, ut opinor, *ignaro casus sui*, ut erat pro Rosc. Amer. c. 35, quem locum comparavit Gulielmus. Fortasse legendum *ignaro periculi fortunarum suarum*. Sic c. 14, *sine periculo fortunarum*.

Ignominiam deripi convenire) Sic recte Em. Vulgo *diripi*, quod cum dativo non construitur.

Non morae) *Non more* edd. vett. i.

Quid deinde fit? Alphenus, ut omnes intelligere possent, iudicio defendi Quintium, ne qua subesse posset aliena aut ipsius officio, aut huius existimatione suspicio, viros bonos complures advocat. Testatur, isto audiente, se pro communi necessitudine id primum petere, ne quid atrocius in P. Quintium absentem sine causa facere conetur; sin autem inimicissime atque infestissime contendere perseveret, se paratum esse omni recta atque honesta ratione defendere, quod petat, non deberi: se iudicium id, quod edat, accipere. Eius rei conditionisque tabellas obsignaverunt viri boni complures. Res in dubium venire non potest. Fit, rebus omnibus integris, neque proscriptis, neque possessis bonis, ut Alphenus promittat Naevio, sisti Quintium. Venit ad vadimonium Quintius. Iacet res in controversiis, isto calumniante biennium, usque dum inveniretur, qua ratione res ab usitata consuetudine recederet, et in hoc singulare iudicium causa omnis concluderetur.

XXII. Quod officium, C. Aquili, commemorari procuratoris potest, quod ab Alpheno praeteritum esse videatur? Quid affertur, quare P. Quintius absens negetur esse defensus? An vero id, quod Hortensium, quia nuper iniecit, et quia Naevius semper id clamitat, dicturum arbitror, non fuisse Naevio parem certationem cum Alpheno, illo tempore, illis

e. contra instituta tribunorum, quod luentur Hotom. et Ferrat. At *non morae* est in codd. Pall. Dresd. Sensus est: nonne apparet tribunos Quintii nomine ab Alpheno appellatos esse, non tantum, ut moram iniiceret, sed ut auxilium ab iis peteret, quod etiam impetravit.

Se iudicium id, quod edat, accipere) *Se iudicio id* edd. vett. Lambinus maluit *se iudicium in id quod edat*; ut c. 20 dicitur: *iudicium quin acciperet in ea ipsa verba, quae Naevius edebat, non recusasse.* Vulgata tamen eundem sensum praestat.

Calumniante) Ludificante, et trahente iudicium. FACC.

Absens negetur) Ita correxit Hot. Vulg. *negatur*.

Illis dominantibus) Nempe Mariquis

dominantibus? Quod si velim confiteri: illud, opinor, concedent, non procuratorem P. Quintii neminem fuisse, sed gratiosum fuisse. Mihi autem ad vincendum satis est, fuisse procuratorem, quicum experiri posset. Qualis is fuerit, si modo absentem defendebat per ius, et per magistratum, nihil ad rem arbitror pertinere. « Erat enim, inquit, illarum partium ». Quidni? Qui apud te esset educatus; quem tu a puero sic instituisses, ut nobili, ne gladiatori quidem, faveret. Sicut tu semper summe concupisti: idem volebat Alphenus. Ea re tibi cum eo par contentio erat. « Bruti, inquit, erat familiaris; itaque is intercedebat ». Tu contra Burrieni, qui iniuriam decernebat; omnium denique illorum, qui tum et poterant per vim et scelus plurimum, et, quod poterant, id audebant. An omnes tu istos vincere volebas, qui nunc, tu ut vincas, tantopere laborant? aude id dicere; non palam, sed his ipsis, quos advocasti. Tamenetsi nolo eam rem commemorando re-

partibus, a quibus stabat Alphenus. Cod. Dresd. *dominationibus*.

Qui apud te — faveret) Significat illo tempore Naevium adeo infensum fuisse *nobilitati*, i. e. Sullanis partibus, ut Alphenum quoque sic institueret, ut nemini nobilium faveret, ne *nobili* quidem gladiatori; in quo luditur in ambiguitate vocabuli *nobilis*. Hotom. aliique defendunt lectionem *cederet*. Grutero in mentem venit *parceret*. Cod. Franc. 1, *concederet*.

Quod poterant, id audebant) Non Sullani, aut nobiles hic notantur, ut Hotomannus putabat, sed Marianorum partium asseclae, A. V. 670 urbem obtinentes.

An omnes tu istos) Arguit eum perfidiae, quod tum esset Marianus, nec vellet Sullanos vincere, quibus se clam simulabat amicum, et ad quos postea victores aperte transiit. Facc.

Vincere volebas) Male Hotomannus legi volebat: *vincere nolebas*. Quaerit enim Cicero: An tu, Naevi, illo tempore, quum Marianis partibus favebas, id optabas, ut hi (Sullani) vincerent, qui nunc postquam ad partes nobilium transiisti, tantopere laborant, ut in hac controversia vincas?

Quos advocasti) *Qui tuae perfidiae* (inquiunt interpretes) *sunt conscii*. Imo vero, qui non sunt conscii, idemque tibi favent in hac causa. His tamen ipsis non audebis dicere, quia omnibus notum est, te secutum esse non causam, sed victoriam. Facc.

Eam rem commemorando) Scil. illa

novare, cuius omnino rei memoriam omnem tolli funditus ac deleri arbitror oportere. Vnum illud dico: si propter partium studium potens erat Alphenus: potentissimus Naevius; si fretus gratia postulabat aliquid iniquius Alphenus: multo iniquiora Naevius impetrabat. Neque enim inter studium vestrum quidquam, ut opinor, interfuit. Ingenio, venustate, artificio tu facile vicisti. Vt alia omittam, hoc satis est. Alphenus cum iis et propter eos periit, quos diligebat; tu, postquam, qui tibi erant amici, non poterant vincere, ut amici tibi essent, qui vincebant, effecisti. Quod si tum par tibi ius cum Alpheno fuisse non putas, quia tamen aliquem contra te advocare poterat; quia magistratus aliquis reperiebatur, apud quem Alpheni causa consisteret: quid hoc tempore Quintio statuendum est? cui neque magistratus adhuc aequus inventus est, neque iudicium redditum est usitatum; non conditio, non sponsio, non denique ulla unquam intercessit postulatio, mitto aequa, verum ante hoc tempus ne fando quidem audita. De re pecuniaria cupio contendere. « Non licet ». At ea con-

dissidia inter cives qui Marium, et eos qui Sullam sequerentur.

Neque enim — qui vincebant, effecisti) Hunc locum auctore Hotomanno Ernestius transposuit post verba *sed his ipsis quos advocasti*; idque imitati sunt editores Bipontini. Recta vero Beckius in suum locum restituit.

Inter studium vestrum) i. e. inter tuum et Alpheni studium partium nihil interfuit. Vtrique enim eratis Marianis partibus addicti.

Ingenio, venustate, artificio) Tu ingenio, facetiis et urbanitate, denique omni arte veteratoria facile vicisti, i. e. a Marianis partibus ad Sullanos transiisti, ita ut te in horum benivolentiam insinuares. Recte autem Turneb. Muret. Lallem. *venustate* legendum esse viderunt, pro vulg. *vetustate*, quod nihil est, etsi Hotom. id pro calliditate, s. arte veteratoria dictum esse putabat. *Venustas* autem Naevio tribuitur, quia *facetus* erat *scurra* c. 3, et quia *belle dicebat* c. 30. *Artificium* autem de eius astutia et fraudulentia intelligendum.

Quos diligebat) Propter Marianos periit, a Sulla proscriptus.

De re pecuniaria) Inducit Quintium et Naevium altercantes. FACC.

troversia est. «Nihil ad me attinet; causam capitis dicas, oportet ». Accusa, ubi ita necesse est. « Non, inquit, nisi tu ante, novo modo, priore loco dixeris. Dicendum necessario est; praestituendae horae ad arbitrium nostrum; iudex ipse arcebitur. Quid? Tum tu aliquem patronum invenies, hominem antiqui officii, qui splendorem nostrum, et gratiam negligat? Pro me pugnabit L. Philippus, eloquentia, gravitate, honore florentissimus civitatis; dicet Hortensius, excellens ingenio, nobilitate, existimatione; aderunt autem homines nobilissimi ac potentissimi, quorum frequentiam et consessum non modo P. Quintius, qui de capite decernit, sed quivis, qui extra periculum sit, perhorrescat ». Haec est iniqua certatio, non illa, qua tu contra Alphenum velitabaris. Huic, ne ubi consisteret quidem contra te, locum reliquisti. Quare aut doceas oportet, Alphenum negasse se procuratorem esse, non deiecisse libellos,

Novo modo) Hoc Ernestius pro glossemate habet; quia Naevius non dixerit, quod contra ipsum sit. At enim Cicero impudentiam Naevii designat. Ego vero haec verba transponenda esse opinor, et sic legenda: *Non, inquit, nisi tu ante, novo modo, dixeris. Dicendum de capite tuo priore loco; praestituendae etc.* Nam verba illa *dicendum necessario est* sic infinite posita nimium quantum frigent.

Iudex ipse arcebitur) i. e. coërcebitur, ut horas tibi ad arbitrium nostrum praestituat. Respicitur id quod supra c. 9 narraverat: *Illud etiam restiterat ut te* (iudicem Aquilium) *in ius adducerent, ut nobis tempus, quam diu diceremus, praestitueres.* Lectionem *arcebitur* habent duo MSS. Lamb. it. Franc. 1. et edd. vett. In aliis est *arcessitur*, vel *arcessetur*, quod Hotomanus sic explicat: *ad praetorem, ut tempus dicendi sibi praestituat.*

Quid? Tum tu) Sic in ed. vet. teste Garatono interpungitur: idque aptius vulgato *Quid tum? Tu etc.*

Certatio) Lamb. *certatio, qua huic, ne ubi consisteret quidem, locum reliquisti: non illa qua tu contra Alphenum velitabaris.* Facc.

Huic ne ubi c. locum rel.) Legendum suspicor: *Huic enim ne ubi —.*

Locum reliquisti) Allegoriam claudit. Tu dicis, tibi fuisse iniquam certationem, id est, tibi fuisse iniquum locum ad certandum; at huic reliquisti locum nullum: siquidem Quintius nullam conditionem aequam obtinere poterat. Facc.

iudicium accipere noluisse; aut, quum haec ita facta sint, ex edicto te bona P. Quintii non possedisse concedas.

XXIII. Etenim si ex edicto possedisti, quaero, cur bona non venierint; cur ceteri sponsores et creditores non convenerint? Nemone fuit, cui deberet Quintius? Fuerunt, et complures fuerunt; propterea quod C. frater aliquantum aeris alieni reliquerat. Quid ergo est? Homines erant ab hoc omnes alienissimi; et iis debebatur; neque tamen quisquam inventus est tam insignite improbus, qui violare P. Quintii existimationem absentis auderet. Vnus fuit, affinis, socius, necessarius, Sex. Naevius: qui quum ipse ultro deberet, quasi eximio praemio sceleris exposito, cupidissime contenderet, ut per se afflictum atque eversum propinquum suum, non modo honeste partis bonis, verum etiam communi luce privaret. Vbi erant ceteri creditores? Denique hoc tempore ubi sunt? Quis est, qui fraudationis causa latuisse dicat? Quis, qui absentem defensum neget esse Quintium? Nemo invenitur. At contra omnes, quibuscum ratio huic aut est, aut fuit, adsunt, defendunt; fidei huius multis locis cognitae ne perfidia Sex. Naevii derogetur, laborant. In huiusmodi sponsionem testes dare oportebat ex eo numero, qui haec dicerent: " vadi-

Cur ceteri sponsores) MSS. Vrsini *possessores*. At verum est *sponsores*, i. e. fideiussores, quibus spondentibus credita erat C. Quintio, P. fratri, pecunia.

Qui quum ipse ultro deberet) Hot. legendum putabat: *qui quum ipse ultro defendere deberet*. Lambin. *qui quum ipse ei ultro consulere deberet*. Vulgatum defendunt Gruter. et Graev. hoc sensu: *quum ipse Naevius insuper Quintio deberet*. Per se quidem nihil impedit, quo minus ista verba sic accipiantur. Mirum tamen Ciceronem nusquam alibi Naevio hoc obiicere, quod ipse Quintio debuerit.

Deberet) Quia multa abraserat ex bonis societatis, ut est c. 3. FACC.

Fidei huius multis locis cognitae — — derogetur) Ita correxi auctore Ernestio vulg. *fides huius multis locis cognita, ne etc.*

monium mihi deseruit; me fraudavit; a me nominis eius, quod infitiatus esset, diem petivit; ego experiri non potui: latitavit, procuratorem nullum reliquit.,, Horum nihil dicitur. Parantur testes, qui haec dicant. Verum, opinor, viderimus, quum dixerint. Vnum tamen hoc cogitent, ita se graves esse, ut si veritatem volent retinere, gravitatem possint obtinere: si eam neglexerint, ita leves sint, ut omnes intelligant, non ad obtinendum mendacium, sed ad verum probandum, auctoritatem adiuvare. Ergo haec duo quaero: primum, qua ratione Naevius susceptum negotium non transegerit: hoc est, cur bona, quae ex edicto possidebat, non vendiderit; deinde, cur ex tot creditoribus aliis ad istam rationem nemo accesserit; ut necessario confiteare, neque eorum tam temerarium quemquam fuisse, neque te ipsum id, quod turpissime suscepisses, perseverare et transigere potuisse. Quid si tu ipse, Sex. Naevi, statuisti, bona P. Quintii ex edicto possessa non esse? Opinor, tuum testimonium, quod in aliena re leve esset, id in tua, quoniam contra te est, gravissimum debet esse. Emisti bona Sex. Alpheni, L. Sulla dictatore vendente. Socium tibi in huius bonis edidisti Quintium. Plura non dico. Cum eo tu voluntariam societatem coibas, qui te in hereditaria societate fraudarat? et eum iudicio tuo comprobabas, quem spoliatum fama fortunisque omnibus arbitrabare?

XXIV. Diffidebam mehercule, C. Aquili, satis animo certo et confirmato me posse in hac causa consistere. Sic cogitabam: quum contra dicturus esset Horten-

Si eam neglexerint) Sic ed. 1480. Vulgo *negligent.*

Gravissimum debet esse) Pantagathus coni. *debere esse.*

Vendente) Vendidit Sulla bona Alpheni vel interempti, vel proscripti, quod esset Marianarum partium. F.

Edidisti) In libello emptionis.

sius, et quum esset attente auditurus Philippus, fore, uti permultis in rebus timore prolaberer. Dicebam huic Q. Roscio, cuius soror est cum P. Quintio, quum a me peteret, et summe contenderet, ut suum propinquum defenderem, mihi perdifficile esse contra tales oratores non modo tantam causam perorare, sed omnino verbum facere conari. Quum cupidius instaret, homini pro amicitia familiarius dixi, mihi videri ore durissimo esse, qui praesente eo gestum agere conaretur; qui vero cum ipso contenderent, eos, etiamsi quid antea recti aut venusti habere visi sint, id amittere; ne quid mihi eiusmodi accideret, quum contra talem artificem dicturus essem, me vereri. Tum mihi Roscius et alia multa confirmandi mei causa dixit: et mehercule, si nihil diceret, tacito ipso officio et studio, quod habebat erga propinquum suum, quemvis commoveret. Etenim, quum artifex eiusmodi sit, ut solus dignus videatur esse, qui in scena spectetur: tum vir eiusmodi est, ut solus dignus videatur, qui eo non accedat. "Verumtamen, quid si, inquit, habes eiusmodi causam, ut hoc tibi planum sit faciendum, neminem esse, qui possit biduo, aut summum triduo, septingenta millia passuum ambulare: tamenne vereris, ut possis haec contra Hortensium contendere?—Minime, inquam. Sed quid id ad rem?—" Nimirum, inquit, in eo causa consistit.,, Quomodo?—Docet me eiusmodi rem, et factum simul Sex. Naevii, quod, si solum proferretur, satis esse deberet. Quod abs te, C. Aquili, et a vobis, qui

Contra talem artificem) Hortensium scilicet.

Quod habebat erga propinquum suum) *Exhibebat* est in aliquot edd. vett. Manulius coni. *adhibebat.*

Qui eo non accedat) Quia histriones habiti sunt infames. L. quod sit 2, D. de his qui not. inf. Facc.

Nimirum, inquit) *Nimium* est in nonnullis codd. MSS. et edd. quod frustra defendit Hotomann.

adestis in consilio, quaeso, ut diligenter attendatis. Profecto intelligetis, illinc ab initio cupiditatem pugnasse et audaciam; hinc veritatem et pudorem, quoad potuerit, restitisse.

XXV. Bona postulas ut ex edicto possidere liceat. Quo die? Te ipsum, Naevi, volo audire; volo, inauditum facinus, ipsius, qui id commisit, voce convinci. Dic, Naevi, diem. "Ante V Kalend. intercalares.,, Bene agis. Quam longe est hinc in saltum vestrum Gallicanum? Naevi, te rogo. "DCC millia passuum.,, Optime. De saltu deiicitur Quintius. Quo die? Possumus hoc quoque ex te audire? Quid taces? Dic, inquam, diem. Pudet dicere; intelligo; verum et sero, et nequicquam pudet. Deiicitur de saltu, C. Aquili, pridie Kalend. intercalares. Biduo post, aut ut statim de iure aliquis cucurrerit, non toto triduo DCC millia passuum conficiuntur. O rem incredibilem! o cupiditatem inconsideratam! o nuntium volucrem! Administri et satellites Sex. Naevii Roma trans Alpes in Sepusianos biduo veniunt. O hominem fortunatum, qui eiusmodi nuntios, seu potius Pegasos habeat! Hic ego, si Crassi omnes cum Antoniis exsistant, si tu, L. Philippe, qui inter illos florebas, hanc causam voles cum Hortensio dicere, tamen superior sim necesse est. Non enim, quemadmodum putatis, omnia sunt in eloquentia. Est quaedam tamen ita perspicua veritas, ut eam infirmare nulla res possit. An antequam postulasti, ut bona possideres, misisti, qui curarent, ut dominus de suo fundo a sua familia vi de-

Illinc ab initio — — et audaciam) Ed. 1480, et aliquot codd. Oxx. *illum ab initio cupiditate pugnasse et audacia*. Minus bene.

De iure aliquis) A tribunali praetoris statim in Galliam cucurrerit. F.

In Sepusianos) Pleraeque edd. *Sebusianos*.

Vt eam infirmare nulla res possit) Videntur hic verba quaedam intercidisse, in hanc sententiam: *Vtrum igitur, Naevi, nuntius tuus biduo*

iiceretur? Vtrumlibet elige. Alterum incredibile est; alterum nefarium; et ante hoc tempus utrumque inauditum. Septingenta millia passuum vis esse decursa biduo? — Dic. — Negas? Ante igitur misisti. Malo, Si enim illud diceres, improbe mentiri viderere; quum hoc confiteris, id te admisisse concedis, quod ne mendacio quidem tegere possis.

XXVI. Hoc consilium Aquilio, et talibus viris, tam cupidum, tam audax, tam temerarium probabitur? Quid haec amentia, quid haec festinatio, quid haec immaturitas tanta significat? Non vim? non scelus? non latrocinium? non denique omnia potius, quam ius, quam officium, quam pudorem? Mittis iniussu praetoris. Quo consilio? Iussurum sciebas. Quid? quum iussisset, tum mittere nonne poteras? Postulaturus eras. Quando? Post dies xxx. Nempe si te nihil impediret; si voluntas eadem maneret; si valeres; denique si viveres. Praetor iussisset, opinor, si vellet, si valeret, si ius diceret, si nemo recusaret, quin ex ipsius decreto et satisdare et iudicium accipere vellet. Nam, per deos immortales, si Alphenus, procurator P. Quintii, tibi tum satisdare, et iudicium accipere, denique omnia, quae postulares, facere voluisset, quid ageres? Revocares eum, quem in Galliam miseras? At hic quidem iam de fundo expulsus, iam a suis diis penatibus praeceps eiectus, iam (quod indignissimum est) suorum servorum manibus, nuntio atque imperio tuo, violatus esset. Corrigeres haec

DCC millia passuum confecit? Certe hoc e superioribus hic intelligendum.

Malo) Malo respondeas, te ante edictum misisse, ut fatearis improbitatem eiusmodi, quae ne mendacio quidem tegi possit. Facc.

Praetor iussisset, opinor) Editio Olivetana, *Praetor iussisset. Opinor,* punctum pro commate exhibens. Typ. T.

Quin — — et satisdare et iudicium accipere vellet) *Quin* e coni. Lambini. Vulgo *qui*. — *Satisdare* e correctione Ernesti. Vulgo *satisdaret*.

scilicet tu postea. De cuiusquam vita dicere audes, qui hoc concedas necesse est, ita te caecum cupiditate et avaritia fuisse, ut quum, postea quid futurum esset, ignorares, accidere autem multa possent, spem maleficii praesentis in incerto reliqui temporis eventu collocares? Atque haec perinde loquor, quasi ipso illo tempore, quum te praetor iussisset ex edicto possidere, si in possessionem misisses, debueris aut potueris P. Quintium de possessione deturbare.

XXVII. Omnia sunt, C. Aquili, eiusmodi, quivis ut perspicere possit, in hac causa improbitatem et gratiam cum inopia et veritate contendere. Praetor te quemadmodum possidere iussit? Opinor ex edicto. Sponsio quae in verba facta est? NI EX EDICTO PRAETORIS BONA P. QVINTII POSSESSA NON SINT. Redeamus ad edictum. Id quemadmodum iubet possidere? Num quid est causae, C. Aquili, quin si longe aliter possedit, quam praetor edixit, iste ex edicto non possederit, ego sponsione vicerim? Nihil opinor. Cognoscamus edictum. QVI EX EDICTO MEO IN POSSESSIONEM VENERINT. De te loquitur, Naevi, quemadmodum tu putas; ais enim te ex edicto venisse. Tibi, quid facias, definit; te instituit, tibi praecepta dat. EOS ITA VIDETVR IN POSSESSIONE ESSE OPORTERE. Quomodo? QVOD IBIDEM RECTE CVSTODIRE POTERVNT, ID IBIDEM CVSTODIANT. QVOD NON POTERVNT, ID AVFERRE ET ABDVCERE LICEBIT. Quid tum? DOMINVM, inquit, INVITVM DETRVDERE NON PLACET. Eum ipsum, qui frau-

Si in possessionem misisses) i. e. si misisses homioes, qui tuo oomine bona Quintii ex edicto possiderent. Posuit enim Cicero, noo coocessit, Naevio licuisse statim, si, quum esset à praetore iussus ex edicto possidere, misisset homioes in possessionem, Quintium de possessiooe deturbare. Id vero longe secus esse iam cap. 27 demonstrat.

NI EX EDICTO) Ita Hotom. Vulg. *si ex edicto*.

dandi causa latitet; eum ipsum, quem iudicio nemo defendat; eum ipsum, qui cum omnibus creditoribus suis male agat, invitum de praedio detrudi vetat. Proficiscenti tibi in possessionem praetor ipse, Sex. Naevi, palam dicit: ita possideto, ut Quintio vis ne afferatur. Quid? tu id quemadmodum observas? Mitto illud dicere, eum, qui non latitavit, cui Romae domus, uxor, liberi, procurator esset; eum, qui tibi vadimonium non deseruisset; haec omnia mitto: illud dico, dominum expulsum esse de praedio; domino a familia sua manus allatas esse ante suos Lares familiares; hoc dico. (1)

* * * * * * * * * * *

XXVIII. * * Naevium ne appellasse quidem Quintium, quum simul esset, experiri posset quotidie: deinde quod omnia iudicia difficillima, cum summa sua invidia, maximoque periculo P. Quintii fieri mallet, quam illud pecuniarium iudicium, quod uno die transigi posset: ex quo uno haec omnia nata et profecta esse concedit. Quo in loco conditionem tuli, si vellet pecuniam petere, P. Quintium iudicatum solvi satisdaturum, dum ipse, si quid peteret, pari conditione uteretur.

XXIX. Ostendi, quam multa ante fieri convenerit, quam hominis propinqui bona possideri postularentur; praesertim quum Romae domus eius, uxor, liberi essent, et procurator aeque utriusque necessarius. Docui, quum desertum esse dicat vadimonium, omnino vadimonium nullum fuisse; quo die hunc

Quintio vis ne afferatur) Sic Hotomann. e MS. Antea *ius ne auferatur.*

(1) Desiderantur hic omnia, quae ad caput partitionis tertium pertinebant, in quo orator demonstrabat Naevium bona Quintii non possedisse; una cum principio epilogi.

Quo in loco conditionem tuli) Nempe cap. 13.

Omnino vadimonium nullum fuisse) Lamb. coni. *tum omnino.*

sibi promisisse dicat, eo die ne Romae quidem eum fuisse. Id testibus me pollicitus sum planum facturum, qui et scire deberent, et causam, cur mentirentur, non haberent. Ex edicto autem non potuisse bona possideri, demonstravi; quod neque fraudandi causa latitasset, neque exsilii causa solum vertisse diceretur. Reliquum est, ut eum nemo iudicio defenderit. Quod contra copiosissime defensum esse contendi, non ab homine alieno, neque ab aliquo calumniatore atque improbo, sed ab equite romano, propinquo et necessario suo, quem ipse Sex. Naevius procuratorem relinquere antea consuesset: neque eum, si tribunos appellarit, idcirco minus iudicium pati paratum fuisse: neque potentia procuratoris Naevio ius ereptum: contra istum potentia sua tum tantummodo superiorem fuisse, nunc nobis vix respirandi potestatem dare. Quaesivi, quae causa fuisset, cur bona non venissent, quum ex edicto possiderentur. Deinde illud quoque requisivi, qua ratione ex tot creditoribus nemo neque tum idem fecerit, neque nunc contra dicat, omnesque pro P. Quintio pugnent: praesertim quum in tali iudicio testimonia creditorum existimentur ad rem maxime pertinere. Postea sum usus adversarii testimonio, qui sibi eum nuper edidit socium, quem, quo modo nunc intendit, ne in virorum quidem numero tum demonstrat fuisse. Tum illam incredibilem celeritatem, seu potius audaciam, protuli: confirmavi necesse esse, aut biduo DCC millia passuum esse decursa, aut Sex. Naevium diebus compluribus ante in possessionem misisse, quam postularet, uti ei liceret

Fraudandi causa latitasset) Lamb. maluit *latitasse*.

Idcirco minus iudicium pati) Sic Franc. I, aliique codd. et recepit Hotomann. Vulgo *iudicio pati*.

Uti ei liceret) aliquot codd. *uti eius*.

bona possidere. Postea recitavi edictum, quod aperte dominum de praedio detrudi vetaret: in quo constitit, Naevium ex edicto non possedisse, quum confiteretur ex praedio vi detrusum esse Quintium. Omnino autem bona possessa non esse constitui; quod bonorum possessio spectetur non in aliqua parte, sed in universis, quae teneri ac possideri possint. Dixi, Romae domum fuisse, quo iste ne adspirarit quidem; servos complures, ex quibus iste possederit neminem, ne attigerit quidem; unum fuisse, quem attingere conatus sit; prohibitum fuisse, quievisse. In ipsa Gallia cognostis in praedia privata Quintii Sex. Naevium non venisse. Denique ex ipso saltu, quem, per vim expulso socio, possedit, servos privatos Quintii non omnes eiectos esse. Ex quo, et ex ceteris dictis, factis, cogitatisque Sex. Naevii quivis potest intelligere, istum nihil aliud egisse, neque nunc agere, nisi uti per vim, per iniuriam, per iniquitatem iudicii, totum agrum, qui communis est, suum facere possit.

XXX. Nunc causa perorata, res ipsa, et periculi magnitudo, C. Aquili, cogere videtur, ut te, atque eos, qui tibi in consilio sunt, obsecret obtesteturque P. Quintius per senectutem ac solitudinem suam, nihil aliud, nisi ut vestrae naturae bonitatique obsequamini; ut, quum veritas cum hoc faciat, plus huius inopia possit ad misericordiam, quam illius opes ad crudelitatem. Quo die ad te iudicem venimus,

Omnino autem bona possessa) Sic Hotomann. emendavit. Antea edebatur *omnia autem.*

Servos privatos Quintii non omnes eiectos esse) Hotomanno hic aliquid deesse videbatur, quod haec non cohaereant cum antecedentibus; eique assentitur Ern. Equidem nihil adnexum desidero. *Ex quo* enim universe dicitur pro *ex his rebus omnibus.*

Qui tibi in consilio sunt) Lambin. coni. *adsunt.* — Hanc coniecturam recepit Schutz Vir cl. supra cap. I in locutione simillima, invitis codicibus aliquot Pariss. et Oxonn. Typ. T.

eodem die illorum minas, quas ante horrebamus, negligere coepimus. Si causa cum causa contenderet, nos nostram perfacile cuivis probaturos statuebamus. Quod vitae ratio cum ratione vitae decerneret, idcirco nobis etiam magis te iudice opus esse arbitrati sumus. Ea res enim nunc in discrimine versatur, utrum possitne se contra luxuriam ac licentiam rusticana illa atque inculta parsimonia defendere; an deformata, atque ornamentis omnibus spoliata, nuda cupiditati petulantiaeque addicatur **. Non comparat se tecum gratia P. Quintius, Sex. Naevi; non opibus, non facultate contendit. Omnes tuas artes, quibus tu magnus es, tibi concedit. Fatetur, se non belle dicere, non ad volnntatem loqui posse; non ab afflicta amicitia transfugere, atque ad florentem aliam devolare; non profusis sumptibus vivere; non ornare magnifice splendideque convivium; non habere domum clausam pudori et sanctimoniae, patentem atque adeo expositam cupiditati et voluptatibus; contra, sibi officium, fidem, diligentiam, vitam omnino semper horridam atque aridam cordi fuisse. Ista superiora esse ac plurimum posse his moribus sentit. Quid ergo est? Non usque eo tamen, ut in capite fortunisque hominum honestissimorum dominentur ii, qui relicta bonorum virorum disciplina, et quaestum et sumptum Gallonii sequi maluerunt, atque etiam, quod in illo non fuit, cum audacia perfidiaque vixerunt. Si licet vivere

In discrimine versatur) Sic codd. Pall. praeter sextum, cum nonnullis aliis. Antea legebatur *in discrimen*.

Vtrum possitne) Ita plurimi codd. Pall. et alii, probante Garatono. Optime autem hunc usum particulae *ne* inter *utrum* et *an* nuper illustravit Gorenzius ad Cic. Acadd. II, c. 22, §. 75. Vulgo *utrumne possit*.

Nuda cupiditati petulantiaeque addicatur) Ad oram Pal. 4 Gruterus notatum reperit post *addicatur* duas voces deesse. In ceteris, praeter primum, vacuum spatium erat relictum trium quatuorve dictionum. Sextus ac septimus integra linea vacabat.

Non ad voluntatem) Frustra corrigit Lambin. *voluptatem*.

Gallonii) Fuit praeco, ut Naevius, sed in gulae vitia turpissime profusus: de quo lib. II, de Finib. c. 28, et Horat. Sat. II, 2, 47. Facc.

eum, quem Sex. Naevius non vult; si est homini honesto locus in civitate, invito Naevio; si fas est respirare P. Quintium, contra nutum ditionemque Naevii; si, quae pudore ornamenta sibi peperit, ea potest contra petulantiam, te defendente, obtinere: spes est, hunc miserum atque infelicem aliquando tamen posse consistere. Sin et poterit Naevius id, quod libet, et ei libebit, quod non licet: quid agendum est? qui deus appellandus est? cuius hominis fides imploranda est? qui denique questus, qui moeror dignus inveniri calamitate tanta potest?

XXXI. Miserum est exturbari fortunis omnibus; miserius est, iniuria. Acerbum est ab aliquo circumveniri; acerbius a propinquo. Calamitosum est bonis everti; calamitosius cum dedecore. Funestum est a forti atque honesto viro iugulari; funestius ab eo, cuius vox in praeconio quaestu prostitit. Indignum est a pari vinci aut superiore; indignius ab inferiore atque humiliore. Luctuosum est tradi alteri cum bonis; luctuosius inimico. Horribile est causam capitis dicere; horribilius priore loco dicere. Omnia circumspexit Quintius, omnia periclitatus est, C. Aquili; non praetorem modo, a quo ius impetraret, invenire potuit, atque adeo ne unde arbitratu quidem suo postularet: sed ne amicos quidem Sex. Naevii; quorum saepe et diu ad pedes iacuit stratus, obsecrans per deos immortales, ut aut secum iure contenderent, aut iniuriam sine ignominia sibi imponerent.

Aliquando tamen posse consistere) Sic ed. Gothofr. Plerique *aliquando tandem*. Aptius autem hic est *tamen*. Refertur enim ad ea, quae in Naevio superiora videri poterant.

Qui denique questus) Post *questus* in Pal. sec. nulla est lacuna. In ceteris occurrit vacuum quatuor, octo, decem verborum.

Qui moeror dignus — calamitate tanta) Sic Lambin. Vulgo *in calamitate*.

Quaestu) pro *quaestui* positum. E.

Invenire potuit) Vulgo *non potuit*. Negandi particulam hic superfluam recte delevit Beck. auctoritate codd. Pall. IV. Pariss. al.

Vnde arbitratu) Non invenit a quo peteret iudicii formulam ex sententia; coactus est enim contendere de pro-

Denique ipsius inimici vultum superbissimum subiit; ipsius Sex Naevii lacrymans manum prehendit, propinquorum bonis proscribendis exercitatam; obsecravit per fratris sui mortui cinerem, per nomen propinquitatis, per ipsius coniugem et liberos, quibus propior P. Quintio nemo est, ut aliquando aliquam, si non propinquitatis, at aetatis suae; si non hominis, at humanitatis rationem haberet; ut secum aliquid, integra sua fama, qualibet, dummodo tolerabili, conditione transigeret. Ab ipso repudiatus, ab amicis eius non sublevatus, ab omni magistratu agitatus atque perterritus, quem praeter te appellet, habet neminem; tibi se, tibi suas omnes opes fortunasque commendat; tibi committit existimationem ac spem reliquae vitae. Multis vexatus contumeliis, plurimis iactatus iniuriis, non turpis ad te, sed miser confugit. E fundo ornatissimo deiectus, ignominiis omnibus appetitus, quum illum in suis paternis bonis dominari videret, ipse filiae nubili dotem conficere non posset, nihil alienum tamen vita superiore commisit. Itaque te hoc obsecrat, C. Aquili, ut, quam honestatem in iudicium tuum, prope acta iam aetate decursaque, attulit, eam liceat ei secum ex hoc loco efferre: ne is, de cuius officio nemo unquam dubitavit, sexagesimo denique anno, dedecore, macula, turpissimaque ignominia notetur; ne ornamentis eius omnibus Sex. Naevius pro spoliis abutatur; ne per te fiat, quo minus, quae existimatio P. Quintium usque ad senectutem perduxit, eadem usque ad rogum prosequatur.

bro, quum ipse mallet de pecunia. F.

Vt aliquando aliquam — rationem haberet) Post *aliquando* vulgo inseritur *misericordiam caperet;* id Gruterus e glossa inculcatum vidit, consensus est Ernestius. Lambinus correxerat *misericordia caperetur.*

Ne per te fiat) Ita rescripsi e Passeratii et Ernestii coniectura. Vulgo *ferat* scil. *illud.*

ORATIO

PRO

SEX. ROSCIO AMERINO

ORATIO

PRO

SEX. ROSCIO AMERINO

SVMMARIVM

Sex. Roscius, pater eius, quem Cicero hac oratione defendit, municeps Amerinus fuit, quum genere et nobilitate et pecunia non modo sui municipii, verum etiam eius vicinitatis facile primus, tum gratia atque hospitiis florens hominum nobilissimorum. Bona eius erant sexagies; h. e. sexagies centena millia sestertium (circiter 291,000 Imperial.). Possidebat enim tredecim praedia, quae Tiberim fere omnia tangebant, ideoque ad commeatum opportuna et in maiore pretio erant. Cum Metellis, Serviliis, Scipionibus erat ei non modo hospitium, verum etiam domesticus usus et consuetudo. Et in bello civili, inter Marium et Sullam, quum Cinna et Marius in urbem recepti multos adversae partis nobiles trucidarent, Sex. Roscius praeter ceteros in ea vicinitate partem causamque nobilium, opera, studio, auctoritate defendit. Posteaquam Sulla Marianos vicerat, rempublicamque constituerat, dictator creatus, omnes, qui fuerant Marianarum partium proscripsit, occidi iussit, eorumque bona publicavit, et sub hasta vendidit. Roscius igitur, utpote nobilitatis fautor, et Sullanarum partium assecla, frequens Romae erat, atque in foro et in ore omnium versabatur. Erant autem ei veteres inimicitiae cum duobus Rosciis Amerinis. Alter erat *T. Roscius Capito*, qui in isto tumultu bellico multos homines interfecerat, (quapropter eum Cicero cap. VI *plurimarum palmarum gladiatorem* appellat); alter T. Roscius Magnus, qui se nuper ad eum tanquam ad lanistam et magistrum contulerat. A. V. C. 672 quum T. Roscius Magnus Romae esset, filius autem Sex. Roscii Ameriae, (quippe qui assiduus in praediis esset, seque voluntate patris rei familiari vitaeque ru-

sticae dedisset) occiditur ad balneas Palatinas, media fere aestate rediens a cena Sex. Roscius pater. Caedem factam primus Ameriam nuntiat Mallius Glaucia, homo tenuis et libertinus, cliens et familiaris T. Roscii Magni; et nuntiat domum non filii, sed T. Roscii Capitonis inimici; ea quidem celeritate usus, ut decem horis nocturnis (h. e. aestate brevioribus) sex et quinquaginta millia passuum cisiis pervolaret. Quatriduo post, quo haec gesta erant, res ad Chrysogonum Sullae libertum, hominem potentem, in castra L. Sullae, qui tum Volaterras obsidebat, defertur; magnitudo pecuniae Sex. Roscii demonstratur, et societate maleficii inter Chrysogonum et Roscios, Magnum et Capitonem, contracta, perficitur, ut imprudente L. Sulla, Roscii occisi, hominis studiosissimi nobilitatis, nomen in tabulas proscriptorum referretur, eiusque bona, tanquam qui a Marianis partibus stetisset, publicarentur. Sector s. manceps bonorum h. e. redemptor fit Chrysogonus, emit autem bona, quae erant sexagies HS duobus millibus nummum. Ex iis tria praedia Capitoni propria tradit, reliqua cum T. Roscio Magno communiter possidet. Sex. Roscius filius domo paterna nudus eiicitur. Quod Amerinis usque adeo visum est indignum, ut tota urbe fletus gemitusque fieret. Decuriones autem, i. e. senatores Amerini, decretum faciunt, ut decem primi (sic appellabantur seniores et principes senatus in municipiis) proficiscantur ad L. Sullam, doceantque eum, qui Sex. Roscius fuerit, conquerantur de istorum iniuriis, orentque ut patris occisi famam, et filii innocentis fortunas conservatas velit. Legati autem, (inter quos ipse T. Roscius Capito erat) quum in castra Sullae venissent, Chrysogoni et Capitonis astutia et perfidia decepti, ne Sullam ipsum adeant, adducuntur, et re inorata Ameriam revertuntur. Interim Sex. Roscii filii vitae insidiae ab illis parantur. Quod is simulatque sensit, de amicorum cognatorumque sententia Romam confugit, et sese ad Caeciliam Q. Metelli Balearici filiam Q. Metelli Nepotis sororem, feminam primariam, contulit. Ea Sex. Roscium inopem, eiectum domo atque expulsum ex suis bonis, fugientem latronum tela et minas, recepit domum, hospitique oppresso iam, desperatoque ab omnibus, opitulata est. Inimici, postquam intellexerunt, vitam Sex. Roscii diligentissime custodiri, consilium ceperunt plenum sceleris et audaciae, ut nomen eius de *parricidio* deferrent. Accusatorem subornant *Erucium* quendam, hominem incerto patre natum, et pecunia a Rosciis corruptum, ut quod forte haberet ingenii ad scelestissimam ca-

lumniam conferret. Is igitur A. V. C. 673, L. Sulla II, Q. Metello Coss., Sex. Roscium filium apud M. Fannium praetorem, quaesitorem inter sicarios, parricidii accusat. Assidebant quaesitori iudices ex ordine senatorio, qui solus tum iudicia publica exercebat. Equestrem enim ordinem Sulla (lege Cornelia iudiciaria) iudiciorum honore privaverat. Causae Roscii favebat M. Valerius Messala adolescens, qui quum nondum satis aetatis ac roboris haberet, ut ipse pro Sex. Roscio diceret, Ciceronem rogavit, ut eius causam in iudicio defenderet. Itaque is hanc orationem pro Sex. Roscio habuit XXVII annos natus. In *exordio*, c. 1—5, Cicero exponit quid sit, quod quum tot summi oratores hominesque nobilissimi Roscium defendere potuissent, ipse eius defensionem aggrediatur, qui cum illis neque aetate, neque ingenio i. e. eloquentia, neque auctoritate sit comparandus. Illos scilicet silere, quia Chrysogoni, Sullae liberti, potentiam timeant; eorumque neque dicta obscura esse possint, nec temere dictis concedi; ipse autem si quid liberius dixerit, vel occultum esse, vel ignosci adolescentiae suae posse. Praeterea se rogatum esse, ut Roscium defenderet, ab iis, quorum neque benivolentiam erga se ignorare, nec auctoritatem aspernari, nec voluntatem negligere debeat; c. 1. Orat deinde iudices, ut attente bonaque cum venia verba sua audiant, quum ipse se de rebus tantis tamque atrocibus, neque satis commode dicere, neque satis graviter conqueri, neque satis libere vociferari posse intelligat. In primis eos obsecrat, ut hominis innocentissimi calamitatem misereantur, accusatorum autem audaciae et malitiae resistant; c. 2—5.

Sequitur narratio rei gestae, c. 6—12, prudentissime sic instituta, ut et innocentia Sex. Roscii eluceat, et caedis Roscii patris ab inimicis, ut eius bona invadere possent, perpetratae suspicio iudicibus iniiciatur.

Absoluta narratione partitionem orationis facit Cicero, c. 13, ita ut primum de crimine ab accusatore conficto, deinde de Rosciorum Capitonis et Magni audacia ad quos caedes Sex. Roscii patris pertinere videatur, denique de intoleranda et perniciosa Chrysogoni potentia se dicturum ostendat.

Prima igitur parte docet Sex. Roscium a filio nec occisum esse, nec occidi potuisse; quippe qui neque causam, neque facultatem occidendi patris habuerit. Non enim esse adolescentulum corruptum, utpote qui annos quadraginta natus sit; non esse luxuriosum, non obaeratum, non cupiditatibus obnoxium.

Neque verum esse, quod Erucius dictitet eum patri displicuisse aut odio fuisse; et quod exheredare pater filium voluerit, id prorsus fictum et commentitium esse; c. 13—19, qua re demoustrata Cicero degreditur ad malitiosam nonnullorum accusatorum, in his Erucii, audaciam et calumniandi libidinem exagitandam; c. 20, 21. Vbi simul ostendit, ad probandum parricidii crimen gravissimas et manifestissimas causas afferri debere, c. 22, idque naturae huic suspicioni reclamitantis testimonio, exemplo filiorum T. Cloelii, c. 23, auctoritate Poëtarum, c. 24, Solonis dicto et legibus romanis de parricidarum supplicio, c. 25, 26, illustrat. Facultatem autem Sex. Roscium patris occidendi non habuisse demonstrat, quod caedem nec ipse, nec per alios sive liberos, sive servos perpetrare potuerit; c. 27—29.

Secunda parte Cicero ostendit caedem Sex. Roscii patris ad eius inimicos T. Roscios Capitonem et Magnum, in primis ad Magnum pertinere. Hunc enim tenuem, avarum, audacem, Sex. Roscio inimicissimum fuisse, itaque causas esse permultas, quae eum ad caedem impellere potuerint; c. 30—32. Facultatem vero maleficii ei fuisse ostenditur, quod eo die, quo Sex. Roscius occisus est, Romae, et quod in societate sicariorum et sectorum fuerit; c. 33. Denique a consequentibus demonstratur Roscios caedis auctores fuisse, quod Mallius Glaucia, Roscii Magni cliens, caedem Sex. Roscii patris Ameriam non filio, se Capitoni nuntiaverit, quod hic Chrysogonum impulerit, ut Sex. Roscii nomen in proscriptorum tabulas referret, eiusque bonorum vilissimo pretio manceps fieret, ita ut tria praedia paulo post Capitoni daret, reliqua cum Roscio Magno communiter possideret. Denique Roscium Capitonem, quo minus legati Amerinorum Sullam adire potuerint impedivisse; Roscium Magnum vero Sex. Roscii servos in quaestionem postulatos recusare, c. 34—42.

Tertio loco Cicero demonstrat bona Sex. Roscii nullo iure a Chrysogono emi potuisse; quia iure venire haud potuerint, nec re vera venierint. Itaque quaerit quare civis optimi bona venierint: deinde quare hominis eius, qui neque proscriptus, neque apud adversarios occisus sit, bona venierint, quum in eos solos lex (Cornelia de proscriptis) scripta sit; deinde quare aliquando post eum diem venierint, quae dies in lege praefinita esset; denique cur tantulo venierint; c. 43—45. Verum tota haec pars orationis, qua Cicero tria ista executus erat, intercidit. Superest pars amplificationis, in qua Chrysogoni luxuries,

potentia et superbia in odium et invidiam adducitur; c. 46—49.
In conclusione petit a Chrysogono, ut Roscii filii, in summam miseriam adducti, opibus et pecunia contentus sit, sanguinem et vitam ne petat; c. 50. 51; deinde iudices implorat, ut Roscii innocentiam et calamitatem in sua humanitate, iustitia, misericordia praesidium invenire patiantur; c. 52, 53.

Ceterum hac oratione Cicero effecit, ut Sex. Roscius a crimine parricidii absolveretur. Plutarch. in vita Cic. ubi ἀναδεξάμενος, inquit, τὴν συνηγορίαν καὶ κατορθώσας ἐθαυμάσθη; et ut deinde nulla causa esset, quae non digna eius patrocinio videretur. Brut. c. 90.

I.

Credo ego vos, iudices, mirari, quid sit, quod, quum tot summi oratores hominesque nobilissimi sedeant, ego potissimum surrexerim, qui neque aetate, neque ingenio, neque auctoritate sim cum iis, qui sedeant, comparandus. Omnes enim hi, quos videtis adesse, in hac causa iniuriam novo scelere conflatam

ANONYMI VETVSTI INTERPRETIS NOTAE (a)

Cap. I. *Credo ego*) Pleonasmus est in elocutione; nam quum dixisset *credo*, adiecit *ego*.

Mirari) Modo eandem partem recurat (1), quod nullus oratorum ceterorum ad defensionem accessit, potissimum ipse surrexit. Sed dum vult eos timoris excusare, quod sciat eos timuisse, se damnavit audacia.

Ego potissimum surrexerim) Duo sunt, quae quaeruntur in oratore, auctoritas et eloquium. Aucturitas ex nobilitate, eloquium ex doctrina. Vt ait Virgilius (2): ex auctoritate: *tunc pietate gravem ac meritis*: ex eloquio: *ille regit dictis animos.*

Omnes hi quos videtis) Debet conciliare orator causam, quasi non solus defendat.

Sedeant) Sedebant advocati Roscii, ut ei praesentia faverent, non eloquentia. Facc.

Quos videtis adesse, in hac causa iniuriam etc.) Sic melius interpunxit Heusingerus. Vulgo: *quos videtis adesse in hac causa, iniuriam* —.

(a) Animadversiones, varietatemque lectionis ad vetusti Interpretis et Asconii notas in Ciceronem, utpole minimi momenti, in fine voluminis reiicimus, ne confusionem pariant, ac ordo turbetur. Typ. T.

putant oportere defendi; defendere ipsi propter iniquitatem temporum non audent. Ita fit, ut adsint, propterea quod officium sequuntur; taceant autem idcirco, quia periculum metuunt. Quid? ergo audacissimus ego ex omnibus? minime. At tanto officiosior, quam ceteri? Ne istius quidem laudis ita sum cupidus, ut aliis eam praereptam velim. Quae me igitur res praeter ceteros impulit, ut causam Sex. Roscii reciperem? Quia, si quis istorum dixisset, quos videtis adesse, in quibus summa auctoritas est atque amplitudo; si verbum de re publica fecisset, id quod in hac causa fieri necesse est; multa plura dixisse, quam dixisset, putaretur: ego etiamsi omnia, quae dicenda sunt, libere dixero, nequaquam tamen similiter oratio mea exire, atque in vulgus emanare poterit. Deinde, quod ceterorum neque dictum obscurum potest esse, propter nobilitatem et amplitudinem, neque temere dicto concedi, propter aetatem et prudentiam: ego si quid liberius dixero, vel occultum esse propterea quod nondum ad rem publicam accessi, vel ignosci adolescentiae meae poterit; tametsi non modo ignoscendi ratio, verum etiam cognoscendi

Quid? ego audacissimus.) Anterosis (3).

An tanto officiosior) Officiosiores dicuntur, qui volunt ad suum officium pertinere, ut rapiant causas defendendas.

Ignosci adolescentiae) Inter *ignoscere* et *cognoscere* hoc interest. Ignoscere est: erravi, da veniam. Cognoscere est: non erravi, audi me. Modo vero in hac civitate non modo ignoscendi ratio sublata est, sed etiam cognoscendi.

Periculum) Metuunt sibi a Chrysogono Sullae liberto, qui totam hanc accusationem instruxit, ut Sex. Roscium perdat. Huc referenda sunt verba illa, *propter iniquitatem temporum*; quibus scilicet Sulla et Sullani impotenter dominantur. Facc.

Quid? ergo audacissimus) Vulgo: *quid ergo? audacissimus* —.

Id quod in hac causa fieri necesse est) *Fieri* delendum putabat Gulielm.

Cognoscendi) Quia ea tempestate non solum non ignoscebatur erroribus, sed saepe etiam, incognita causa, homines puniebantur. Id praesertim ad Sullanas proscriptiones referendum est. Est autem *cognoscere*, audire aliquem in judicio. Videtur imi-

consuetudo iam de civitate sublata est. Accedit illa quoque causa, quod a ceteris forsitan ita petitum sit, ut dicerent, ut utrumvis salvo officio se facere posse arbitrarentur: a me autem ii contenderunt, qui apud me et amicitia et beneficiis et dignitate plurimum possunt, quorum ego neque benivolentiam erga me ignorare, nec auctoritatem aspernari, nec voluntatem negligere debebam.

II. His de causis ego huic causae patronus exstiti, non electus unus, qui maximo ingenio, sed relictus ex omnibus, qui minimo periculo possem dicere; neque uti satis firmo praesidio defensus Sex. Roscius, verum uti ne omnino desertus esset. Forsitan quaeratis, qui iste terror sit, et quae tanta formido, quae tot ac tales viros impediat, quo minus pro capite et fortunis alterius, quemadmodum consuerunt, causam

Accedit illa q. causa) Anadiplosis.

Quod a ceteris forsitan) Si quis amicus petat a me defensionis officium, si praestitero, habeo gratiam, salvo officio. Si noluero, habeo officium salvum, sine gratia: ergo utrum velim in potestate mea est. Si quis vero frater petierit, quamquam propter potentiam suam Sulla satis timebatur, tamen frater est, cui omnimodo (4) praestandum est. Non possumus (5) hic dicere: in potestate habemus utrum velimus an nolumus; omnimodo necesse est velle. — A ceteris ergo sic petitum est ut in potestate habeant utrum velint; a me autem hi petiverunt etc.

Cap. II. *Maximo ingenio*) Messalam maxime significat, cuius (6) exstant orationes.

Forsitan quaeratis) Particularis narratio loco principiorum cedit. Narranda causa fuerat. Admirabilitas summa fuerat, quia nullus alter erat defensor, quare nullus alter accessit. Et quia praeparandus est iudex in principio benignitate et benivolentia. Causae vero redditio, particularis narratio est.

Quae tot) Ex numero.

Ac tales viros) Ex persona.

Quae res ea est) Hic non narratio incipit, sed est quaedam excusatio.

tatus Terentianum illud in Eunucho, prol. 4: *Aequum est vos cognoscere, atque ignoscere.* Facc.

Vtrumvis) Vel dicere, vel tacere.

Nec voluntatem negligere debebam) Ita rescripsit Ernestius pro vulg. *debeam*; in quo etsi praesens tempus ferri potest, coniunctivus tamen hic locum non habet.

velint dicere. Quod adhuc vos ignorare non mirum est, propterea quod consulto ab accusatoribus eius rei, quae conflavit hoc iudicium, mentio facta non est. Quae res ea est? Bona patris huiusce Sex. Roscii, quae sunt sexagies: quae de viro fortissimo et clarissimo, L. Sulla, quem honoris causa nomino, duobus millibus nummum sese dicit emisse adolescens vel potentissimus hoc tempore nostrae civitatis, L. Cornelius Chrysogonus. Is a vobis, iudices, hoc postulat, ut, quoniam in alienam pecuniam, tam plenam atque praeclaram, nullo iure invaserit, quoniamque ei pecuniae vita Sex. Roscii obstare atque officere videatur, deleatis ex animo suo suspicionem omnem, metumque tollatis; sese, hoc incolumi, non arbitratur huius innocentis patrimonium tam amplum et copiosum posse obtinere; damnato et eiecto, sperat se posse, quod adeptus est per scelus, id per luxuriam effundere atque consumere. Hunc sibi ex animo scrupulum, qui se dies noctesque stimulet ac pungat, ut

L. Sulla) Debet servare dignitatem: est enim magna persona.

Potentissimus) Ideo hic effert, ut eludat. Ideo adiecit postea *Cornelius*. Hoc dixit irrisione, quia libertini homines interposito ferme patronorum nomine gloriantur (7).

In alienam pecuniam) Id est in alienum patrimonium. Pecuniam dicit universitatem rei familiaris.

Suspicionem omnem) Vide quemadmodum in invidiam et odium ducit verba ipsius, et postulationem nequissimam.

Damnatum et eiectum) Modo movetur quaestio: Si parricida in culeum insuitur, quare dixit *eiectum?* quia oratoris est minus dicere poenam rei, ut dicat exilium.

Sese) Sic 6 codd. Oxx. et recepit Beck. Vulgo *se*.

Dicit emisse) Aiebat Chrysogonus, se emisse sub hasta bona Sex. Roscii interfecti, quod eius nomen esset in tabula proscriptorum. Facc.

Hoc postulat) Non hoc quidem libere, et aperte postulabat, sed per hanc accusationem postulare videbatur. Id.

Qui se — — stimulet ac pungat) Vulgo *stimulat — pungit*. Coniunctivum recte praetulit Ern.

evellatis, postulat; ut ad hanc suam praedam, tam nefariam, adiutores vos profiteamini.

III. Si vobis aequa et honesta postulatio videtur, iudices; ego contra brevem postulationem affero, et quomodo mihi persuadeo, aliquanto aequiorem. Primum a Chrysogono peto, ut pecunia fortunisque nostris contentus sit, sanguinem et vitam ne petat: deinde a vobis, iudices, ut audacium sceleri resistatis, innocentium calamitatem levetis, et in causa Sex. Roscii, periculum, quod in omnes intenditur, propulsetis. Quod si ant causa criminis, aut facti suspicio, ant quaelibet denique vel minima res reperietur, quamobrem videantur illi nonnihil tamen in deferendo nomine secuti, postremo si praeter eam praedam, quam dixi, quidquam aliud causae inveneritis; non recusamus, quin illorum libidini Sex. Roscii vita dedatnr. Sin aliud agitur nihil, nisi, ut iis ne quid desit, quibus satis nihil est; si hoc solum hoc tempore pugnatur, ut ad illam opimam praeclaramque praedam damnatio Sex. Roscii, velut cumulus, accedat: nonne cum multa indigna, tum vel hoc indignissimum est, vos idoneos habitos, per quornm sententias iusque iurandum id assequantur, quod antea ipsi scelere et ferro assequi consuerunt? Qui ex civitate in senatum propter dignitatem, ex senatu in hoc consi-

Ego contra brevem postulationem affero) Illius postulatio quia indignanter posita fuerat, invidiose locutus est.

CAP. III. *Primum a Chrysogono*) Ostendit potentiam Chrysogoni, et in magnam invidiam adducit adversarium supplicando ipsi.

Quod si a causa criminis) Iudicium bonae causae esse voluit; quod sponsionem quandam apud iudices facere ausus est, ut vel tenui argumento convictus damnationem criminis non excuset. Item tria considerantur in coniectura: causa, persona, factum.

In deferendo) In accusando, quoniam nomen ad praetorem detulit.

lium delecti estis propter severitatem, ab his hoc postulare homines sicarios atque gladiatores, non modo ut supplicia vitent, quae a vobis pro maleficiis suis metuere atque horrere debent, verum etiam ut spoliis Sexti Roscii hoc iudicio ornati auctique discedant?

IV. His de rebus tantis tamque atrocibus, neque satis me commode dicere, neque satis graviter conqueri, neque satis libere vociferari posse intelligo. Nam commoditati ingenium, gravitati aetas, libertati tempora sunt impedimento. Huc accedit summus timor, quem mihi natura pudorque meus attribuit, et vestra dignitas, et vis adversariorum, et Sex. Roscii pericula. Quapropter vos oro atque obsecro, iudices, ut attente bonaque cum venia verba mea audiatis. Fide sapientiaque vestra fretus plus oneris sustuli, quam ferre me posse intelligo. Hoc onus si vos aliqua ex parte allevabitis, feram, ut potero, studio et industria, iudices: sin a vobis, id quod non spero, deserar; tamen animo non deficiam, et id, quod suscepi, quoad potero, perferam. Quod si perferre non potero; opprimi me onere officii malo, quam id, quod mihi cum fide semel im-

Qui ex civitate) Laus iudicum (8), ut benivolentiam capiat. Novimus quia a Sulla senatus electus fuerat (9), ut iudex esset. De civitate ergo fit senatus, de senatu iudices.

Cap. IV. *Nam commoditati*) Proantidosis. Tribus enim superioribus totidem infra retulit. *Commode* autem *dicere* nunc hoc significat, pertinenter, utiliter, ornate.

Summus timor) Ostendit quantum sit timor. Pudor morum.

Venia.) Prompta benignitate, auxilio, ut Virgilius: *orantes veniam* (10).

Hoc onus) Permansit in translatione propter Sullanum tempus. Et (eiusmodi) quid subaudimus (in verbis) *perferam — me onere o. malo.* Melius est ut opprimat me invidia Sullani temporis, quam taceam.

Hoc postulare) Infinitivus hic servit indignationi. Ipse per se constat, nec ab alio verbo pendet. Facc.

Hoc iudicio ornati auctique discedant?) Ern. sine codd. auctoritate edidit *ex hoc iudicio.*

positum est, aut propter perfidiam abiicere, aut propter infirmitatem animi deponere.

V. Te quoque magnopere, M. Fanni, quaeso, ut, qualem te iam antea populo romano praebuisti, quum huic idem quaestioni iudex praeesses, talem te et nobis et populo romano hoc tempore impertias. Quanta multitudo hominum convenerit ad hoc iudicium, vides: quae sit omnium mortalium exspectatio, quae cupiditas, ut acria ac severa iudicia fiant, intelligis. Longo intervallo iudicium inter sicarios hoc primum committitur, quum interea caedes indignissimae maximaeque factae sint. Omnes hanc quaestionem, te praetore, de manifestis maleficiis quotidianoque sanguine haud remissius sperant futurum. Qua vociferatione in ceteris iudiciis accusatores uti consueverunt, ea nos hoc tempore utimur, qui causam dicimus. Petimus abs te, M. Fanni, a vobisque, iudices, ut quam acerrime maleficia vindicetis; ut quam fortissime hominibus audacissimis re-

Te quoque — Fanni) Fannius praefuit aliquando huic quaestioni de sicariis. Excitat etiam in hac quaestione ad antiquam severius exemplum.

Cap. V. *Quanta multitudo.*) Et hoc in Rhetoricis praeceptum. Et hoc ad virtutem principii pertinet, quod appellatur.

Longo item intervallo) Quoniam post tempora belli civilis, restitutis iudiciis, haec prima causa habita est.

Quum interea caedes indignissimae) Ergo nullae fuerunt punitae (11).

Omnes hanc quaestionem) Hoc vult dicere: sicarii isti homines occidebant multos, ut vitarent invidiam; hoc sibi suaserunt, continuare scelera.

Dimisso (12) i. e. prae contemptu, relicto habiturum.

Quum huic idem — praeesses) Graevius ex aliquot MSS. recepit eidem.

Longo intervallo) Quia bello civili Sullano intermissa fuerant iudicia de sicariis, ut victores impune occiderent, quos libuisset. Facc.

Inter sicarios) De sicariis. Formula iuris est, quae adhibetur etiam cap. 32. Id.

Haud remissius sperant futurum) *Haud remissiorem sperant futuram* coni. Garaton. Nihil opus. *Futurum* reposui auctore Hotom. coll. Gell. N. A. I, 7. Vulgo *futuram*.

Qua vociferatione) Quam severitatem in aliis causis accusatores postulare solent, eam nos defensores in hac causa postulamus. Facc.

sistatis; ut hoc cogitetis, nisi in hac causa, qui vester animus sit, ostenderitis, eo prorumpere hominum cupiditatem et scelus et audaciam, ut non modo clam, verum etiam hic in foro, ante tribunal tuum; M. Fanni, ante pedes vestros, iudices, inter ipsa subsellia caedes futurae sint. Etenim quid aliud hoc iudicio tentatur, nisi ut fieri liceat? Accusant ii, qui in fortunas huius invaserunt: causam dicit is, cui, praeter calamitatem, nihil reliquerunt. Accusant ii, quibus, occidi patrem Sex. Roscii, bono fuit: causam dicit is, cui non modo luctum mors patris attulit, verum etiam egestatem. Accusant ii, qui hunc ipsum iugulare summe cupierunt: causam dicit is, qui etiam ad hoc ipsum iudicium cum praesidio venit, ne hic ibidem ante oculos vestros trucidetur. Denique accusant ii, quos populus poscit: causam dicit is, qui unus relictus ex illorum nefaria caede restat. Atque ut facilius intelligere possitis, iudices, ea, quae facta sunt, indigniora esse, quam haec sunt, quae dicimus: ab initio, res quemadmodum gesta sit, vobis exponemus; quo facilius et huius hominis innocentissimi miserias, et illorum audaciam cognoscere possitis, et rei publicae calamitatem.

VI. Sex. Roscius, pater huiusce, municeps Amerinus fuit, quum genere et nobilitate et pecunia non modo sui municipii, verum etiam eius vicinitatis facile primus, tum gratia atque hospitiis florens ho-

M. Fanni ante pedes vestros) Anticategoria. Hic illuminat genus causae, quod et defensionem habeat pro reo et accusationem in adversarios.

Nisi —— ostenderitis) Sic Heusing. Ern. In omnibus libris est *ostendetis*.

Quos populus poscit) Ad poenam propter multa in omnes scelera commissa. Facc.

Vnus relictus) Vnicus occisi Roscii filius. Id.

Hospitiis) Solebant cives Romani

minum nobilissimorum. Nam cum Metellis, Serviliis, Scipionibus erat ei non modo hospitium, verum etiam domesticus usus et consuetudo: quas, ut aequum est, familias honestatis amplitudinisque gratia nomino. Itaque ex suis omnibus commodis hoc solum filio reliquit. Nam patrimonium domestici praedones vi ereptum possident: fama et vita innocentis ab hospitibus amicisque paternis defenditur. Hic quum omni tempore nobilitatis fautor fuisset, tum hoc tumultu proximo, quum omnium nobilium dignitas et salus in discrimen veniret, praeter ceteros in ea vicinitate, eam partem causamque opera, studio, auctoritate defendit. Etenim rectum putabat, pro eorum honestate se pugnare, propter quos ipse honestissimus inter suos numerabatur. Posteaquam victoria constituta est, ab armisque recessimus; quum proscriberentur homines, atque ex omni regione caperentur ii, qui adversarii fuisse putabantur: erat ille Romae frequens, atque in foro et in ore omnium quotidie versabatur; magis ut exsultare victoria nobilitatis videretur, quam timere, ne quid ex ea calamitatis sibi accideret. Erant ei veteres inimicitiae cum duobus Rosciis Amerinis, quorum alterum sedere in accusatorum subselliis video, alterum tria huiusce praedia possidere audio; quas inimicitias si tam cavere po-

Cap. VI. *Erant ei veteres*) Vsque ad istam narrationis partem fuit narratio pertinens ad bona, quia non debuit proscribi. Modo ad caedem.

Alterum) Magnum dicit.

necessitudinem hospitii cum exteris hominibus contrahere, ut et ipsi eos Romam advenientes domi suae exciperent, et iter facientes per provincias, haberent apud quos diversarentur. Facc.

Proscriberentur) A Sulla victore, qui tabulam in foro fixerat, in qua plurimorum nomina scripta erant, ut ad caedem quaererentur, eorumque bona sub hasta venderentur. Id.

Tam cavere potuisset) *Tum prohi-*

tuisset, quam metuere solebat, viveret. Neque enim, iudices, iniuria metuebat. Nam duo isti sunt T. Roscii (quorum alteri Capitoni cognomen est; iste, qui adest, Magnus vocatur); homines eiusmodi: alter plurimarum palmarum vetus ac nobilis gladiator habetur; hic autem nuper se ad eum lanistam contulit: qui quum ante hanc pugnam tiro esset scientia, facile ipsum magistrum scelere audaciaque superavit.

VII. Nam quum hic Sex. Roscius esset Ameriae, T. autem iste Roscius Romae; quum hic filius assiduus in praediis esset, quumque se, voluntate patris, rei familiari vitaeque rusticae dedisset; iste autem frequens Romae esset: occiditur ad balneas Palatinas rediens a coena Sex. Roscius. Spero ex hoc ipso non esse obscurum, ad quem suspicio maleficii pertineat: verum id, quod adhuc est suspiciosum, nisi perspicuum res ipsa fecerit, hunc affinem culpae iudicatote.

Homines eiusmodi) Novimus, quia gladiatores ex factis nomen accipiunt. Si facili ictu caput percusserit, *Capito* dicitur; si multos vicerit *Magnus* (13).

Ad eum lanistam) describit, quia gladiatorum nomina dixit.

Ante hanc pugnam) Sive ante caedem Sex. Roscii, sive ante bellum civile (14).

Cap. VII. *Nam quum hic Sex. Roscius*) Praeparatio a loco ad argumentum, eum facultatem non habuisse (15).

Quum hic) dixit ante rem. Causa inimicitiarum naturae conveniens. Ergo quia accusatio illorum ad defensionem istius pertinebat, per comparationem facit caput.

Rei familiaris) Hoc ideo, quia dicebant illi, abiectum hunc fuisse a patre, ideirco illum interfecisse dicit; voluntas patris aequalis circa filium fuit.

Primus Ameriam) Ipsum vult videri missum, qui occiderit (16) Roscium.

bere legitur ap. Curium Fortunatianum Rhetor. 2.

Plurimarum palmarum) Homo saepe in caede versatus dicitur per translationem gladiator vetus, quique plurimas palmas retulit. Victori enim gladiatori palma dabatur. Faec.

Ad eum lanistam) Ad Roscium Capitonem, quem per translationem appellat lanistam, hoc est, ludi gladiatorii magistrum. In.

Quum hic Sex. Roscius esset Ameriae, T. autem iste Roscius Romae) Facciolatu haec verba redundare et in contextum irrepsisse videbantur. Sed nexus orationis iis carere non potest.

Palatinas) Quae erant in colle Palatino. F.

Occiso Sex. Roscio, primus Ameriam nuntiat Mallius Glaucia quidam, homo tenuis, libertinus, cliens et familiaris istius T. Roscii; et nuntiat domum, non filii, sed T. Capitonis, inimici: et, quum post horam primam noctis occisus esset, primo diluculo nuntius hic Ameriam venit. Decem horis nocturnis sex et quinquaginta millia passuum cisiis pervolavit; non modo ut exoptatum inimico nuntium primus afferret, sed etiam cruorem inimici quam recentissimum telumque paulo ante e corpore extractum ostenderet. Quatriduo, quo haec gesta sunt, res ad Chrysogonum in castra L. Sullae Volaterras defertur; magnitudo pecuniae demonstratur; bonitas praediorum (nam fundos decem et tres reliquit, qui Tiberim fere omnes tangunt), huius inopia et solitudo commemoratur. Demonstrant, quum pater huiusce, Sex. Roscius, homo tam splendidus et gratiosus, nullo negotio sit occisus, perfacile hunc hominen, incautum, et rusticum, et Romae ignotum, de medio tolli posse. Ad eam rem operam suam pollicentur. Ne diutius vos teneam, iudices, societas coitur.

VIII. Quum iam proscriptionis mentio nulla fieret,

Quidam) Duplex causa necessitatis. Nam tenuis corrumpi potuit libertinus, qui etiam metuebat offendere.

Cliens) Hoc mire, ut ab inimicis ad caedem subornatus sit, quibus sine dubio debebat obsequium.

Cisiis) Genus vehiculi Gallici.

Volaterrana) Volaterrana civitas dicitur, quae praecisis undique lateribus ad omnes motus alto se monte suspendit. Haec civitas cum Mario senserat. Victis etiam Marianis partibus in eadem constantia perseveravit. Ad ipsam oppugnandam * * *

Mallius Glaucia) Edd. vett. codd. IV Oxx. duo Pall. *Manlius*.

Cisiis) *Cisium*, vehiculi genus velocissimi. F.

Et rusticum et Romae ignotum) Gruter. in edit. antiquissima invenit *et rusticum et rure et Romae*. Alii *incautum et rure et Romae*. In cod. Pal. et S. Vict. *incautum et rus et Romae*.

et quum etiam, qui antea metuerant, redirent, ac iam defunctos sese periculis arbitrarentur: nomen refertur in tabulas Sexti Roscii; hominis studiosissimi nobilitatis manceps fit Chrysogonus. Tria praedia vel nobilissima Capitoni propria traduntur, quae hodie possidet; in reliquas omnes fortunas iste T. Roscius nomine Chrysogoni, qnemadmodum ipse dicit, impetum facit. Haec bona sexagies emuntur duobus millibus nummum. Haec omnia, iudices, imprudente L. Sulla, facta esse certo scio. Neque enim mirum, quum eodem tempore et ea, quae praeterita sunt, et ea, quae videntur instare, praeparet; quum et pacis constituendae rationem, et belli gerendi potestatem solus habeat; quum omnes in unum spectent, unus omnia gubernet; quum tot tantisque negotiis distentus sit, ut respirare libere non possit: si aliquid non animadvertat; quum praesertim tam multi occupationem eius observent, tempusque aucupentur, ut simul atque ille despexerit, aliquid huiuscemodi

Nomen refertur in tabulas Sexti Roscii) Sosipater Charisius lib. III Instit. Gramm. quod iam Lipsius monuit V. L. III, 6, h. l. ita citat: *quum iam nulla proscriptionis commemoratio fieret, quum etiam qui antea proscripti erant, sederent, nomen refertur in tabulas Sex. Roscii.* Vulgo in edd. omittebantur *verba nomen — Roscii*; quae restituit post Graevium Ernesti. Diomedes quoque lib. I, p. 383, ed. Putsch. locum sic citat, ut Sosipater, nisi quod pro *sederent* retinet *redirent.*

Manceps fit) Emit sub hasta eius bona tanquam hominis proscripti. Dicitur autem manceps, hoc est sector, quia manu sublata, ea bona nomine suo emit. *Manceps*, quia videtur quasi *manu capere.* Facc.

Tria praedia — propria traduntur) *Praemia traduntur* cod. Iannoct. quod probat Garat.

Imprudente L. Sulla) Non animadvertente. F.

Quae praeterita sunt) Lambin. e cod. addidit *reparet*; Hotom. coni. *reputet.* Vulgatam non esse sollicitandam vidit Graevius; coll. ep. ad. Att. X, 3, ubi legitur: *fortunam ipsam qua illi florentissima, nos duriore conflictati videmur.*

Praeparet) Verbum hoc refertur ad *futura*, et ad *praeterita*, per figuram ζεῦγμα.

Simul atque) Cod. Iannoct. *respexerit*, Renat. Boëmoraeus legi volebat, *simul atque alio respexerit.*

Despexerit) Quasi deorsum adspe-

moliantur. Huc accedit, quod, quamvis ille felix sit, sicut est, tamen tanta felicitate nemo potest esse, in magna familia qui neminem, neque servum, neque libertum improbum habeat.

IX. Interea iste T. Roscius, vir optimus, procurator Chrysogoni, Ameriam venit; in praedia huius invadit; hunc miserum, luctu perditum, qui nondum etiam paterno funeri iusta solvisset, nudum eiicit domo, atque focis patriis diisque penatibus praecipitem, iudices, exturbat; ipse amplissimae pecuniae fit dominus. Qui in sua re fuisset egentissimus, erat, ut fit, insolens in aliena. Multa palam domum suam auferebat; plura clam de medio removebat; non pauca suis adiutoribus large effuseque donabat; reliqua, constituta auctione, vendebat. Quod Amerinis usque eo visum est indignum, ut urbe tota fletus gemitusque fieret. Etenim multa simul ante oculos versabantur: mors hominis florentissimi, Sex. Roscii, crudelissima; filii autem eius egestas indignissima; cui de tanto patrimonio praedo iste nefarius ne iter quidem ad sepulcrum patrium reliquisset: bonorum emptio flagitiosa, flagitiosa possessio, furta, rapinae, donationes. Nemo erat, qui non ardere omnia mallet, quam videre in Sex. Roscii, viri optimi atque honestissimi, bonis iactantem se ac dominantem T. Roscium. Itaque decurionum decretum statim fit, ut decem primi proficiscantur ad L. Sullam, doceantque eum, qui vir Sex. Ro-

xerit, demiserit oculos, non fuerit attentos. Facc.

Felix) Sulla *felix* cognomento dictus est. Vide Plin. lib. 7, cap. 43. F.

Qui nondum etiam) Gruterus e MSS. edd. pr. addidit *omnia*. Fortior autem fit sententia hoc omisso.

Bonorum emptio flagitiosa, flagitiosa possessio) Sic primus Lambin. e cod. Memm. Vulgo *bonorum emptio flagitiosa possessio*.

Qui non ardere omnia mallet) *Illa omnia* Rufinian. de fig. c. 36. Pro *ardere* Scheller. obss. p. 42, coni. legendum *audere*. Frustra.

Bonis iactantem se) *Se* recte addidit Ern. ex edd. pr. et MS. Gu.

scius fuerit; conquerantur de istorum scelere et iniuriis; orent, ut et illius mortui famam, et filii innocentis fortunas conservatas velit. Atque ipsum decretum, quaeso, cognoscite. DECRETVM DECVRIONVM. Legati in castra veniunt. Intelligitur, iudices, id quod iam ante dixi, imprudente L. Sulla scelera haec et flagitia fieri. Nam statim Chrysogonus et ipse ad eos accedit, et homines nobiles allegat, qui peterent, ne ad Sullam adirent, et omnia Chrysogonum, quae vellent, esse facturum pollicerentur. Vsque adeo autem ille pertimuerat, ut mori mallet, quam de his rebus Sullam doceri. Homines antiqui, qui ex sua natura ceteros fingerent, quum ille confirmaret, sese nomen Sex. Roscii de tabulis exempturum, praedia vacua filio traditurum, quumque id ita futurum T. Roscius Capito, qui in X legatis erat, appromitteret, crediderunt; Ameriam re inorata reverterunt.

X. Ac primo rem differre quotidie ac procrastinare isti coeperunt: deinde aliquanto lentius; nihil agere, atque deludere: postremo (id quod facile intellectum est) insidias vitae huiusce Sex. Roscii parare, neque sese arbitrari posse diutius alienam pecuniam, domino incolumi, obtinere. Quod is simul atque sensit, de amicorum cognatorumque sententia Romam confugit, et sese ad Caeciliam, quam honoris causa no-

Homines nobiles allegat) *Allegare* est privatim mittere, ac de re privata, quemadmodum *legare* est publice mittere, ac de re publica. FACC.

Homines nobiles allegat) Vulgo *allegat iis.* Lambinus corrigebat *allegat ab iis qui peterent*, quod Graevio quoque placuit. Ern. maluit deleri *iis*, cui obsecutus sum.

Vt mori mallet) Ant. Augustinus teste Vrsino frustra corrigendum opinatus est, *ut omnia mallet.*

Homines antiqui) Antiqua fide, antiquo ingenio, hoc est nimis boni. FACC.

Appromitteret) Appromittere, est pro altero promittere simul cum illo. Itaque Capito simul cum hominibus illis allegatis promittebat, seu potius confirmabat, quod illi promiserant, tanquam fideiussor. ID.

mino, contulit, qua pater usus erat plurimum: in qua muliere, iudices, etiam nunc, id quod omnes semper existimaverunt, quasi exempli causa, vestigia antiqui officii remanent. Ea Sex. Roscium inopem, eiectum domo atque expulsum ex suis bonis, fugientem latronum tela et minas, recepit domum, hospitique oppresso iam, desperatoque ab omnibus, opitulata est. Eius virtute, fide, diligentia factum est, ut hic potius vivus in reos, quam occisus in proscriptos referretur. Nam postquam isti intellexerunt, summa diligentia vitam Sex. Roscii custodiri, neque sibi ullam caedis faciundae potestatem dari; consilium ceperunt, plenum sceleris et audaciae, ut nomen huius de parricidio deferrent; ut ad eam rem aliquem accusatorem veterem compararent, qui de ea re posset dicere aliquid, in qua re nulla subesset suspicio; denique ut, quoniam crimine non poterant, tempore ipso pugnarent. Ita loqui homines: quod iudicia tam diu facta non essent, condemnari eum oportere, qui primus in iudicium adductus esset; huic autem patronos propter Chrysogoni gratiam defuturos; de bonorum venditione, et de ista societate verbum esse facturum neminem; ipso nomine parricidii, et atrocitate criminis, fore, ut hic nullo negotio tolleretur, quum ab nullo defensus esset. Hoc consilio atque adeo hac amentia impulsi, quem ipsi, quum cuperent, non potuerunt occidere, eum iugulandum vobis tradiderunt.

XI. Quid primum querar? aut unde potissimum,

' *Isti coeperunt*) *Isti* recte Garalon, dedit ex edd. vett. *Coeperunt* Heusingero insititium videbatur.

Et sese ad Caeciliam) Vulgo adiicitur: *Nepotis filiam*; quod insititium esse patet; nam Caecilia erat Q. Metelli Balearici filia, et eius filii Q. Metelli nepotis soror. Vid. not. ad c. 50.

Tempore ipso pugnarent) Holomannus coni. *tempore ipsum oppugnarent*. Vulgatum recte defendit Graevius.

iudices, ordiar? aut a quibus auxilium petam? Deorumne immortalium, populine romani, vestramne, qui summam potestatem habetis, hoc tempore fidem implorem? Pater occisus nefarie, domus obsessa, ab inimicis bona adempta, possessa, direpta; filii vita infesta, saepe ferro atque insidiis appetita. Quid ab his tot maleficiis sceleris abesse videtur? Tamen haec aliis nefariis cumulant atque adaugent: crimen incredibile confingunt; testes in hunc et accusatores huiusce pecunia comparant; hanc conditionem misero ferunt, ut optet, utrum malit cervices Roscio dare, an insutus in culeum per summum dedecus vitam amittere. Patronos huic defuturos putaverunt; desunt. Qui libere dicat, qui cum fide defendat, id quod in hac causa est satis, non deest profecto, iudices. Et forsitan in suscipienda causa temere, impulsus adolescentia, fecerim: quoniam quidem semel suscepi, licet hercules undique omnes in me terrores periculaque impendeant omnia, succurram atque subibo. Certum est deliberatumque, quae ad causam pertinere arbitror, omnia non modo dicere, verum etiam libenter, audacter, libereque dicere. Nulla res tanta exsistet,

Cap. XI. * * * patitur a servo ex eo qui facit, id est Chrysogonus. Ergo modo nata est indignitas, non ex eo, qui patitur, quia Roscii persona est vilis, sed ex eo, qui facit, id est, Chrysogonus.

Filii vita infesta, saepe ferro atque insidiis appetita) Lambinus fortasse sic interpungendum putabat: *filii vita infesta saepe ferro, atque insidiis appetita.* Vulgatam rationem recte tuetur Graev.

Aliis nefariis) *Nefariis* tacite omisit Schutz. Consulto, an e sphalmate typographico? Quum in edit. Oliv. et Ern. legatur, ego denuo reposui. Ed.

An insutus in culeum) An fateri se parricidam et idcirco in culeum insui, et in flumen deiici. De hoc supplicii genere v. infra cap. 25 et 26. F.

Licet hercules — omnes in me terrores — impendeant omnia) Franc. I, et ed. 1472: *Licet hercules undique in me terrores periculaque impendeant, omnia succurram atque subibo.* Post *terrores* nonnulli addunt *minas.*

Nulla res tanta exsistet) Sic Pal. 8 et Franc. 1, idque verum est, quia

iudices, ut possit vim mihi maiorem adhibere metus, quam fides. Etenim quis tam dissoluto animo est, qui haec quum videat, tacere ac negligere possit? Patrem meum, quum proscriptus non esset, iugulastis; occisum in proscriptorum numerum retulistis; me domo mea per vim expulistis: patrimonium meum possidetis. Quid vultis amplius? Etiamne ad subsellia cum ferro et cum telis venistis, ut hic aut iuguletis aut condemnetis Sex. Roscium?

XII. Hominem longe audacissimum nuper habuimus in civitate C. Fimbriam, et, quod inter omnes constat, nisi inter eos, qui ipsi quoque insaniunt, insanissimum. Is quum curasset in funere C. Marii, ut Q. Scaevola vulneraretur, vir sanctissimus atque ornatissimus nostrae civitatis (de cuius laude neque hic locus est, ut multa dicantur, neque plura tamen dici possunt, quam populus romanus memoria retinet); diem Scaevolae dixit, posteaquam comperit, eum posse vivere. Quum ab eo quaereretur, quid tandem accusaturus esset eum, quem pro dignitate ne laudare quidem quisquam satis commode posset: aiunt, hominem, ut erat furiosus, respondisse, quod non totum telum corpore recepisset. Quo populus

antecedit *succurram atque subibo*. Vulgo *exstat*. In Pal. I *exsistit*.

Et cum telis venistis) Recte Hensingerus ita correxit. Vulgo *atque telis*.

Aut condemnetis Sex. Roscium?) *Sex. Roscium* Lambinus abesse iussit. Quidni autem *Sex. Roscium* dicatur ab eodem, qui loquens inducitur, pro pronomine *me*? Sed fortasse tota ῥῆσις *ut hic aut iuguletis aut condemnetis Sex. Roscium*, ex interpretatione Grammatici fluxit. Certe gravius esset, si sic finiret ille sermo Sex. Roscio tributus: *Etiamne ad subsellia cum ferro et cum telis venistis?* Sed si illa: *ut hic — Sex. Roscium* genuina sunt, sensus est, *ut hic Roscium iuguletis, nisi effeceretis, ut condemnetur.*

Quo populus romanus) Ernestius, quia non videbat, quo pertineret illud *quo*, transponenda censebat haec verba, usque ad *interemptus est*, post illa: *populus romanus memoria retinet*, sed sic ut legeretur: *qui nihil vidit indignius, nisi eiusdem — interemptus est.* At illa transpositione

romanus nihil vidit indignius (nisi eiusdem viri mortem, quae tantum potuit, ut omnes cives suos perdiderit et afflixerit; quos quia servare per compositionem volebat, ipse ab iis interemptus est). Estne hoc illi dicto atque facto Fimbriae simillimum? Accusatis Sex. Roscium. Quid ita? Quia de manibus vestris effugit; quia se occidi passus non est. Illud, quia in Scaevola factum est, magis indignum videtur: hoc, quia fit a Chrysogono, num est ferendum? Nam per deos immortales, quid est in hac causa, quod defensionis indigeat? qui locus ingenium patroni requirit, aut oratoris eloquentiam magnopere desiderat? Totam causam, iudices, explicemus, atque ante oculos expositam consideremus. Ita facillime, quae res totum iudicium contineat, et quibus de rebus nos dicere oporteat, et quid vos sequi conveniat, intelligetis.

XIII. Tres sunt res, quantum ego existimare possum, quae obstent hoc tempore Sex. Roscio; crimen

Cap. XII. *Tres sunt*) Partitio causae. In tres partes dividitur. Prima est defensio Roscii, secunda accusatio Rosciorum; tertia ad invidiam Chrysogoni parenthesis ista nimis longa fieret. Mihi videntur verba *nisi eiusdem viri mortem — interemptus est* interpolatori deberi. Certe illud Fimbriae factum multo indignius erat, quam ipsa Scaevolae caedes aliquot annis post a Damasippo perpetrata. Praeterea ista sunt et verbis duriora, et a sensu aliena. Heusingero tantum verba *quae tantum potuit—afflixerit* supposititia videbantur. Proxima sic legenda putabat: *qui quos servare* etc.

Eiusdem viri mortem) Occisus est Scaevola in vestibulo aedis Vestae, opera Damasippi praetoris, iubente Mario iuniore C. Marii filio, qui cum Carbone consul erat. Vide Florum lib. 3, cap. 21. Facc.

Per compositionem) Erat enim auctor pacis inter Sullanos et Marianos. Id.

Estne hoc — simillimum?) Sic recte Lambinus. Et firmat hanc lectionem Iul. Rufinianus de figg. sententiar. c. 23. Vulgo *non simillimum.* At *estne* h. l., ut saepe dicitur, pro *nonne est?* Cf. Heusingeri notam ad Cic. de off. III, 17; Ruhnken ad Rufinian. d. l.

Num est ferendum?) Vulgo *non est ferendum.* Assentior autem Hotomanno interrogandi formam, in qua inest negatio, h. l. aptiorem esse. Idem Heusingero visum. Fortasse tamen sic legendum: *Illud q. in Sc. factum est, indignum videtur, hoc*

adversariorum, et audacia, et potentia. Criminis confictionem accusator Erucius suscepit; audaciae partes Roscii sibi poposcerunt. Chrysogonus autem, is, qui plurimum potest, potentia pugnat. De hisce omnibus rebus me dicere oportere intelligo. Quid igitur est? Non tamen eodem modo de omnibus: ideo quod prima illa res ad meum officium pertinet; duas autem reliquas vobis populus romanus imposuit. Ego crimen oportet diluam: vos et audaciae resistere, et hominum eiusmodi perniciosam atque intolerandam potentiam primo quoque tempore exstinguere atque opprimere debetis.

XIV. Occidisse patrem Sex. Roscius arguitur. Scelestum, dii immortales, ac nefarium facinus, atque eiusmodi, quo uno maleficio scelera omnia complexa esse videantur. Etenim si, id quod praeclare a sapientibus dicitur, vultu saepe laeditur pietas: quod

pertinet, quae ex potentia nascitur. — *Occidisse patrem*) Extollit magnitodinem criminis, ut fides derogetur (17). Quanto enim quaeque magna sunt, tanto in credendo difficilia. Hoc in defensionibus recte facimus ante probationem; in accusationibus autem probato crimine debemus augere. Item dixit principia, dixit narrationem excessus, nunc summam dicit. Summa autem

quia fit a Chrysogono, num magis est ferendum?

Non tamen eodem modo de omnibus) Vulgo *quid igitur est? non eodem modo de omnibus.* Verba *quid igitur est?* Hotomannus aut post *pugnat*, aut post *imposuit*, Passeratius post *imposuit* ponenda esse censebat. Assentitur Ernestius, quia illa formula debeat sequi dubitationem, aut eiusmodi sententiam, quae explicationem desideret, quale nihil sit in verbis: *de hisce — oportere.* Verum nec in sententia *Chrysogonus — pugnat*, nec in illa *duas — imposuit*, aliquid est, quod dubitari possit, aut quod explicatione egeat. Itaque hac transpositione nihil lucramur. Equidem Heusingero potius concederem, verba illa: *Quid igitur est?* ut insititia prorsus delenda esse, nisi alia ratio superesset, iis locum suum vindicandi. Nempe illa formula, sequente particula *tamen*, respondet formulae germanicae: *Nun dann, aber doch:* vel *gleichwohl aber doch.* Sic infra c. 19: *Vident omnes, qua de causa huic inimicus venias. Sciunt huius pecunia te adductum esse. Quid ergo est? ita tamen quaestus te cupidum esse oportebat.*

supplicium satis acre reperietur in eum, qui mortem obtulerit parenti, pro quo mori ipsum, si res postularet, iura divina atque humana cogebant? In hoc tanto, tam atroci, tam singulari maleficio, quod ita raro exstitit, ut, si quando auditum sit, portenti ac prodigii simile numeretur: quibus tandem te, C. Eruci, argumentis accusatorem censes uti oportere? Nonne et audaciam eius, qui in crimen vocetur, singularem ostendere, et mores feros immanemque naturam, et vitam vitiis flagitiisque omnibus deditam, et denique omnia ad perniciem profligata atque perdita? quorum tu nihil in Sex. Roscium, ne obiiciendi quidem causa, contulisti.

XV. Patrem occidit Sex. Roscius. Qui homo? Adolescentulus corruptus, et ab hominibus nequam inductus? Annos natus magis quadraginta. Vetus videlicet sicarius, homo audax, et saepe in caede versatus? At hoc ab accusatore ne dici quidem audistis. Luxuries igitur hominem nimirum, et aeris alieni magnitudo, et indomitae animi cupiditates ad hoc scelus impulerunt. De luxuria purgavit Erucius, quum dixit, hunc ne in convivio quidem ullo fere interfuisse. Nihil autem unquam debuit. Cupiditates porro quae possunt esse in eo, qui, ut ipse accusa-

dicitur criminis collectio. — *Nonne et audaciam*) Argumentum a persona sitne idonea ad parricidium.

Cap. XV. *Patrem occidit*) Congessit schemata oratoria. Nam per quaestionem (18) argumentatur; responsionem facit. Quotiescumque coniectum est, summa ponitur, incipiens a genere criminationis, naturae conveniens. Causa lucri, causa inimicitiarum. Patrem occidit; natura conveniens. — *Erucius*) Vellet aptam sceleri designare personam. Descripsit feram quandam fuisse naturam Roscii, dicens: miramini si iste homo, qui in agro et solitudinibus cum nullo vixerit.... Cicero arripuit luxuriae partes, expugnavit obiectionem

Annos natus magis quadraginta) Multi codd. habent *maior quadraginta*. Graevio *magis* et *maior* interpolatum videbatur.

tor obiecit, ruri semper habitarit, et in agro colendo vixerit? quae vita maxime disiuncta est a cupiditate, et cum officio coniuncta. Quae res igitur tantum istum furorem Sex. Roscio obiecit? «Patri, inquit, non placebat». Patri non placebat? quam ob causam? Necesse est enim, eam quoque iustam et magnam et perspicuam fuisse. Nam, ut illud incredibile est, mortem oblatam esse patri a filio sine plurimis et maximis causis: sic hoc veri simile non est, odio fuisse parenti filium sine causis multis et magnis et necessariis. Rursus igitur eodem revertamur, et quaeramus, quae tanta vitia fuerint in unico filio, quare is patri displiceret. At perspicuum est, nullum fuisse. Pater igitur amens, qui odisset eum sine causa, quem procrearat. At is quidem fuit omnium constantissimus. Ergo illud iam perspicuum profecto est, sine neque amens pater, neque perditus filius fuerit; neque odii causam patri, neque sceleris filio fuisse. «Nescio, inquit, quae causa odii fuerit; fuisse odium intelligo; quia antea, quum duos filios haberet, illum alterum qui mortuus est, secum omni tempore volebat esse, hunc in praedia rustica relegarat». Quod Erucio accidebat in mala nugatoriaque accusatione, idem mihi

Erucii; si enim solus in silvis fuit, luxuriosus esse non potuit. — *Quae res igitur tantum*) Auget rem; ut incredibile videatur crimen, non dixit scelus, sed *furorem*. Et bene dixit *furorem*. Declaravit, nisi perdita mentis sanitate, non posse de parricidio cogitari. — *Necesse est enim*) Quae causa est, quare occidit patrem? quia non placebat patri. Incipit alia causa. — *In unico filio*) Eleganter hoc intulit, quod naturale sit, ut unicis liberis, quamvis impotentibus (19), promptius indulgeamus. — *Omnium constantissimus*) Manifeste namque quid esset constantia hic ostendit, quum contrariam posuit amentiam. — *Neque odii causam*) Dicendo, neque odii causam patris neque sceleris fuisse, expedita facilitate conclusit et principalem et incidentem quae-

Quae vita—disiuncta est.) Vulgo omittitur *est*, melius additum in aliquot MSS.

usuvenit in causa optima. Ille, quomodo crimen commentitium confirmaret, non inveniebat; ego res tam leves qua ratione infirmem ac diluam, reperire non possnm. Quid ais, Eruci? Tot praedia, tam pulcra, tam fructuosa Sex. Roscius filio suo, relegationis ac supplicii gratia, colenda ac tuenda tradiderat? Quid hoc? Patresfamilias, qui liberos habent, praesertim homines illius ordinis, ex municipiis rusticanis, nonne optatissimum sibi putant esse, filios suos rei familiari maxime servire, et in praediis colendis operae plurimum studiique consumere? An amandarat hunc sic, ut esset in agro, ac tantummodo aleretur ad villam? ut commodis omnibus careret? Quid? si constat, hunc non modo colendis praediis praefuisse, sed certis fundis, patre vivo, frui solitum esse? Tamenne haec attenta vita et rusticana relegatio atque amandatio appellabitur? Vides, Eruci, quantum distet argumentatio tua ab re ipsa atque a veritate. Quod consuetudine patres faciunt, id, quasi novum, reprehendis; quod benivolentia fit, id odio factum criminaris; quod honoris causa pater filio suo concessit, id eum supplicii causa fecisse dicis. Neque haec tu non intelligis; sed usque eo, quod arguas, non habes, ut non modo tibi contra nos dicendum putes, verum etiam contra rerum naturam, contra-

ationem. — *Quid ais Eruci?*) Qualitatem praediorum eam fuisse declarat, quae non magis poenae quam voluntati (20) esset, quia dicebat, *tot praedia* a numero, *tam pulcra* a qualitate, *tam fructuosa* ab utilitate. — *Illius ordinis*) illius fortunae; quod si constat, praefuit (21), ut dominum et ut patremfamilias decet, non tanquam (22) relegatus a patre suo.

Vt commodis omnibus careret?) *Et commodis* coni. Hotom.

Tamenne haec attenta vita) Amicus quidam Vrsini coni. *arta*. Sed *attenta vita* est parca, diligens, ad rem attenta.

Quod arguas, non habes) Vulgo *quid arguas*. Ernestius reposuit *quod*, idque h. l. aptius.

que consuetudinem hominum, contraque opiniones omnium.

XVI. « At enim, quum duos filios haberet, alterum a se non dimittebat, alterum ruri esse patiebatur ». Quaeso, Eruci, ut hoc in bonam partem accipias. Non enim exprobrandi causa, sed commonendi gratia dicam. Si tibi fortuna non dedit, ut certo patre nascerere, ex quo intelligere posses, qui animus patrius in liberos esset: at natura certe dedit, ut humanitatis non parum haberes. Eo accessit studium doctrinae, ut ne a literis quidem alienus esses. Ecquid tandem tibi videtur, ut ad fabulas veniamus, senex ille Caecilianus minoris facere Eutychum, filium rusticum, quam illum alterum, Chaerestratum? (nam, ut opinor, hoc nomine est); alterum in urbe secum honoris causa habere, alterum rus supplicii causa relegasse? «Quid ad istas ineptias abis?» inquies. Quasi vero mihi difficile sit, quamvis multos nominatim proferre, ne longius abeam, vel tribules, vel vicinos meos, qui suos liberos, quos plurimi faciunt, agricolas assiduos esse cupiunt. Verum homines notos sumere, odiosum est, quum et illud incertum

CAP. XVI. *Si tibi fortuna non dedit*) Constabat hunc Erucium incerto patre natum. Hic autem dicebat, propter ipsum Roscium ruri relegatum. Modo Cicero alludit. Nam dicebat ille: Vis nosse cur huuc odio pater habuerit? Quum duos haberet filios, quem amabat secum habebat; quem oderat ruri dederat. Dicit Cicero: agnosce Eruci quid dicturus sim. Si tu de incerto patre natus es, nescis qoid sit amor in filios parentum; tamen vel literis scire potuisti, a quibus alienus non es, quemadmodum diligant parentes. Et dat exemplum. Apud Caecilium comoediographum inducitur pater quidam, qui habebat duos filios; et illum, quem odio habebat, secum habebat, quem amabat ruri dedit. Ergo vides, quod amavit Roscium pater, siquidem hunc agris dederat. Coepit dicere adversarius. Quid ad istas nugas abis? inquit; quamdiu me ad fabulas vocas? Dicit Tullius: Ego quidem habeo multorum exempla, quae proferam, vel amicorum, sed forsitan isti se nominari nolunt. Quamquam quos magis debemus ad exempla proferre, quam comicos, qui ideo a poëtis inducuntur, ut in illorum actibus vitae nostrae videamus imaginem. — *Vel tribules*) Qui de una tribu sunt, tribules dicuntur. — *Age nunc*

sit, velintne hi sese nominari; et nemo vobis magis notus futurus sit, quam est hic Eutychus; et certe ad rem nihil intersit, utrum hunc ego comicum adolescentem, an aliquem ex agro Veiente nominem. Etenim haec conficta arbitror a poëtis esse, ut effictos nostros mores in alienis personis, expressamque imaginem nostrae vitae quotidianae videremus.

XVII. Age, nunc refer animum, sis, ad veritatem, et considera, non modo in Vmbria; atque in ea vicinitate, sed in his veteribus municipiis, quae studia a patribusfamilias maxime laudentur. Iam profecto te intelliges, inopia criminum, summam laudem Sex. Roscio vitio et culpae dedisse. Ac non modo hoc patrum voluntate liberi faciunt, sed permultos et ego novi, et, nisi me fallit animus, unusquisque vestrum, qui et ipsi incensi sunt studio, quod ad agrum colendum attinet, vitamque hanc rusticam, quam tu probro et crimini putas esse oportere, et honestissimam et suavissimam esse arbitrantur. Quid censes hunc ipsum Sex. Roscium, quo studio, et qua intelligentia esse in rusticis rebus? Vt ex his propinquis eius, hominibus honestissimis, audio, non tu in isto artificio accusatorio callidior es, quam hic in suo.

refer ad animum) Adhuc in illa quaestione versatur, quia dicebat adversarius, ideo occisum a filio patrem fuisse, quod ruri semper dedisset operam. Hic dicit, omnibus placere vitam rusticam. — *Inopia criminum*) Id est, quum non habet quod obiiciat Erucius Roscio, id obiicit, quod ad laudem Roscii proficit.

Cap. XVII. *Sed permultos ego novi*) Sensus huius capitis talis est: Non modo parentes filios suos volunt studio agri colendi detineri, in tantum putant vitam rusticam optimam, ut et ipsi studio agri colendi (23) operam dent. — *Tu callidior quam hic*) Diversa quidem artificia sunt, sed quoties ad finem veniunt,

Age, nunc refer animum) Ita melius interpungitur, quam ut vulgo *Age nunc, refer*. Transit enim a fictis exemplis ad veritatem, s. ad veras personas.

Ac non modo) Recte sic Heusinger. Vulgo *at non modo*.

Verum, ut opinor, quoniam ita Chrysogono videtur, qui huic nullum praedium reliquit, et artificium obliviscatur, et studium deponat, licebit. Quod tametsi miserum et indignum est, feret tamen aequo animo, iudices, si per vos vitam et famam potest obtinere: hoc vero est, quod ferri non potest, si et in hanc calamitatem venit propter praediorum bonitatem et multitudinem, et, quod ea studiose coluit, id erit ei maxime fraudi; ut parum miseriae sit, quod aliis coluit, non sibi, nisi etiam, quod omnino coluit, crimini fuerit.

XVIII. Nae tu, Eruci, accusator esses ridiculus, si illis temporibus natus esses, quum ab aratro arcessebantur, qui consules fierent. Etenim, qui praeesse agro colendo flagitium putes, profecto illum Atilium, quem sua manu spargentem semen, qui missi erant, convenerunt, hominem turpissimum atque inhone-

similia sunt, agricola et advocatus. Ars quidem dissimilis, sed tamen ars est. In sua quisque arte melior peritus (24) illo, qui est imperitus, in meliore parte est positus. Erucius accusator obiiciebat rusticam vitam Roscio. Dicit Tullius, in hoc meliorem esse Roscium Erucio, quod melior sit ille agricola, quam ille accusator (25), illa scilicet conditione, qua superius diximus. — *Et artificium obliviscatur*) Sensus talis est: quoniam Chrysogonus vituperavit vitam rusticam, desinat ipse exsequi curam colendorum agrorum, quos Roscio abstulit (26). Nam licet doleat Roscius quod amisit agros, tamen contentus est, si vel vitam habeat; ut ostendat crudelem esse Chrysogonum, qui ne inopia quidam aliena contentus est. — *Hoc vero est quod ferri non potest*) Sensus huius capitis talis est: Causa, inquit, totius periculi agrorum possessio est. Argumentum falsi criminis cultura; nam ideo accusatur Roscius, quia dives fuit. Id est inventum argumentum criminis, quoniam agros coluit: idcirco dicitur occidisse patrem, quia in agro fuit; sed tamen, inquit, liberatus est omni suspicione; nam ipsos agros aliis coluit, scilicet Chrysogono.

Cap. XVIII. *Nae tu Eruci*) Apud antiquos iidem dabant ruri operam, qui militiae (27). M. Attilius Serranus semper ruri dabat operam; hic dum terrae semina mandaret, missi sunt ad eum legati. Factus est consul. Aratorium pulverem palmata tersit. Hoc ergo dicit Tullius: Tu Eruci, qui vituperas

Quod ferri non potest) Putean. et Lambin. malebant *ferre*. Bene autem Heusingerus monuit in altero *ferri* vim esse maiorem.

stissimum iudicares. At hercule maiores nostri longe aliter et de illo et de ceteris talibus viris existimabant. Itaque ex minima tenuissimaque re publica maximam et florentissimam nobis reliquerunt. Suos enim agros studiose colebant: non alienos cupide appetebant: quibus rebus et agris et urbibus et nationibus rem publicam atque hoc imperium et populi romani nomen auxerunt. Neque ego haec eo profero, quo conferenda sint cum hisce, de quibus nunc quaerimus; sed ut illud intelligatur, quum apud maiores nostros summi viri clarissimique homines, qui omni tempore ad gubernacula rei publicae sedere debebant, tamen in agris quoque colendis aliquantum operae temporisque consumpserint: ignosci oportere ei homini, qui se fateatur esse rusticum, quod ruri assiduus semper vixerit; quum praesertim nihil esset, quod aut patri gratius, aut sibi iucundius, aut re vera honestius facere posset.

XIX. Odium igitur acerrimum patris in filium ex hoc, opinor, ostenditur, Eruci, quod hunc ruri esse

vitam rusticanam, valde stultus esses illo tempore, quo Serranus consul factus. Siquidem tanta innocentia agrorum est, ut civitati leges referant. — *Cupide appetebant*) Hic Sullam tangit, sub quo multi agros suos perdiderant. — *Neque haec profero quo conferenda sint.*) Quasi hoc accusator (28) obiiciat: Ergo tu confers Roscium cum illo Serrano et ceteris nobilissimis viris. Dicit Cicero: non ego confero cum his Roscium, sed volo ostendere, tantum posse agros, ut maiores nostri, quum semper rei publicae darent operam, tamen

Vt illud intelligatur) Codd. Oxx. IV, ed. Ven. *intelligas*. At h. l. non solum alloquitur Erucium.

Quod ruri assiduus semper vixerit) Vulgo *quum ruri assiduus*. Vrsinus malebat *qui ruri assiduus*. Neutrum vero satis accommodatum ad nexum sententiae. Sed quia Erucius hoc crimini dabat Roscio, quod ruri assiduus vixisset, hic quoque legendum est, *ignosci oportere ei homini, qui se fateatur esse rusticum, quod — vixerit*. *Semper* Ernestio de glossa suspectum. Beckio vero *assiduus* huc e c. 29 illatum videbatur. Potest tamen utrumque defendi hoc sensu: Roscium semper ita vixisse ruri, ut nunquam discederet.

patiebatur. Numquid est aliud? « Immo vero, inquit, est. Nam istum exheredare in animo habebat. » Audio; nunc dicis aliquid, quod ad rem pertineat. Nam illa, opinor, tu quoque concedis levia esse atque inepta: « Convivia cum patre non inibat. » Quippe qui ne in oppidum quidem, nisi perraro, veniret. « Domum suam istum non fere quisquam vocabat. » Nec mirum, qui neque in urbe viveret, neque revocaturus esset. Verum haec quoque tu intelligis esse nugatoria. Illud, quod coepimus, videamus; quo certius argumentum odii reperiri nullo modo potest. Exheredare pater filium cogitabat. Mitto quaerere, qua de causa: quaero, qui scias; tametsi te dicere atque enumerare causas omnes oportebat. Et id erat certi accusatoris officium, qui tanti sceleris argueret, explicare omnia vitia atque peccata filii, quibus incensus parens potuerit animum inducere, ut naturam ipsam vinceret, ut amorem illum penitus insitum eiiceret ex animo, ut denique patrem se esse oblivisceretur. Quae sine magnis huiusce peccatis accidere potuisse non arbitror. Verum concedo tibi, ut ea praetereas, quae quum taces, nulla esse concedis. Illum quidem voluisse exheredare, certe tu planum facere debes. Quid ergo affers,

semper agros coluerint. — *Patiebatur*) Bene dicit *patiebatur*, quasi magis volenti obtemperaverit pater, quum ipse voluerit esse. — *Quisquam vocabat*) Id est ad coenam. Severitatem iudicis risu relaxavit, quoniam ille obiecerat: cum nullo convivium iniit. Dicit Cicero: quis eum pasceret, qui et in agro

Qui neque in urbe viveret, neque revocaturus esset) Sic Grut. e. codd. Pall. post Ian. Gulielmium in quaestionibus Plautinis c. 8. Antea legebatur: *qui neque in urbe viveret, neque rure vocaturus esset.* Lambin. et Manut. *quem neque in urbe videret, neque ruro vocaturus esset.*

Neque revocaturus esset) Hoc est, nemo eum invitabat ad convivia, quia neque in urbe vivebat, neque par pari reddere poterat. Hoc enim sensu saepe usurpantur *voco*, et *revoco*. Martial. lib. 2, ep. 27: *Nunquam me revocas, venias cum saepe vocatus.* FACC.

quare id factum putemus? Vere nihil potes dicere. Finge aliquid saltem commode; ut ne plane videaris id facere, quod aperte facis, huius miseri fortunis, et horum virorum talium dignitati illudere. Exheredare filium voluit? Quam ob causam? nescio. Exheredavitne? non. Quis prohibuit? cogitabat. Cogitabat? cui dixit? nemini. Quid est aliud, iudicio ac legibus, ac maiestate vestra abuti ad quaestum atque ad libidinem, nisi hoc modo accusare, atque id obiicere, quod planum facere, non modo non possis, verum ne coneris quidem? Nemo nostrum est, Eruci, quin sciat, tibi inimicitias cum Sex. Roscio nullas esse. Vident omnes, qua de causa huic inimicus venias. Sciunt, huiusce pecunia te adductum esse. Quid ergo est? Ita tamen quaestus te cupidum esse oportebat, ut horum existimationem et legem Remmiam putares aliquid valere oportere.

XX. Accusatores multos esse in civitate utile est, ut metu contineatur audacia: verumtamen hoc ita est utile, ut ne plane illudamur ab accusatoribus.

esset semper, et oonquam invitantem invitaturus esset — *Nemini vestrum est Eruci*) Apud aotiquos eloquentia nullo praemio laudabilior fuit: siquidem omnis ars ex pretio vilior efficitur. Ergo nec accusator nec defensor accipiebat peconiam. Modo vult ostendere orator, quia accepit pecuniam Erucius, ut accusaret Roscium. Nam ostendit cum eo inimicitias fuisse; socia ergo res est, ut hoc quadruplatione fecerit; nam si accusasset aliquis reum et vicisset, quartam partem bonorum eius accipiebat.

Cap. XX. *Legem Remmiam*) qua, qui calumniabatur, damnabatur, si crimen approbare non poterat. — *Accusatores — esse*) Semper vitia vicino (29) timore villescunt. Ergo in his capitibus hoc dicit Cicero: in civitate semper debent plures accusatores esse, ut timeant improbi (Accusandi sunt, si suspicione noo careant) (30) vel inooceotes. Nam nocentes damnari non possunt, nisi accusati fuerint; et si qua erit suspicio innocentibus, dum ac-

Legem Remmiam) Sic recte Edd. pr. At Ald. *Memmiam*, quod Pighius quoque defendit ad a. 613. Verum autem est *Remmiam*, qua lege poena calumniatoribus irrogabatur. Marcian. ad SC. Turpiliao. Digestor lib. XLVIII, tit. 6.

Innocens est quispiam; verum, quamquam abest a culpa, suspicione tamen non caret. Tametsi miserum est, tamen ei, qui hunc accuset, possim aliquo modo ignoscere. Quum enim aliquid habeat, quod possit criminose ac suspiciose dicere, aperte ludificari et calumniari sciens non videatur. Quare facile omnes patimur, esse quamplurimos accusatores, quod innocens, si accusatus sit, absolvi potest; nocens, nisi accusatus fuerit, condemnari non potest. Vtilius est autem absolvi innocentem, quam nocentem causam non dicere. Anseribus cibaria publice locantur, et canes aluntur in Capitolio, ut significent, si fures venerint. At fures internoscere non possunt. Significant tamen, si qui noctu in Capitolium venerint; et, quia id est suspiciosum, tametsi bestiae sunt, tamen in eam partem potius peccant, quae est cautior. Quod si luce quoque canes latrent, quum deos salutatum aliqui venerint: opinor, iis crura suffringantur, quod acres sint etiam tum, quum suspicio nulla sit. Simillima est accusatorum ratio. Alii vestrum anseres sunt, qui tantummodo clamant, nocere non possunt; alii canes, qui et latrare et mordere possunt. Cibaria vobis praeberi videmus; vos autem maxime debetis in eos impetum facere, qui merentur. Hoc populo gratissimum est. Deinde, si voletis, etiam tum, quum veri simile erit aliquem commisisse, in suspicione la-

cusantur, purgari possunt. Ergo non sunt reprehendendi accusatores. — *Anseribus cibaria*) In Capitolio canes et anseres cibaria solebant accipere, propterea quod anseres nuntii sunt hostium; canes ultores; quod enim illi

Verum quamquam abest a culpa) Vulgo: *verumtamen;* molestissimo pleonasmo, quum in eodem inciso sequatur *tamen*. Praeterea paulo ante praecesserat *verumtamen*. Itaque hoc loco *verumtamen* librarii vitio repetitum. Cicero scripsit *verum — quamquam — tamen*. Eodem modo Plautus Amphitr. I, 1, 244: *Verum, utut ei facturus, hoc quidem hercle haud reticebo tamen.*

tratote. Id quoque concedi potest. Sin autem sic agetis, ut arguatis aliquem patrem occidisse, neque dicere possitis, aut quare, aut quomodo, ac tantummodo sine suspicione latrabitis: crura quidem vobis nemo suffringet; sed si ego hos bene novi, literam illam, cui vos usque eo inimici estis, ut etiam Kalendas omnes oderitis, ita vehementer ad caput affigent, ut postea neminem alium, nisi fortunas vestras, accusare possitis.

XXI. Quid mihi ad defendendum dedisti, bone accusator? quid hisce autem ad suspicandum? « Ne exheredaretur, veritus est. » Audio. Sed qua de causa vereri debuerit, nemo dicit. « Habebat pater in animo. » Planum fac. Nihil est: non, quicum deliberarit, quem certiorem fecerit, unde istud vobis suspicari in mentem venerit. Quum hoc modo accusas,

clamoribus nuntiant, hi morsibus vindicant. — *Litera illa*) Quotiescumque aliquem damnabant iudices K litera faciebant (31); A absolvebant. Hoc ergo dicit Cicero, *si aliquem sine suspicione accusaveritis*; vobis crura frangantur (32). Literam K sic odistis, ut etiam propter ipsas fugiatis Kalendas, propterea quod Kalendae per K scribuntur.

Literam illam — ad caput affigent) Literam K., Kalumniae notam, quae frontibus calumniatorum lege Remmia inurebatur.

Vt etiam Kalendas omnes oderitis) Vulgo *ut etiam eas omnes oderitis*. Hotom. corrigebat: *ut etiam alias omnes oderitis*. In codd. Paris. Lallem. et cod. B. ox. est *calomnis*. Inde Stephanus, Pighius, Vossius, quibus nuper Garatonus secessit, recte collegerunt legendum esse: *ut etiam Kalendas omnes oderitis*. Ex vulgata lectione Cicero diceret, istos accusatores adeo inimicos esse literae K, ut etiam alias literas omnes oderint; quo nihil fingi potest ineptius. Nam cur calumniatores propter literam K, quam metuebant, alias quoque literas A, B, C — Z odissent? Magis etiam frigeret iocus, si per amphiboliam vocaboli literae Cicero innuisset istos accusatores indoctos et illiteratos esse. Quid? quod supra c. 16 Erucius dicitur *ne a literis quidem alienus* fuisse. Ergo verum est *Kalendas omnes oderitis*. Kalendae enim obaeratis debitoribus tristes erant et odiosae. Et sic vetus interpres: *literam K sic odistis, ut etiam per* (leg. *propter*) *ipsam fugiatis Kalendas, propterea quod Kalendae per K scribuntur*, quem locum commemoravit Heusingerus.

Eruci, nonne hoc palam dicis? « Ego, quid acceperim, scio; quid dicam, nescio; unum illud spectavi, quod Chrysogonus aiebat, neminem isti patronum futurum; de bonorum emptione, deque ea societate neminem esse, qui verbum facere hoc tempore auderet. Haec te opinio falsa in istam fraudem impulit. Non mehercule verbum fecisses, si tibi quemquam responsurum putasses. Operae pretium erat, si animadvertistis, iudices, negligentiam eius in accusando considerare. Credo, quum vidisset, qui homines in hisce subselliis sederent, quaesisse, num ille, aut ille defensurus esset; de me ne suspicatum quidem, quod antea causam publicam nullam dixerim. Posteaquam invenit neminem eorum, qui possunt et solent, ita negligens esse coepit, ut quum in mentem veniret ei, resideret; deinde spatiaretur; nonnunquam etiam puerum vocaret, credo, cui coenam imperaret: prorsus ut vestro consessu et hoc conventu pro summa solitudine abuteretur. Peroravit aliquando; assedit; surrexi ego. Respirare visus est, quod non alius potius diceret. Coepi dicere. Vsque eo animadverti, iudices, eum iocari atque alias res agere, antequam Chrysogonum nominavi: quem simul atque attigi, statim homo se erexit. Mirari visus est. Intellexi, quid eum pupugisset. Iterum ac tertio nominavi. Postea homines cursare ultro et citro non destiterunt; credo, qui Chrysogono nuntiarent, esse aliquem in civitate, qui contra voluntatem eius dicere auderet; aliter causam agi, atque ille existimaret; aperiri bo-

Cap. XXI. *Publicam*) Bene dixit *publicam*. Ceterum privatas dixerat, ut Quintianam et ceteras. — *Vt vestro consessu pro summa*) Hoc vel ad notionem iudicum dixit, quos dicit ita contemplui ductos habere Erucium, ut etiam hoc potuerit cogitare; vel certe ad irrisionem dixit.

Cap. XXII. *Simul atque attigi*) Bene dixit *attigi*; potentem et qui se nollet

norum emptionem; vexari pessime societatem; gratiam, potentiamque eius negligi; iudices diligenter attendere; populo rem indignam videri.

XXII. Quae quoniam te fefellerunt, Eruci, quoniamque vides versa esse omnia; causam pro Sex. Roscio, si non commode, at libere dici; quem dedi putabas, defendi intelligis; quos tradituros sperabas, vides iudicare: restitue nobis aliquando veterem tuam illam calliditatem atque prudentiam: confitere huc ea spe venisse, quod putares hic latrocinium, non iudicium futurum. De parricidio causa dicitur; ratio ab accusatore reddita non est, quam ob causam patrem filius occiderit. Quod in minimis noxis, et in his levioribus peccatis, quae magis crebra et iam prope quotidiana sunt, maxime et primum quaeritur, quae causa maleficii fuerit; id Erucius in parricidio quaeri non putat oportere. In quo scelere, iudices, etiam quum multae causae convenisse unum in locum, atque inter se congruere videntur: tamen non temere creditur, neque levi coniectura res penditur, neque testis incertus auditur, neque accusatoris ingenio res iudicatur. Quum multa antea commissa maleficia, tum vita hominis perditissima, tum singularis auda-

nominari. — *Quae quoniam*) Erucium irridet. — *De parricidio causa dicitur*) Cecidit locus communis de parricidio, quemadmodum superius, non potuisse parricidium fieri sine causa.

Confitere huc ea spe venisse) Hotomannus legendum putabat: *aut confitere te*; hoc sensu: utere nunc vetere illa tua calliditate oratoria; refer pristinam illam tuam prudentiam, qua in quavis mala causa tamen aliquid commode fingebas; aut si id non potes, confitere etc. Facciolatus sic interpretatur. Dic aliquid nunc demum dignum te; confitere te antea oscitanter egisse, quod putares etc. Neutrum satis aptum. Cicero potius hoc dicit. Restitue nobis aliquando veterem illam calliditatem, quae te nunc quidem in hoc negotio destituit.

Quod in minimis noxis) Sic codd. Oxonn. plerique. Lambin. Vulgo *noxiis*. Vtrumque probum; sed *noxis* h. l. ad sonum melius.

cia ostendatur necesse est: neque audacia solum, sed summus furor atque amentia. Haec quum sint omnia, tamen exstent oportet expressa sceleris vestigia, ubi, qua ratione, per quos, quo tempore maleficium sit admissum. Quae nisi multa et manifesta sunt, profecto res tam scelesta, tam atrox, tam nefaria credi non potest. Magna est enim vis humanitatis; multum valet communio sanguinis; reclamitat istiusmodi suspicionibus ipsa natura; portentum atque monstrum certissimum est, esse aliquem humana specie et figura, qui tantum immanitate bestias vicerit, ut, propter quos hanc suavissimam lucem adspexerit, eos indignissime luce privarit; quum etiam feras inter sese partus atque educatio et natura ipsa conciliet.

XXIII. Non ita multis ante annis, aiunt, T. Caelium quendam Terracinensem, hominem non obscurum, quum coenatus cubitum in idem conclave cum duobus adolescentibus filiis isset, inventum esse mane iugulatum. Quum neque servus quisquam reperiretur, neque liber, ad quem ea suspicio pertineret; id aetatis autem duo filii propter cubantes ne sensisse quidem se dicerent: nomina filiorum de parricidio delata sunt.

CAP. XXIII. *Non ita multis annis*) Caecilius quidam Terracinensis fuit; hic habuit adolescentes filios. Quum in uno conclavi essent, mane pater occisus est. Quum ageretur causa, argumentabatur accusator filiorum, quod ipsi fecissent parricidium; poterat, inquit, aliquis alius occidere, quum ibidem essent duo filii adolescentes, qui possent defendere? Quum paene vincerentur filii, interrogarunt iudices, quomodo eos iuvenissent iuvenes? Dixerunt: dormientes. Tunc pronuntiaverunt iudices, innocentes iuvenes; nunquam enim tale facinus habere quietem. Ostendit autem tantum (33) valere parricidium, ut statim prodatur conscientia.

Propter quos) Nonnulli, ut Facciolat. *per quos*.

T. Caelium) Sic Heusingerus coll. Valer. Max. VIII, 1. Vulgo *T. Cloelium*.

Quendam Terracinensem) Vulg. *Tarracinensem*; altera forma, quae est in vetustis inscriptionibus, Heusingero placuit.

Quid postea? Erat sane suspiciosum, neutrum sensisse; ausum autem esse quemquam, se in id conclave committere, eo potissimum tempore, quum ibidem essent duo adolescentes filii, qui et sentire et defendere facile possent. Erat porro nemo, in quem ea suspicio conveniret. Tamen quum planum iudicibus esset factum, aperto ostio dormientes eos repertos esse; iudicio absoluti adolescentes, et suspicione omni liberati sunt. Nemo enim putabat, quemquam esse, qui, quum omnia divina atque humana iura scelere nefario polluisset, somnum statim capere posset; propterea quod qui tantum facinus commiserunt, non modo sine cura quiescere, sed ne spirare quidem sine metu possint.

XXIV. Videtisne, quos nobis poëtae tradiderunt, patris ulciscendi causa, supplicium de matre sumpsisse, quum praesertim deorum immortalium iussis atque oraculis id fecisse dicantur, tamen ut eos agitent

Cap. XXIV. *Videtisne eos*) Orestes et Alcmaeon bonum in parricidio piae mentis exemplum. Isti, si credendum est, matres suas bona mente percusserunt.

Quid postea? Erat sane suspiciosum, neutrum sensisse) Vulgo: *Quid postea? Erat sane suspiciosum. Neutrum sensisse?* Locus sane corruptus ex vitiosa punctuatione, quem Critici parum probabilibus coniecturis varie tentarunt, atque ediderunt. Vid. not. seq. Typ. T.

Qui et sentire et defendere facile possent) Post *sensisse* et post *possent* auctore Heusingero interrogandi signa sustuli. — Recte quidem, quod interrogationis signum expunxerit. Sed ad sententiae perspicuitatem, post *suspiciosum* commate tantum distinguendum censeo, neutiquam puncto, qui sensum obturbat. Hoc modo infinit. *sensisse* habet, a quo pendeat; nempe ab *erat*. Typ. T.

Somnum statim capere posset) Sic Ern. pro vulg. *potuisset*, quod Beckius revocavit.

Ne spirare quidem sine metu possint) *Possint* habent tres Oxonn. Ern. cum aliis *possunt*, quasi haec e Ciceronis persona dicta sint. Recte vero Beckius coniunctivum defendit. Garaton. coni. *sed ne respirare quidem metu possint.*

Quos nobis poëtae) Orestem, et Alcmaeonem; de quibus vide Mythologos. Facc.

furiae, neque consistere usquam patiantur; quod ne pii quidem sine scelere esse potuerunt? Sic se res habet, iudices. Magnam vim, magnam necessitatem, magnam possidet religionem paternus maternusque sanguis; ex quo si qua macula concepta est, non modo elui non potest, verum usque eo permanat ad animum, ut summus furor atque amentia consequatur. Nolite enim putare, quemadmodum in fabulis saepenumero videtis, eos, qui aliquid impie scelerateque commiserint, agitari et perterreri Furiarum taedis ardentibus. Sua quemque fraus et suus error maxime vexat; suum quemque scelus agitat, amentiaque afficit; suae malae cogitationes conscientiaeque animi terrent. Hae sunt impiis assiduae domesticaeque Furiae, quae dies noctesque parentum poenas a consceleratissimis filiis repetant. Haec magnitudo maleficii facit, ut, nisi paene manifestum parricidium proferatur, credibile non sit: nisi turpis adolescentia, nisi omnibus flagitiis vita inquinata, nisi sumptus effusi cum probro atque dedecore, nisi prorupta audacia, nisi tanta temeritas, ut non procul abhorreat ab insania. Accedat huc oportet odium parentis, animadversionis paternae metus, amici improbi, servi conscii, tempus idoneum, locus opportune captus ad eam rem: paene dicam, respersas manus sanguine paterno iudices videant oportet, si tantum facinus, tam immane, tam acerbum credituri sint. Quare hoc, quo minus est credibile, nisi ostenditur, eo magis est, si convincitur, vindicandum.

XXV. Itaque quum multis ex rebus intelligi potest, maiores nostros non modo armis plus, quam

Non modo elui) In multis codd. et edd. vett. est *leniri*. Recte Victorius *elui*. Ita Or. pro Sext. c. 29, *macula quam nemo potest eluere*.

Filiis repetant) Fortasse verius *repetunt*.

ceteras nationes, verum etiam consilio sapientiaque potuisse: tum ex hac re vel maxime, quod in impios singulare supplicium invenerunt. Qua in re quantum prudentia praestiterint iis, qui apud ceteros sapientissimi fuisse dicuntur, considerate. Prudentissima civitas Atheniensium, dum ea rerum potita est, fuisse traditur. Eius porro civitatis sapientissimum Solonem dicunt fuisse; eum, qui leges, quibus hodie quoque utuntur, scripserit. Is quum interrogaretur, cur nullum supplicium constituisset in eum, qui parentem necasset, respondit, se id neminem facturum putasse. Sapienter fecisse dicitur, quum de eo nihil sanxerit, quod antea commissum non erat, ne non tam prohibere, quam admonere videretur. Quanto maiores nostri sapientius? qui quum intelligerent, nihil esse tam sanctum, quod non aliquando violaret audacia, supplicium in parricidas singulare excogitaverunt: ut, quos natura ipsa retinere in officio non potuisset, ii magnitudine poenae maleficio summoverentur. Insui voluerunt in culeum vivos, atque ita in flumen deiici. O singularem sapientiam, iudices! Nonne videntur hunc hominem ex rerum natura sustulisse et eripuisse, cui repente caelum, solem, aquam, terramque ademerint; ut, qui eum necasset,

Cap. XXV. *Quantum prudentia praestiterint his*) Athenienses dicit, unde leges latae sunt. — *Solonem dicunt*) Solon quidem Atheniensis fuit, hic legum inventor. — *Insui in culeum vivos*) Hic locus a criticis reprehensus est; hunc autem alibi laudat Cicero (34). Sciendum tamen est, quia in hoc capite genus dicendi altum est; tractat enim de supplicio parricidarum.

Retinere in officio non potuisset) Ernestius hic legendum putat *posset*. Nam, inquit, quum iam peccavere, non possunt poena a maleficio summoveri. At nihil est mutandum. Sensus enim est: ut ii quos natura ipsa, nisi poena fuisset legibus proposita, in officiis continere non potuisset, magnitudine poenae a maleficio summoveantur.

Maleficio summoverentur) Erasmus coniecit *maleficio summo arcerentur*. Sed verum est *summoverentur*.

Terramque ademerint) *Ademerint*

unde ipse natus esset, careret iis rebus omnibus, ex quibus omnia nata esse dicuntur? Noluerunt feris corpus obiicere, ne bestiis quoque, quae tantum scelus attigissent, immanioribus uteremur: non sic nudos in flumen deiicere, ne quum delati essent in mare, ipsum polluerent, quo cetera, quae violata sunt, expiari putantur. Denique nihil tam vile, neque tam vulgare est, cuius partem ullam reliquerint. Etenim quid tam est commune, quam spiritus vivis, terra mortuis, mare fluctuantibus, litus eiectis? Ita vivunt, dum possunt, ut ducere animam de caelo non queant; ita moriuntur, ut eorum ossa terra non tangat: ita iactantur fluctibus, ut nunquam alluantur: ita postremo eiiciuntur, ut ne ad saxa quidem mortui conquiescant.

XXVI. Tanti maleficii crimen, cui maleficio tam insigne supplicium est constitutum, probare te, Eruci, censes posse talibus viris, si ne causam quidem maleficii protuleris? Si hunc apud bonorum emptores ipsos accusares, eique iudicio Chrysogonus praeesset; tamen diligentius paratiusque venisses. Vtrum, quid agatur, non vides? an apud quos aga-

Cap. XXVI. *Ex quibus omnia nata esse dicuntur*) Qui parentem persequitur naturae iura solvit. Constat nos a parentibus nutriri, si qui autem parentes necant, parentibus debent carere. Ex quatuor elementis constare omnia notum est, aëre, igni, aqua, terra; his etiam nutrimur; ergo ideo voluerunt maiores parricidas insui culeis, ut carerent aëre, terra, igni, aqua, quae nutrirent hominem, quemadmodum parentes. Nam qui parentes necat, debet negari parentibus, id est, elementis, quae nos nutriunt. — *Expiari dicuntur*) Sic hoc dixit, quasi omnia scelera mari expientur.

Ernesti dedit ex edd. pr. usque ad Iuntam. Aldus edidit *ademerunt*.

Partem ullam) Oliv. addit *eis*. Ed.

Eorum ossa terra non tangat) Apud Cic. in Oratore c. 30, ubi hunc locum magnis a populo clamoribus exceptum scribit, est *terram non tangant*.

Vt nunquam alluantur) Hanc lectionem cum Hotomanno et Facciolato praetuli alteri, quam Graevius defendit, *abluantur*.

tur? Agitur de parricidio; quod sine multis causis suscipi non potest. Apud homines autem prudentissimos agitur; qui intelligunt, neminem ne minimum quidem maleficium sine causa admittere.

XXVII. Esto; causam proferre non potes. Tametsi statim vicisse debeo, tamen de meo iure decedam, et tibi, quod in alia causa non concederem, in hac concedam, fretus huius innocentia. Non quaero abs te, quare patrem Sex. Roscius occiderit: quaero, quomodo occiderit. Ita quaero abs te, C. Eruci, quomodo: et sic tecum agam, ut in eo loco vel respondendi vel interpellandi tibi potestatem faciam, vel etiam, si quid voles, interrogandi. Quomodo occidit? Ipse percussit, an aliis occidendum dedit? Si ipsum arguis, Romae non fuit: si per alios fecisse dicis, quaero, servosne an liberos? cuiates homines? indidemne Ameria, an hosce ex urbe sicarios? Si Ameria: qui sunt hi? cur non nominantur? Si Roma: unde eos noverat Roscius, qui Romam multis annis non venit, neque unquam plus triduo fuit? Vbi eos convenit? quicum loquutus est? quomodo persuasit? Pretium dedit? cui dedit? per quem dedit? unde, aut quantum dedit? Nonne his vestigiis ad caput maleficii perveniri solet? Et simul tibi in mentem veniat facito, quemadmodum vitam huiusce depinxeris; hunc hominem ferum atque agrestem fuisse; nunquam cum homine quoquam colloquutum esse; nunquam in oppido constitisse. Qua in re praetereo illud, quod mihi maximo argu-

Ita quaero abs te, C. Eruci) Vrsin. *itaque abs te, C. Eruci, quaero*; Hotoman. coni. *ita, ita quaero abs te C. Eruci.*

Cuiates homines?) Ita rescripsi pro vulg. *quos homines.* Nam quum iam quaesisset *servosne an liberos*, non poterat subiungere *quos homines?*

Si Roma) Ita recte Graev. Manut. alii. At codd. V. Oxonn. cum nonnullis edd. male *Romae.*

mento ad huius innocentiam poterat esse, in rusticis moribus, in victu arido, in hac horrida incultaque vita istiusmodi maleficia gigni non solere. Vt non omnem frugem, neque arborem in omni agro reperire possis: sic non omne facinus in omni vita nascitur. In urbe luxuries creatur; ex luxuria exsistat avaritia necesse est; ex avaritia erumpat audacia; inde omnia scelera ac maleficia gignuntur. Vita autem haec rustica, quam tu agrestem vocas, parsimoniae, diligentiae, iustitiae magistra est.

XXVIII. Verum haec missa facio. Illud quaero: is homo, qui, ut tute dicis, nunquam inter homines fuerit, per quos homines hoc tantum facinus, tam occultum, absens praesertim, conficere potuerit. Multa sunt falsa, iudices, quae tamen argui suspiciose possunt. In his rebus si suspicio reperta erit, culpam inesse concedam. Romae Sex. Roscius occiditur, quum in agro Amerino esset filius. Literas, credo, misit alicui sicario, qui Romae noverat neminem. Arcessivit aliquem. Quando? Nuntium misit. Quem? aut ad quem? Pretio, gratia, spe, promissis induxit aliquem? Nihil horum ne confingi quidem potest; et tamen causa de parricidio dicitur. Reliquum est, ut per servos id admiserit. O dii immortales! rem miseram et calamitosam. Quod in tali crimine innocenti saluti solet esse, ut servos in quaestionem polliceatur, id Sex. Roscio facere non licet. Vos, qui hunc accusatis, omnes eius servos habetis. Vnus puer,

Cap. XXVII. *Frugem neque arborem*) Quia de rusticitate loquitur, exempla posuit arborum.

Arcessivit aliquem. Quando?) Sic Priscianus p. 902 ed. Putsch. Vulgo: *Arcessivit aliquem; at quando?*

Quod — innocenti saluti solet esse) Passerat. sine causa corrigebat *nocenti*. Ceterum ante *innocenti* aliquot codd. repetunt *quod*.

victus quotidiani administer, ex tanta familia Sex. Roscio relictus non est. Te nunc appello, P. Scipio, te, Metelle: vobis advocatis, vobis agentibus, aliquoties duos servos paternos in quaestionem ab adversariis Sex. Roscius postulavit. Meministine te, T. Rosci, recusare? Quid? ii servi ubi sunt? Chrysogonum, iudices, sectantur; apud eum sunt in honore et in pretio. Etiam nunc, ut ex his quaeratur, ego postulo; hic orat atque obsecrat. Quid facitis? cur recusatis? Dubitate etiam nunc, iudices, si potestis, a quo sit Sex. Roscius occisus: ab eone, qui, propter illius mortem, in egestate et insidiis versatur; cui ne quaerendi quidem de morte patris potestas permittitur: an ab iis, qui quaestionem fugitant, bona possident, in caede atque ex caede vivunt. Omnia, iudices, in hac causa sunt misera atque indigna; tamen hoc nihil neque acerbius, neque iniquius proferri potest: mortis paternae de servis paternis quaestionem habere filio non licet. Ne tamdiu quidem dominus erit in suos, dum ex iis de patris morte quaeratur? Veniam, neque ita multo post, ad hunc locum.

Cap. XXVIII. *Te nunc Scipio*) Metellus Scipio urgebat, ut servi Roscii torquerentur, et ex his quaereretur, a quo pater esset occisus. — *Veniam neque ita multo post ad hunc locum*) Huoc locum Cicero differt, ut contra Roscios respoodeat. Nam modo se dicit impediri persons Erucii; modo, inqoit, respondeam Erucio, post ad Roscios veniam. Vult aotem quaerere, quomodo factum sit parricidium.

Meministine te) Sic Victor. Aliquot MSS. *meministine* sine *te*. Olim edebatur: *Meministine T. Roscium recusare.*

Dubitate etiam nunc, iudices, si potestis) Quidam teste Lambino malebaut cum interrogatione legi: *dubitare e. i. potestis.*

Neque iniquius proferri potest) Vulgo hic τελείᾳ στιγμῇ distinguebatur. Id bene correxit Heusingerus, nam illud quo *nihil acerbius nec iniquius proferri posse* dicit, hoc ipsum est, quod mortis paternae de servis paternis quaestionem habere filio non liceat.

Dum ex iis de patris morte quaeratur?) Recte signum interrogationis cum indignatione hic posuit Heusingerus.

Nam hoc totum ad Roscios pertinet; de quorum audacia tum me dicturum pollicitus sum, quum Erucii crimina diluissem.

XXIX. Nunc, Eruci, ad te venio. Conveniat mihi tecum necesse est, si ad hunc maleficium istud pertinet, aut ipsum sua manu fecisse, id quod negas; aut per aliquos liberos, aut servos. Liberosne? quos neque ut convenire potuerit, neque qua ratione inducere, neque ubi, neque per quos, neque qua spe, aut quo pretio, potes ostendere. Ego contra ostendo, non modo nihil eorum fecisse Sex. Roscium, sed ne potuisse quidem facere: quod neque Romae multis annis fuerit, neque de praediis unquam temere discesserit. Restare tibi videbatur servorum nomen, quo, quasi in portum, reiectus a ceteris suspicionibus, confugere posses: ubi scopulum offendis eiusmodi, ut non modo ab hoc crimen resilire videas, verum omnem suspicionem in vosmetipsos recidere intelligas. Quid est ergo, quo tandem accusator, inopia argumentorum, confugerit? « Eiusmodi tempus erat, inquit, ut homines vulgo impune occiderentur. Quare tu hoc, propter multitudinem sicariorum, nullo negotio facere potuisti. » Interim mihi videris, Eruci, una mercede duas res assequi velle; nos iudicio perfundere; accusare autem eos ipsos, a

Nunc, Eruci, ad te venio) Fortasse legendum *ad te redeo*. Iamdudum enim eum eo egerat, et paululum modo ab eo degressus erat.

Interim mihi videris) F. Vrsini cod. *interdum*; rectius fortasse.

Nos iudicio perfundere) *Iudicio perfundere* est leviter et sine effectu accusare, vel ut Manutius intpr. aliqua iudicii molestia afficere. Comparavit Heusingerus Senecae ep. 23, ubi dicitur perfusoria voluptas levis, non solida. Immo quod alii monuerunt quaedam actiones dicebantur *perfusoriae* i. e. leves, calumniarum plenae. — *Nos iudicio perfundere*) Speciem quandam iudicii nobis offundere, re vera autem eos accusare etc. Est enim hoc in loco *perfundere*, quasi leviter aspergere. Facc.

quibus mercedem accepisti. Quid ais? Vulgo occidebantur. Per quos? et a quibus? Nonne cogitas, te a sectoribus huc adductum esse? « Quid postea? » Nescimus, per ista tempora, eosdem fere sectores fuisse collorum, et bonorum? Ii denique, qui tum armati dies noctesque concursabant, qui Romae erant assidui, qui omni tempore in praeda et sanguine versabantur, Sex. Roscio temporis illius acerbitatem iniquitatemque obiicient: et illam sicariorum multitudinem, in qua ipsi duces ac principes erant, huic crimini putabunt fore? qui non modo Romae non fuit, sed omnino, quid Romae ageretur, nesciret, propterea quod ruri assiduus, quemadmodum tute confiteris, fuit. Vereor, ne aut molestus sim vobis, iudices, aut ne ingeniis vestris videar diffidere, si de tam perspicuis rebus diutius disseram. Erucii criminatio tota, ut arbitror, dissoluta est, nisi forte exspectatis, ut illà diluam, quae de peculatu, ac de eiusmodi rebus commentitiis, inaudita nobis ante hoc tempus ac nova, obiecit; quae mihi iste visus est ex alia oratione declamare, quam in alium reum commentaretur: ita neque ad crimen parricidii, neque ad eum, qui causam dicit, pertinebant. De quibus

Cap. XXIX. *Quid ais, Eruci, vulgo occidebantur*) Dum quaerebat Cicero per quos Roscius patrem suum occidere potuisset, dicebat adversariis * * * — *Sectores*) dicuntur, qui bona proscriptorum emunt. Hic ut adversarios laugeret, hoc dixit: Nescis, Eruci, hoc tempore esse sectores collorum et bonorum; nam adversarii occiderunt Roscium, et bona eius emerunt tanquam proscripti.

Sectores fuisse collorum, et bonorum?) Suaviter ludit in vocabulo *sector*. *Sectores* enim dicebantur, qui bona proscriptorum aut damnatorum universa emebant, ut deinde partes cum lucro venderent. Eosdem igitur ait fuisse, qui proscriptos occiderent, vel adeo quosdam, qui ne proscripti quidem essent, interficerent, ut deinde possent eorum bona invadere. — Colla autem secabantur, ut capita in rostra deferrentur. F.

quoniam verbo arguit, verbo satis est negare. Si quid est, quod ad testes reservet: ibi nos quoque, ut in ipsa causa, paratiores reperiet, quam putabat.

XXX. Venio nunc eo, quo me non cupiditas ducit, sed fides. Nam si mihi liberet accusare, accusarem alios potius, ex quibus possem crescere: quod certum est non facere, dum utrumvis licebit. Is enim mihi videtur amplissimus, qui sua virtute in altiorem locum pervenit, non qui ascendit per alterius incommodum et calamitatem. Desinamus aliquando ea scrutari, quae sunt inania: quaeramus, ubi maleficium et est, et inveniri potest. Iam intelliges, Eruci, certum crimen quam multis suspicionibus coarguatur. Tametsi neque omnia dicam, et leviter unumquodque tangam. Neque enim id facerem, nisi necesse esset. Et id erit signi, me invitum facere, quod non persequar longius, quam salus huius et mea fides postulabit.

XXXI. Causam tu nullam reperiebas in Sex. Roscio: at ego in T. Roscio reperio. Tecum enim mihi res est, T. Rosci, quoniam istic sedes, ac te palam adversarium esse profiteris. De Capitone post viderimus, si, quemadmodum paratum esse audio, testis prodierit:

CAP. XXX. *Desinamus aliquando ea scrutari*) Modo translationem facit a furtiva re. Proposuerat Cicero, ut de Chrysogoni potentia diceret, sed quia vidit superfluum, hoc dixit: desinamus ea quaerere, quae sunt inania; ad crimen veniamus, quod inveniri potest, id est, qui potuerit occidere Roscium. — *Alias quoque suas palmas*) Translationem facit pugnae gladiatoriae. Nam et superius hoc dixit. Palmas enim dicimus victorias gladiatorum; sensus autem talis est: Capito si voluerit contra nos testimonium dicere, demonstrem flagitia ipsius, quae me scire non putat.

Quaeramus, ubi maleficium et est) Recte Heusingerus exposuit: *quaeramus maleficium ibi, ubi est*, nempe in T. Roscio.

Quod non persequar longius) Sic lib. Vrsini, quod merito recepit Heusinger. Vulg. *prosequar*.

tum alias quoque suas palmas cognoscet, de quibus me ne audisse quidem suspicatur. L. Cassius ille, quem populus romanus verissimum et sapientissimum iudicem putabat, identidem in causis quaerere solebat, cui bono fuisset. Sic vita hominum est, ut ad maleficium nemo conetur sine spe atque emolumento accedere. Hunc quaesitorem ac iudicem fugiebant atque horrebant ii, quibus periculum creabatur: ideo quod, tametsi veritatis erat amicus, tamen natura non tam propensus ad misericordiam, quam inclinatus ad severitatem videbatur. Ego, quamquam praeest huic quaestioni vir, et contra audaciam fortisssimus, et ab innocentia clementissimus: tamen facile me paterer, vel illo ipso acerrimo iudice quaerente, vel apud Cassianos iudices, quorum etiam nunc ii, quibus causa dicenda est, nomen ipsum reformidant, pro Sex. Roscio dicere. In hac enim causa quum viderent, illos amplissimam pecuniam possidere, hunc in summa mendicitate esse: illud quidem non quaererent, cui bono fuisset, sed, eo perspicuo, crimen et suspicionem potius ad praedam adiungerent, quam

Palmas) Caedes. Palma dabatur gladiatoribus adversarios occidentibus. Itaque quum Capitonem superius gladistorem appellasset, non discedit a figura. Facc.

L. Cassius) De eius integritate, et severitate in iudicando vide Val. Maxim. lib. 1, cap. 7, et Asconium in Miloniana, cap. 12. Id.

Quam inclinatus) Vulgo *implicatus*; quae lectio est librorum antiquorum: sed sine dubio corrupta. Graevius coniecit *implacatus*, quod probat Ernestius, ut *implacatus ad severitatem* sic dicatur, ut *uberrimus ad fructum*. Heusingerus incidit coniectura in *replicatus*, i. e. quasi reflexus et restrictus ad severitatem. Ego vero cum Manutiis verum arbitror *inclinatus*. Sic de Orat. II, c. 44, coniunguntur *propendere et inclinare*.

Ab innocentia clementissimus) Recte exponit Ernestius: clemens est in gratiam eorum qui sunt innocentes.

Eo perspicuo) Vulgo *perspicuum*. Sed unice verum est *perspicuo*, quod Puteanus vidit et probavit Heusingerus. Sensus est: sed quum id perspicuum sit, cui bono fuerit Roscii caedes, illos potius suspectos haberent, qui praeda potiti essent etc. Waardenburgius nuper in opusculis p. 158 sic emendabat: *sed suspicionem, immo perspicuum crimen potius*.

ad egestatem. Quid si accedit eodem, ut tenuis antea fueris? quid si, ut avarus? quid si, ut audax? quid si, ut illius, qui occisus est, inimicissimus? num quaerenda causa, quae te ad tantum facinus adduxerit? Quid ergo horum negari potest? Tenuitas hominis eiusmodi est, ut dissimulari non queat, atque eo magis eluceat, quo magis occultatur. Avaritiam praefers, qui societatem coieris de municipis cognatique fortunis cum alienissimo. Quam sis audax (ut alia obliviscar) hinc omnes intelligere potuerunt, quod ex tota societate, hoc est ex tot sicariis, solus tu inventus es, qui cum accusatoribus sederes, atque os tuum non modo ostenderes, sed etiam offerres. Inimicitias tibi fuisse cum Sex. Roscio, et magnas rei familiaris controversias, concedas necesse est. Restat, iudices, ut hoc dubitemus, uter potius Sex. Roscium occiderit: is, ad quem morte eius divitiae venerint, an is, ad quem mendicitas; is, qui antea tenuis fuerit, an is, qui postea factus sit egentissimus; is, qui ardens avaritia feratur infestus in suos, an is, qui semper ita vixerit, ut quaestum nosset nullum, fructum autem eum solum, quem labore peperisset; is, qui omnium sectorum audacissimus sit, an is, qui propter fori iudiciorumque insolentiam, non modo subsellia, verum etiam urbem ipsam reformidet; postremo, iudices, id quod ad rem, mea sententia, maxime pertinet, utrum inimicus potius, an filius.

Cap. XXXI. *Quid ergo horum negari potest?*) Modo probat omnia, quae dixit. — *Restat, iudices, ut hoc dubitemus*) Ibi accusavit; modo comparat, et dicit, quod magis Roscius Capito potuerit occidere quam filius.

Avaritiam praefers) *Prae te fers* MS. Ursin. Probant Lambin. et Facciolat. Vulgatum *praefers* tenet Heusinger. ablegatque ad Cortium ad Plin. I, ep. 22.

XXXII. Haec tu, Eruci, tot et tanta si nactus esses in reo, quamdiu diceres? quo te modo iactares? tempus, hercule, te citius, quam oratio deficeret. Etenim in singulis rebus eiusmodi materies est, ut dies singulos possis consumere. Neque ego non possum: non enim mihi tantum derogo, tametsi nihil arrogo, ut te copiosius, quam me, putem posse dicere. Verum ego forsitan, propter multitudinem patronorum, in grege annumerer; te pugna Cannensis accusatorem sat bonum fecit. Multos caesos non ad Thrasimenum lacum, sed ad Servilium vidimus. *Quis*

Cap. XXXII. *Pugna Cannensis*) Non intelligebant iudices, quid esset pugna Cannensis, sed emendavit (35) et praesens exemplum protulit. Multos, inquit, caesos vidimus accusatores, non apud Thrasimenum, sed apud Servilium lacum caesos (36); quia dixerat *pugna Cannensis*, dicit *caesos*, quod est pugnae. — *Thrasimenum lacum*) Thrasimenum fluvium dicit, ubi Hannibal romanum peremit exercitum. — *Servilium*) Vbi Sulla inimicos suos occidit. — *Ferro*

Pugna Cannensis) Existimo pugnae Cannensis mentionem fieri, non ob ipsam pugnam, sed ob ea, quae pugnam consequuta sunt. Quemadmodum enim post illam pugnam coactus est Romanus dictator etiam praetextatos armare, atque adeo servus ipsos inopia liberorum capitum, ut narrat Livius lib. XXII, cap. 57, ita etiam post Sullanam stragem vel inepti homines coeperunt accusare, atque inopia bonorum videri boni. Itaque non tu, Eruci, bonus accusator es, inquit Tullius; sed bonum te facit pugna illa Cannensis, quae bonos sustulit. Facc.

Accusatorem sat bonum fecit) Recte exponit Heusingerus: te pugna Cannensis, caedes Mariana, Cinnana et proscriptio Sullana, accusatorem sat bonum fecit, occisis enim a Mario et Sulla ceteris, qui accusare poterant, et qui te longe eloquentiores erant, sat bonus accusator haberis, i. e. mediocriter bonus.

Ad Thrasimenum) Anno ante Cannensem pugnam romanus exercitus caesus est ab Annibale, ad lacum Thrasimenum, cuius hic orator mentionem facit, quia videtur respondere *lacui Servilio* in ipsa urbe Roma, ubi multa civium millia a Sulla trucidata sunt, eorumque capita publice exposita. Vnde lacus iste *proscriptionis Sullanae spoliarium* dicitur a Seneca lib. de Provid. c. 3. Facc.

Sed ad Servilium vidimus. Quis) Hunc locum iam Adrianus Iunius illustravit commemorans verba Iulii Firmici lib. I Math. *Visne aliquid tibi, quia in Syllanis temporibus versamur, de lacu Servilio referam? in quo multorum senatorum capita ad ostentationem humanissimi facinoris sectis cervicibus pependerunt*; itemque Senecae de Providentia c. 3: *Videant largum*

ibi *non est vulneratus ferro Phrygio?* Non necesse est omnes commemorare, Curtios, Marios, denique Memmios, quos iam aetas a proeliis avocabat: postremo Priamum ipsum, senem Antistium: quem non modo aetas, sed etiam leges pugnare prohibebant. Iam, quos nemo propter ignobilitatem nominat, sexcenti sunt, qui inter sicarios, et de veneficiis accusabant: qui omnes, quod ad me attinet, vellem viverent. Nihil enim mali est, canes ibi quam plurimos esse, ubi permulti observandi, multaque servanda sunt. Verum, ut fit, multa saepe imprudentibus imperatoribus vis belli ac turba molitur. Dum is in aliis rebus erat occupatus, qui summam rerum administrabat, erant interea qui suis vulneribus mederentur; qui

Phrygio) In Ennio haec fabula inducitur Achillis, quo tempore propter Briseidam cum Graecis pugnare noluit; quo etiam tempore Hector classem eorum incendit. In hac pugna Vlixes vulneratus inducitur, et fugiens ad Achillem venit. Quum interrogaretur ab Aiace cur fugisset, ille ut celaret dedecus virium (37): *Quis enim non vulneratus ferro Frugio.* Et quo tendit haec fabula? Scimus Sullam in pueritia turpissimum fuisse, unde Sallustius dixit: *max tanta flagitia in tali viro pudet dicere. Fruges* autem dicuntur infames. — *Curtios, Marios*) Isti omnes accusatores. — *Suis vulneribus mederentur*) Qui debebant illo tempore pecunias, et in ipso tumultu occidebant creditores suos.

in foro sanguinem, et supra Servilianum lacum (id enim proscriptionis Syllanae spoliarium est) senatorum capita etc.

Non est vulneratus ferro Phrygio?) Vtitur versiculo Enniano, ut significet multos accusatores in proscriptione Sullana interfectos esse.

Curtios, Marios, denique Memmios) Sic Fulv. Vrsinus legendum censuit, quia *Memmii* clari ea aetate accusatores fuerunt. Cic. Brut. c. 36. Astipulatur vetus liber, in quo scriptum *Memmeos.* Vulgo *Mamercos.*

A proeliis avocabat) I. e. ab accusationibus, ut recte exposuit Rotomannus, frustra repugnante Graevio.

Senem Antistium) P. *Antistium* (de quo vide in Bruto c. 49), ideo *Priamum* vocat, quia et senex erat, et princeps accusatorum.

Pugnare prohibebant) Recte Hotomannus coniicit Antistium ignominia affectum, aut turpi iudicio condemnatum fuisse, ut postea sit a iudiciis remotus. Nam ut scribit Vlpianus, « removentur a postulando personas turpitudine notabiles, veluti qui calumniae causa publico iudicio condemnatus est.

Qui suis vulneribus mederentur) Recte Graevius intelligit, qui rei fa-

tanquam si offusa rei publicae sempiterna nox esset, ita ruebant in tenebris, omniaque miscebant. A quibus miror, ne quod iudiciorum esset vestigium, non subsellia quoque esse combusta. Nam et accusatores et iudices sustulerunt. Hoc commodi est, quod ita vixerunt, ut testes omnes, si cuperent, interficere non possent. Nam, dum hominum genus erit, qui accuset eos, non deerit; dum civitas erit, iudicia fient. Verum, ut coepi dicere, et Erucius, haec si haberet in causa, quae commemoravi, posset ea quamvis diu dicere; et ego, iudices, possum; sed in animo est, quemadmodum ante dixi, leviter transire, ac tantummodo perstringere unamquamque rem; ut omnes intelligant, me non studio accusare, sed officio defendere.

XXXIII. Video igitur, causas esse permultas, quae istum impellerent. Videamus nunc, ecqua facultas suscipiendi maleficii fuerit. Vbi occisus est Sex. Roscius? «Romae.» Quid? tu, Rosci, ubi tunc eras? «Romae. Verum quid ad rem? et alii multi.» Quasi nunc id agatur, quis ex tanta multitudine occiderit, ac non hoc quaeratur, eum, qui Romae sit occisus, utrum veri similius sit ab eo esse occisum, qui assiduus eo tempore Romae fuerit: an ab eo, qui multis annis Romam omnino non accesserit. Age, nunc ceteras facultates quoque consideremus. Erat tum multitudo sicariorum, id quod commemoravit Erucius, et homines impune occidebantur. Quid? ea multitudo quae erat? Opinor, aut eorum, qui in bonis erant

CAP. XXXIII. *Aut eorum qui in bonis*) Id est qui volebant alienas res sibi miliaris vulneribus et egestati mederentur.

Verum quid ad rem?) Ern. coni. *Verum quid id ad rem?*

Qui in bonis erant occupati) Lambin. coni. *qui in bonis alienis erant occupati.* Vetus schol. interpretatur *qui volebant alienas res sibi vindicare;*

occupati; aut eorum, qui ab iis conducebantur, ut aliquem occiderent. Si eos putas, qui alienum appetebant: tu es in eo numero, qui nostra pecunia dives es; sin eos, quos, qui leviore nomine appellant, percussores vocant: quaere, in cuius fide sint et clientela: mihi crede, aliquem de societate tua reperies. Et, quidquid tu contra dixeris, id cum defensione nostra contendito; ita facillime causa Sex. Roscii cum tua conferetur. Dices, «Quid postea, si Romae assiduus fui?» Respondebo: At ego omnino non fui. «Fateor, me sectorem esse; verum et alii multi.» At ego, ut tute arguis, agricola et rusticus. «Non continuo, si me in gregem sicariorum contuli, sum sicarius.» At ego profecto, qui ne novi quidem quemquam sicarium, longe absum ab eiusmodi crimine. Permulta sunt, quae dici possunt, quare intelligatur, summam tibi facultatem fuisse maleficii suscipiendi; quae non modo idcirco praetereo, quod te ipsum non libenter accuso; verum eo magis etiam, quod, si de illis caedibus velim commemorare, quae tum factae sunt ista eadem ratione, qua Sex. Roscius occisus est, vereor, ne ad plures oratio mea pertinere videatur.

XXXIV. Videamus nunc strictim, sicut cetera, quae post mortem Sex. Roscii abs te, T. Rosci, facta sunt: quae ita aperta et manifesta sunt, ut medius fidius, iudices, invitus ea dicam. Vereor enim, cuicuimodi es, T. Rosci, ne ita hunc videar voluisse servare, ut tibi omnino non peper-

vindicare. — *Fateor me sectorem*) Modo quasi obiectio inimici est, et responsio Ciceronis. Ille negat se potuisse occidere, hic confirmat.

quem Heusingerus putat legisse *qui in bonis erant occupandis*, vel non multo aliter.

Aliquem) Id est, Chrysogonum, in cuius clientela erant sicarii, quia eorum opera utebantur. FACC.

Cuicuimodi es) Sic Priscian. XIII, recte. Vulgo *cuiusmodi*.

cerim. Quum hoc vereor, et cupio tibi aliqua ex parte, quod salva fide possim, parcere, rursus immuto voluntatem meam. Venit enim mihi in mentem oris tui. Tene, quum ceteri socii tui fugerent ac se occultarent, ut hoc iudicium non de illorum praeda, sed de huius maleficio fieri videretur, potissimum tibi partes istas depoposcisse, ut in iudicio versarere, et sederes cum accusatore? Qua in re nihil aliud assequeris, nisi ut ab omnibus mortalibus audacia tua cognoscatur et impudentia. Occiso Sex. Roscio, qui primus Ameriam nuntiat? Mallius Glaucia, quem iam antea nominavi, tuus cliens et familiaris. Quid attinuit eum id potissimum nuntiare, quod, si nullum iam ante consilium de morte ac de bonis eius inieras, nullamque societatem, neque sceleris, neque praemii, cum homine ullo coieras, ad te minime omnium pertinebat? Sua sponte Mallius nuntiat. Quid, quaeso, eius intererat? An, quum Ameriam non huiusce rei causa venisset, casu accidit, ut id, quod Romae audierat, primus nuntiaret? Cuius rei causa venerat Ameriam? « Non possum, inquit, divinare. » Eo rem iam adducam, ut nihil divinatione opus sit. Qua ratione Roscio Capitoni primum nuntiavit? Quum Ameriae Sex. Roscii domus, uxor, liberique essent; quum tot propinqui cognatique optime convenientes; qua ratione factum est, ut iste tuus cliens sceleris tui nuntius, T. Roscio

Cap. XXXIV. *Oris tui*) impudentiae (38). — *Huius maleficio fieri videntur*) Multi, inquit, sicarii conscii scelerum de medio fugerunt, ut quum in iudicium adductus esset Roscius, dum hic causam dicit, illorum scelera celarentur. Sed tamen nemo eorum Roscium accusat, tu quum ex ipsorum numero sis, Roscium, ut videaris innocens, solus accusas.

Qua in re nihil aliud assequeris) Ernestius, si libri addicerent, ait se praelaturum esse *qua tu re*.

Capitoni potissimum nuntiaret? Occisus est a coena rediens. Nondum lucebat, quum Ameriae scitum est. Quid hic incredibilis cursus? quid haec tanta celeritas festinatioque significat? Non quaero, quis percusserit. Nihil est, Glaucia, quod metuas. Non excutio te, si quid forte ferri habuisti, non scrutor; nihil ad me arbitror pertinere. Quoniam, cuius consilio occisus sit, invenio: cuius manu sit percussus, non laboro. Vnum hoc sumo, quod mihi apertum tuum scelus resque manifesta dat. Vbi aut unde audivit Glaucia, qui tam cito scivit? Fac audisse statim. Quae res eum nocte una tantum itineris contendere coëgit? quae necessitas eum tanta premebat, ut si sua sponte iter Ameriam faceret, id temporis Roma proficisceretur, nullam partem noctis requiesceret?

XXXV. Etiamne in tam perspicuis rebus argumentatio quaerenda, aut coniectura capienda sit? Nonne vobis haec, quae audistis, cernere oculis videmini, iudices? non illum miserum, ignarum casus sui, redeuntem a coena videtis? non positas insidias? non impetum repentinum? Non versatur ante oculos vobis in caede Glaucia? non adest iste T. Roscius? non suis manibus in curru collocat Automedontem illum, sui sceleris acerbissimi nefariaeque victoriae nuntium? non orat, ut eam noctem pervigilet? ut honoris sui causa laboret? ut Capitoni quam primum nuntiet? Quid erat, quod Capitonem

Cap. XXXV. *Automedontem*) Automedon Achillis auriga fuit. Posteaquam Achilles Hectorem vicit, posuit aurigam suum in curru, ut iret et nuntiaret occisum Hectorem. Modo alludit Cicero. Roscium Achillem dicit (39), Glau-

Automedontem) Sic appellat Glauciam ob itineris huius celeritatem. Fuit autem Automedon Achillis auriga, qui equos velocissimos Zephyri filios agebat. Facc.

(Quid erat, quod C. p. scire voluerit?)

primum scire voluerit? Nescio; nisi hoc video, Capitonem in his bonis esse socium. De tribus et decem fundis tres nobilissimos fundos eum video possidere. Audio praeterea, non hanc suspicionem nunc primum in Capitonem conferri; multas esse eius infames palmas: hanc primam esse tamen lemniscatam, quae Roma deferatur; nullum modum esse hominis occidendi, quo ille non aliquot occiderit; multos ferro, multos veneno. Habeo etiam dicere, quem contra morem maiorum, minorem annis LX, de ponte in Tiberim deiecerit. Quae, si prodierit, atque adeo quum prodierit, scio enim prodituram esse, audiet. Veniat modo; explicet suum volumen illud, quod ei planum facere possum Erucium conscripsisse; quod aiunt illum Sex. Roscio intentasse et minitatum esse, se omnia illa pro testimonio esse dicturum. O praeclarum testem, iudices! o gravitatem dignam exspectatione! o vitam honestam, atque

cium, Automedontem; postenquam, inquit, occisus est Roscins. — *Suum volumen*) Quia testimonium contra Roscium se dicturum pollicebatur.

Ernestins putabat latinitatem clare postulare *vellet*. Vulgatam defendit Scheller. obss. p. 44. Nempe *quid erat quod voluerit* est i. q. *cur voluit*. Contra *quid erat quod vellet* est i. q. *cur volebat*.

Multas esse eius infames palmas) *Eius* addidi, auctore Lambino, quod in codd. et edd. abest.

Primam — lemniscatam) Lemniscis, h. e. fasciolis ornatam, quae gladiatoribus in nobiliore victoria dabatur; hic intelligit caedem Roscii, ob insignia emolumenta inde in Capitonem redundantia.

Quae Roma deferatur) Vulgo *Romae*. Sed *Roma* vel *Roma ei* legendum esse recte monuit Ernestius. Palma enim ista Roma deferebatur Amerism.

De ponte in Tiberim deiecerit) Ludit in amphibolia verborum *de ponte deiicere*. In comitiis homines sexaginta annis maiores suffragiis exclusi *de ponte deiici* dicebantur; per quem populus in suffragia ibat. Hic autem Capito aliquem de ponte sublicio in Tiberim deiecisse dicitur.

Suum volumen) Erucius dictaverat Capitoni verba, quae pro testimonio diceret; eaque Capito Sex. Roscio minitatus fuerat. FACC.

O vitam honestam) Ern. emend. o *virum honestum*; quia sequitur *ad eius testimonium*. At illud *eius* refertur ad verba: *o praeclarum testem*.

eiusmodi, ut libentibus animis ad eius testimonium vestrum iusiurandum accommodetis!

XXXVI. Profecto non tam perspicue istorum maleficia videremus, nisi ipsos caecos redderet cupiditas et avaritia et audacia. Alter ex ipsa caede volucrem nuntium Ameriam ad socium atque ad magistrum suum misit; ut, si dissimulare omnes cuperent se scire, ad quem maleficium pertineret, tamen ipse apertum suum scelus ante omnium oculos poneret. Alter, si diis immortalibus placet, testimonium etiam in Sex. Roscium dicturus est. Quasi vero id nunc agatur, utrum, is quod dixerit, credendum; an quod fecerit, vindicandum sit. Itaque more maiorum comparatum est, ut in minimis rebus homines amplissimi testimonium de sua re non dicerent. Africanus, qui suo cognomine declarat, tertiam partem orbis terrarum se subegisse, tamen, si sua res ageretur, testimonium non diceret. Nam illud in talem virum non audeo dicere: si diceret, non crederetur. Videte nunc, quam versa et mutata in peiorem partem sint omnia. Quum de bonis et de caede agatur, testimonium dicturus est is, qui et sector est et sicarius: hoc est, qui et illorum ipsorum bonorum, de quibus agitur, emptor atque possessor est, et eum hominem occidendum curavit, de cuius morte quaeritur. Quid? tu, vir optime,

CAP. XXXVI. *Alter ex ipsa caede*) Ruscium Magnum dicit. — *Alter si diis*) Capitonem dicit. — *Ita more maiorum comparatum est*) Nemo in sua re testimonium dicit; ergo hoc dicit: si Africanus potentissimus vir aliquid ageret, in iudicio testimonium in sua re non diceret (40).

Alter) T. Magnus.

Is quod dixerit) Ita Gruter. e tribus codd. Alias legebatur *id quod dixerit*.

Quid? tu, vir optime) T. Roscium Magnum alloquitur, qui praesens assidet; non Capitonem, qui absens est. Is superioribus Ciceronis verbis commotus murmure fortasse et fremitu obloquuturi speciem praebuit.

ecquid habes, quod dicas? mihi ausculta; vide, ne tibi desis; tua quoque res permagna agitur. Multa scelerate, multa audaciter, multa improbe fecisti: unum stultissime, profecto tua sponte, non de Erucii sententia: nihil opus fuit, te istic sedere. Neque enim accusatore muto, neque teste quisquam utitur eo, qui de accusatoris subsellio surgit. Huc accedit, quod paulo tamen occultior atque tectior vestra ista cupiditas esset. Nunc quid est, quod quisquam ex vobis audire desideret, quum, quae facitis, eiusmodi sint, ut ea dedita opera a nobis contra vosmetipsos facere videamini?

XXXVII. Age nunc, illa videamus, iudices, quae statim consequuta sunt. Ad Volaterras in castra L. Sullae mors Sex. Roscii, quatriduo, quo is occisus est, Chrysogono nuntiatur. Quaeritur etiam nunc, quis eum nuntium miserit? Nonne perspicuum est, eundem, qui Ameriam? Curat Chrysogonus, ut eius bona veneant statim; qui non norat hominem aut rem. At qui ei venit in mentem, praedia concupiscere hominis ignoti, quem omnino nunquam viderat? Soletis, quum aliquid huiuscemodi auditis, iudices, continuo dicere, necesse est, aliquem dixisse municipem aut vicinum; ii plerumque indicant; per

Cap. XXXVII. *Chrysogono nuntiasset*) Roscium vult significare, nuntiasse,

Hoc significare videntur verba *ecquid habes quod dicas?*» Hactenus Heusingerus, cuius coniectura ingeniosa est, et sane probabilis. Etsi vel absque ea bene procedunt ista verba: *Quid tu, vir optime, ecquid habes quod dicas*, quia proxime antecesserat mentio testimonii, quod alter Roscius, sc. Capito dicturus erat. Itaque iam quaerit ex Magno, an ipse aliquid dicturus sit; quoniam ibi in accusatorum subselliis sedeat.

Paulo tamen occultior) *Tamen*, quod vulgo abest, Beckius restituit e codd. III Oxonn. MS. Iannoct. et edd. aliquot velt.

A nobis contra vosmetipsos facere videamini?) *A nobis* est *pro nobis*. Itaque neque cum Gulielmio praepositio delenda, neque cum aliis *a vobis*

eos plerique produntur. Hic nihil est, quod suspicionem hanc putetis. Non enim ego ita disputabo: veri simile est, Roscios istam rem ad Chrysogonum detulisse; erat enim eis cum Chrysogono iam antea amicitia: nam quum multos veteres a maioribus Roscii patronos hospitesque haberent, omnes eos colere atque observare destiterunt, ac se in Chrysogoni fidem et clientelam contulerunt. Haec possum omnia vere dicere: sed in hac causa coniectura nihil opus est. Ipsos certo scio non negare, ad haec bona Chrysogonum accessisse impulsu suo. Si eum, qui indicii partem acceperit, oculis cernetis: poteritisne dubitare, iudices, qui indicarit? Qui sunt igitur in istis bonis, quibus partem Chrysogonus dederit? Duo Roscii. Num quisnam praeterea? Nemo est, iudices. Num ergo dubium est, quin ii obtulerint hanc praedam Chrysogono, qui ab eo partem praedae tulerunt? Age, nunc ex ipsius Chrysogoni iudicio Rosciorum factum consideremus. Si nihil in ista pugna Roscii, quod operae pretium esset, fecerant, quam ob causam a Chrysogono tantis praemiis donabantur? Si nihil aliud fecerunt, nisi rem detulerunt: nonne satis fuit, his gratias agi; denique, ut perliberaliter ageretur, honoris aliquid haberi? Cur tria praedia tantae pecuniae statim Capitoni dantur? Cur, quae reliqua sunt, iste Roscius omnia cum Chrysogono communiter possidet? Nonne perspicuum est, iudices, has manubias Rosciis Chrysogonum, re cognita, concessisse?

qui etiam nuntium misit Ameriam. — *Si nihil ex ista pugna Roscii*), Recurat. Ex magnitudine praemii ostendit istos caedis auctores; non enim pro solo nuntio tantum praemium accepissent. — *Manubias Rosciis*) Manubias dixit, quasi devicto hoste spolia, id est, Roscio.

legendum. Heusingero pronomen ea ante *dedita* suspectum erat.

Omnia vere dicere) *Omnino vere* codd. III Oxonn.

Num quisnam praeterea?) Codd. Oxonn. *quisquam*.

XXXVIII. Venit in decem-primis legatus in castra Capito. Totam vitam, naturam, moresque hominis ex ipsa legatione cognoscite. Nisi intellexeritis, iudices, nullum esse officium, nullum ius tam sanctum atque integrum, quod non eius scelus atque perfidia violarit et imminuerit: virum optimum esse eum iudicatote. Impedimento est, quo minus de his rebus Sulla doceatur: ceterorum legatorum consilia et voluntatem Chrysogono enuntiat; monet, ut provideat, ne palam res agatur; ostendit, si sublata sit venditio bonorum, illum pecuniam grandem amissurum, sese capitis periculum aditurum. Illum acuere; hos, qui simul erant missi, fallere: illum identidem monere, ut caveret; hisce insidiose spem falsam ostendere: cum illo contra hos inire consilia; horum consilia illi enuntiare: cum illo partem suam depacisci; hisce, aliqua fretis hora, semper omnes aditus ad Sullam intercludere. Postremo

Cap. XXXVIII. *Venit in decem—primis*) Modo ita ad Capitonem redit, et omnia repetit, quae in argumento diximus, quomodo ad Chrysogonum venerit, quomodo legatos induxerit (41), quomodo non permiserit Sullam adire. — *Chrysogono nuntiat*) Idem Capito. — *Illum pecuniam grandem*)

Quod non eius scelus a. p. violarit et imminuerit) *Quod non eiusce vis* codd. VI Oxonn. al.

Aliqua fretis hora) *Aliqua fretus hora* MS. Gu. et edd. pr. *aliqua fretum hora* codd. Oxonn. V. At Hotom. et Lamb. in MSS. invenerunt *aliqua fretus aura*, vel *aliqua fretum aura*. Id illi arripuerunt, ut per *auram* significari putarent πρόφασιν aliquam speciosam, inanem ac fallacem; vel hominem aliquem gratiosum, potentem ac fortunatum. Etsi autem *aura* saepe translate dicitur, *non* tamen dicitur simpliciter, sed coniuncte, *ut aura popularis*, *aura rumoris*, *honoris*, *libertatis*. In Pal. 1 est *fretum ora*, unde Graevius legendum putabat *aliqua ficta mora*. Manutius *aliqua facta mora*; Beckius *aliqua fretus mora* recepit. Et hoc quidem ipse imitarer, nisi de Capitone, qui omnes legatis aditus ad Sullam intercludebat vix satis commode dici videretur, cum *aliqua mora fretum*, quae potius continua *mora* fuisset. Itaque praetuli Pantagathi emendationem *aliqua fretis hora*, i. e. legatis aliquam aliquando horam sperantibus, qua possint Sullam adire.

Semper omnes aditus ad S. intercludere) Post *semper* Facciolatus commate distinxit; ut legati dicantur *aliqua semper* (*s. de die in diem*) *hora*

isto hortatore, auctore, intercessore, ad Sullam legati non adierunt; istius fide, ac potius perfidia, decepti, id quod ex ipsis cognoscere poteritis, si accusator voluerit testimonium eis denuntiare, pro re certa spem falsam domum retulerunt.

XXXIX. In privatis rebus si qui rem mandatam non modo malitiosius gessisset, sui quaestus aut commodi causa, verum etiam negligentius: eum maiores summum admisisse dedecus existimabant. Itaque mandati constitutum est iudicium, non minus turpe, quam furti: credo propterea, quod quibus in rebus ipsi interesse non possumus, in his, operae nostrae vicaria, fides amicorum supponitur; quam qui laedit, oppugnat omnium commune praesidium, et, quantum in ipso est, disturbat vitae societatem. Non enim possumus omnia per nos agere; alius in alia est re magis utilis. Idcirco amicitiae comparantur, ut commune commodum mutuis officiis gubernetur. Quid recipis mandatum, si aut neglecturus, aut ad tuum commodum conversurus es? Cur mihi te offers ac meis commodis, officio simulato, officis et obstas? Recede de medio; per alium transigam. Suscipis onus

Illum Chrysogonum. — *In privatis rebus — mandati — iudicium*) Infamem facit, ut puta: dedi alicui centum libras argenti, ut emeret mihi possessionem; ille emit sexaginta, et dixit se emisse centum, et XL rapuit. Hoc quum cognitum fuerit, infamis fit. Simile crimen est pro socio, ut puta: duo socii si quis alter fraudem fecerit, condemnatus erit infamis. — *Alius in alia re*) Modo voluntatem tractat; quae nostra amicis mandemus negotia; vel quia quod nos agere non possumus, alii possunt; vel quia sic amicitiae comparantur, dum nostras res amici quasi suas agant.

freti: Melius tamen *semper* trahitur ad sequentia.

Intercessore) impediente. Sic tribuni plebis intercedere, hoc est, impedire dicuntur. FACC.

Suscipis onus) Per exprobrationem diluit tacitam prolepsim; aitque mandati onus nec grave esse, nisi hominibus levibus, nec visum esse grave ipsi suscipienti. Sed quam vereor, ne desit aliquid! Non enim satis videtur Tulliano more expressa sententia.

officii, quod te putas sustinere posse; quod minime videtur grave iis, qui minime ipsi leves sunt. Ergo idcirco turpis haec culpa est, quod duas res sanctissimas violet, amicitiam et fidem. Nam neque mandat quisquam fere, nisi amico; neque credit, nisi ei, quem fidelem putat. Perditissimi est igitur hominis, simul et amicitiam dissolvere, et fallere eum, qui laesus non esset, nisi credidisset. Itane est? in minimis rebus, qui mandatum neglexit, turpissimo iudicio condemnetur necesse est: in re tanta, quum is, cui fama mortui, fortunae vivi commendatae sunt atque concreditae, ignominia mortuum, egestate vivum affecerit: is inter honestos homines, atque adeo inter viros bonos numerabitur? In minimis privatisque rebus etiam negligentia mandati, in crimen iudiciique infamiam revocatur, propterea quod, si ra-

Certe haec oratio gravissimas passa est calamitates, ab hoc praesertim capite usque ad finem. In.

Egestate vivum affecerit) Verba *egestate vivum* quae vulgo desiderantur e MS. Iannoct. protulit Garatonius eaque Beckii exemplo recepi. Alterum enim membrum librariorum culpa intercidisse omnes concedunt. Ernestius post *concreditae* inseruit *damno vivum*. Alii aliter suapte ingenio lacunam expleverunt.

Inter viros bonos numerabitur?) Vulgo *inter vivos numerabatur*, prorsus absurde. Librarii *viros* in *vivos* mutarunt. Iam Hotomannus legendum censuit *atque adeo inter viros numerabitur*. Praestat autem Facciol. emendatio, *atque adeo inter viros bonos numerabitur*. Paulo post enim c. 40 maiores laudantur, *qui eum qui socium fefellisset in virorum bonorum numero non putarunt haberi oportere*. Et Verr. Act. II, lib. I c. 49 componuntur *hominum honestissimorum testimonia, et virorum bonorum tabulae*. Est autem gradatio. Plus enim est inter viros bonos, quam inter homines honestos numerari. Honestus enim, i. e. honoratus, aliquis esse potest, etiamsi non sit, sed tantum habeatur vir bonus. Graevius vulgatam sic exponit; dignus est, qui non modo ex honestorum, sed e vivorum numero expungatur: qui quidem sensus, etsi per se bonus, nullo tamen modo ex verbis, quae vulgo leguntur, efficitur.

In crimen iudiciique infamiam revocatur) Vulgo *etiam negligentia in crimen mandati iudiciumque infamia revocatur*. Vocem *mandati* transponendam esse vidit Graevius, idem *infamia* delendum censuit. Ed. Gryph. et al. *iudiciique infamiam*, quod compluribus viris doctis probatum est. Lambino placebat *iudiciumque infame*.

Si ratione fiat) Sic aliquot codd.

tione fiat, illum negligere oporteat, qui mandarit, non illum, qui mandatum receperit: in re tanta, quae publice gesta atque commissa sit, qui non negligentia privatum aliquod commodum laeserit, sed perfidia legationis ipsius caerimoniam polluerit, maculaque affecerit: qua is tandem poena afficietur? aut quo iudicio damnabitur? Si hanc ei rem privatim Sex. Roscius mandavisset, ut cum Chrysogono transigeret atque decideret, inque eam rem fidem suam, si quid opus esse putaret, interponeret: ille, qui sese facturum recepisset, nonne si ex eo negotio tantulum in rem suam convertisset, damnatus per arbitrum, et rem restitueret, et honestatem omnem amitteret? Nunc non hanc ei rem Sex. Roscius mandavit, sed, id quod multo gravius est, ipse Sex. Roscius cum fama, vita, bonisque omnibus a decurionibus publice T. Roscio mandatus est: et ex eo T. Roscius non paulum nescio quid in rem suam convertit, sed hunc funditus evertit bonis; ipse tria praedia sibi depactus est; voluntatem decurionum ac municipum omnium tantidem, quanti fidem suam, fecit.

XL. Videte iam porro cetera, iudices, ut intelligatis, fingi maleficium nullum posse, quo iste sese non contaminarit. In rebus minoribus socium fallere, turpissimum est, aequeque turpe, atque illud, de quo ante dixi. Neque iniuria: propterea quod auxilium sibi se putat adiunxisse, qui cum altero rem communicavit. Ad cuius igitur fidem confugiet, quum per eius fidem laeditur, cui se commiserit? Atqui ea

Cap. XXXIX. *Damnatus per arbitrum*) Id est indicio omnium. — *Tantidem*) Id est, nulla.

MSS., et edd. vett. et recepit Beck. Vulgo *si recte fiat.*

T. Roscio mandatus est) Vulgo *Roscio* sine praenomine. Totum nomen hic redundare videbatur Facciolato.

Quum per eius fidem laeditur) Hanc lectionem Lambin. recte tuetur

sunt animadvertenda peccata maxime, quae difficillime praecaventur. Tecti esse ad alienos possumus; intimi multa apertiora videant, necesse est; socium vero cavere qui possumus? Quem etiam si metuimus, ius officii laedimus. Recte igitur maiores eum, qui socium fefellisset, in virorum bonorum numero non putarunt haberi oportere. At vero T. Roscius non unum rei pecuniariae socium fefellit (quod tametsi grave est, tamen aliquo modo posse ferri videtur), verum novem homines honestissimos, eiusdem muneris, legationis, officii, mandatorumque socios, induxit, decepit, destituit, adversariis tradidit, omni fraude et perfidia fefellit, qui de eius scelere suspicari nihil potuerunt, socium officii metuere non debuerunt, eius malitiam non viderunt, orationi vanae crediderunt. Itaque nunc illi homines honestissimi propter istius insidias parum putantur cauti providique fuisse; iste, qui initio proditor fuit, deinde perfuga, qui primo sociorum consilia adversariis enuntiavit, deinde societatem cum ipsis adversariis coiit, terret etiam nos, ac minatur, tribus praediis, hoc est, praemiis sceleris, ornatus. In eiusmodi vita,

Cap. XL. *In eiusmodi vita iudices*) Ostendit vitam turpissimam Capitonis, adversus virum doctum, nescio quem, qui legendum putabat, *per eius fraudem*, s. *per eius perfidiam*. Nam *per eius fidem* esse per eam fidem, quam ei habuit. Quod, nisi placeat, potest etiam *per eius fidem* sic intelligi, ut significet, per eius malam fidem, sive, ut Heusingerus exponit, per fidem ab eo datam, sed non servatam.

Intimi multa apertiora videant necesse est) H. l. Facciolatus sic interpretatur: tegere possumus omnia nostra consilia alienis; intimis eo ipso, quod intimi sunt, patere multa necesse est: socii ipsi iure societatis sciunt omnia. Itaque alienos cavere possumus, quia omnia nostra ignorant, cavere possumus intimos, quibus, etsi patent multa, non tamen omnia; socium vero cavere nullo modo possumus. Verum quum h. l. de insidiis agatur cavendis, non de consiliis tegendis, aptius est in his verbis translationem a gladiatoribus petitam agnoscere, ut *tecti* idem sit ac adversus insidias muniti; *apertiora* autem (sicut *latus apertum*) sint partes haud satis munitae.

iudices, in his tot tantisque flagitiis, hoc quoque maleficium, de quo iudicium est, reperietis. Etenim quaerere ita debetis: ubi multa avare, multa audacter, multa improbe, multa perfidiose facta videtis, ibi id scelus quoque latere inter illa tot flagitia putatote. Tametsi hoc quidem minime latet, quod ita promptum et propositum est, ut non ex illis maleficiis, quae in illo constat esse, hoc intelligatur; verum ex hoc etiam, si quod illorum forte dubitabitur, convincatur. Quid tandem, quaeso, iudices? num aut ille lanista omnino iam a gladiatore recessisse videtur: aut iste discipulus magistro tantulum de arte concedere? Par est avaritia, similis improbitas, eadem impudentia, gemina audacia.

XLI. Etenim, quoniam fidem magistri cognostis, cognoscite nunc discipuli aequitatem. Dixi iam antea, saepenumero postulatos esse ab istis duos servos in quaestionem. Tu semper, T. Rosci, recusasti. Quaero abs te, iine, qui postulabant, indigni erant, qui impetrarent? An iste non commovebat, pro quo postulabant? An res ipsa tibi iniqua videbatur? Postulabant homines nobilissimi atque integerrimi no-

modo quia et apud quem praemium invenitur, et apud quem perfidia et cetera maleficia, ipsum potuisse occidere Roscium. — *Loca ista*) Omnino Magnum dicit. — *Aut hic discipulus*) Capitonem dicit.

Facta videtis) Codd. tres Oxonn. *videbitis*.

Ibi id scelus) Sic recte Graev. Facc. alii. Vulgo *ibi scelus*.

A gladiatore recessisse videtur) Sic MSS. Graevii, it. Guliel. et edd. pr. Vulgo inde ab Aldo edebatur *a gladiis*. Alterum recte restituit Graev., Ern. Melius enim respondet sequentibus *magister* — *discipulus*.

Iste discipulus) Hotomanno placuit *hic discipulus*, quia designatur T. Roscius Magnus; qui praesens erat. Sic Facciol.

Fidem magistri) Malam Capitonis fidem, qui legationem prodidit. Dictum supra. FACC.

Discipuli aequitatem) Roscii Magni iniquitatem, qui servos in quaestionem dare non vult. ID.

An iste non commovebat) *Is te* edidit Heusingerus, quod *iste* vel de absentibus, vel de adversariis dicatur.

Homines nobilissimi) Metelli et

strae civitatis, quos iam antea nominavi; qui ita vixerunt, talesque a populo romano putantur, ut, quidquid dicerent, nemo esset, qui non aequum putaret. Postulabant autem pro homine miserrimo atque infelicissimo, qui vel ipse sese in cruciatum dari cuperet, dum de patris morte quaereretur. Res porro abs te eiusmodi postulabatur, ut nihil interesset, utrum eam rem recusares, an de maleficio confiterere.

XLII. Quae quum ita sint, quaero abs te, quam ob causam recusaris. Quum occiditur Sex. Roscius, ibidem fuerunt. Servos ipsos, quod ad me attinet, neque arguo, neque purgo. Quod a vobis hoc pugnari video, ne in quaestionem dentur, suspiciosum est. Quod vero apud vos ipsos in honore tanto sunt, profecto necesse est, sciant aliquid, quod si dixerint, perniciosum vobis futurum sit. «In dominos quaeri de servis iniquum est». Anne quaeritur? Sex. enim Roscius reus est. Neque enim, quum de hoc quaeritur, vos dominos esse dicitis. «Cum Chrysogono sunt». Ita credo: literis eorum et urbanitate Chry-

Cap. XLI. *Cum Chrysogono sunt*) Ironia. Rusticos enim vult significare, ut ostendat Roscium semper ruri deditum; et Chrysogonum hos servos non tam propter elegantiam eorum, apud se habere, quam propter facti conscientiam.

Scipiones, de quibus cap. 28. Facc.

Anne quaeritur?) Ren. Boëmoraeus legebat: *At nec quaeritur.*

Anne quaeritur?) Id est, non quaeritur in dominos; quia neque Sex. Roscius amplius dominus est, neque vos dominos esse fatemini. Ergo sive in illum, sive in vos quaeratur, non quaeritur in dominos. Facc.

Neque enim — vos dominos esse dicitis) Menardus legi volebat: *Neque enim, quum de hoc quaereretur, in vos dominos hoc esse diceretis.* Heusingerus h. l. sic emendandum censet: *Neque quum de hoc quaeritur, in vos quaeritur; neque enim vos dominos esse dicitis*; optime; modo etiam corrigatur, *neque quum de his* (scil. servis) *quaeritur.* Ernestius coni. *Neque enim quum de hoc quaeritur, de domino quaeritur; vos enim dominos esse dicitis.* Beckius edidit: *neque enim quum de hoc quaeritur, vos eum dominum esse dicitis.*

sogonus ducitur, ut inter suos omnium deliciarum atque omnium artium puerulos, ex tot elegantissimis familiis lectos, velit nos versari, homines paene operarios ex Amerina disciplina patrisfamiliae rusticani. Non est ita profecto, iudices: non est veri simile, ut Chrysogonus horum literas adamarit, aut humanitatem: non, ut rei familiaris negotio diligentiam cognorit eorum et fidem. Est quiddam, quod occultatur. Quod quo studiosius ab ipsis opprimitur et absconditur, eo magis eminet et apparet. Quid igitur? Chrysogonus sui maleficii occultandi causa quaestionem de his haberi non vult? Minime, iudices. Non in omnes arbitror omnia convenire. Ego in Chrysogono, quod ad me attinet, nihil eiusmodi suspicor: neque hoc mihi nunc primum in mentem venit dicere. Meministis, me ita distribuisse initio causam, in crimen, cuius tota argumentatio permissa Erucio est, et in audaciam, cuius partes Rosciis impositae sunt. Quidquid maleficii, sceleris, caedis erit, proprium id Rosciorum esse debebit. Nimiam gratiam potentiamque Chrysogoni dicimus et nobis obstare, et perferri nullo modo posse: et a vobis, quoniam potestas data est, non modo infirmari, verum etiam vindicari

Cap. XLII. *Ego sic existimo, qui quaeri vellet*) Sensus talis est. Qui vult verum quaeri, necesse est ut illos servos ad quaestionem postulet, qui dicuntur affuisse, quum caedes facta sit. Qui autem non vult ex his quaeri, necesse est, ut ipse hoc faciat.

Non est veri simile) *Veri simile* spurium visum est *Lambino*, quia Latini sic non loquantur, *veri simile est ut hoc factum sit*, sed *veri simile est hoc factum esse.* Iam, etsi Ernestius duo alia huius constructionis exempla attulit *Verr. IV*, 6, *Sext.* 36, hoc tamen loco *veri simile* vel propterea delendum esse puto, quod Cicero iam ante dixit, *non est ita profecto*, cuius affirmationis vim ipse debilitaret, si in sequente membro diceret *non est veri simile.*

Cuius tota argumentatio) Hotomannus in aliquot MSS. invenit *augmentatio*, unde auspicari, liceat scriptum fuisse *coagmentatio.* Sane *argumentatio* h. l. vix satis aptum.

oportere. Ego sic existimo: qui quaeri velit ex iis, quos constat, quum caedes facta sit, affuisse, eum cupere verum invenire; qui recuset, eum profecto, tametsi verbo non audeat, tamen re ipsa de maleficio suo confiteri. Dixi initio, iudices, nolle me plura de istorum scelere dicere, quam causa postularet, ac necessitas ipse cogeret. Nam et multae res afferri possunt, et unaquaeque earum multis cum argumentis dici potest. Verum ego, quod invitus ac necessario facio, neque diu, neque diligenter facere possum. Quae praeteriri nullo modo poterant, ea leviter, iudices, attigi; quae posita sunt in suspicionibus, de quibus si coepero dicere, pluribus verbis sit disserendum, ea vestris ingeniis coniecturaeque committo.

XLIII. Venio nunc ad illud nomen aureum Chrysogoni, sub quo nomine tota societas statuitur: de quo, iudices, neque quomodo dicam, neque quomodo taceam, reperire possum. Si enim taceo, vel maximam partem relinquo; sin autem dico, vereor, ne non ille solus (id quod ad me nihil attinet) sed alii quoque plures laesos se esse putent. Tametsi ita se res habet, ut mihi in communem causam sectorum dicendum nihil magnopere videatur. Haec enim causa nova profecto et singularis est. Bonorum Sex. Roscii emptor est Chrysogonus. Primum hoc videamus: eius hominis bona qua ratione venierunt, aut quomodo venire potuerunt? Atque hoc non ita quaeram, iudices, ut id dicam esse indignum, hominis innocentis bona venisse. Si enim haec audientur, ac libere

Cap. XLIII. *Venio nunc ad illud nomen aureum*) Modo dicturus de potentia Chrysogoni alludit Cicero de nomine eius. Solemus enim nomina ad voluptatem servis imponere, ut Smaragdum, Chrysogonum. Sic et modo Ci-

Alii quoque) Qui bona proscriptorum civium emerunt. Facc.

Si enim haec audientur, ac libere dicentur) Id est, si quando talia li-

dicentur: non fuit tantus homo Sex. Roscius in civitate, ut de eo potissimum conqueramur. Verum hoc ego quaero: qui potuerunt ista ipsa lege, quae de proscriptione est, sive Valeria est, sive Cornelia; non enim novi, nec scio; verum ista ipsa lege, bona Sex. Roscii venire qui potuerunt? Scriptum enim ita dicunt esse, VT EORVM BONA VENEANT, QVI PROSCRIPTI SVNT: quo in numero Sex. Roscius non est: AVT EORVM, QVI IN ADVERSARIORVM PRAESIDIIS OCCISI SVNT. Dum praesidia ulla fuerunt, in Sullae praesidiis fuit. Posteaquam ab armis recesserunt, in summo otio, rediens a coena, Romae occisus est. Si lege: bona quoque lege venisse fateor; sin autem constat, contra omnes, non modo veteres leges, verum etiam novas, occisum esse: bona quo iure, aut quo modo, aut qua lege venierint, quaero. In quem hoc dicam, quaeris, Eruci? Non in eum, quem vis et putas. Nam Sullam et oratio mea ab initio, et ipsius eximia virtus omni tempore purgavit. Ego haec omnia Chrysogonum fecisse dico, ut ementiretur, ut malum civem

cero, ut ostendat eum servum fuisse. — *De proscriptione — Valeria*) Valerius Flaccus praetor Sullanis temporibus fuit. Hic tulit legem: quicquid Sulla dixisset, lex esset. Si quid ergo ad populum tulisset Sulla, valebat lege Cornelia; si quid voluisset facere, et non tulisset ad populum, hoc valebat lege Valeria.

bere dici, et audiri poterunt, non de tantulo homine potissimum querentur, quum alii multo illustriores eadem iniuria laesi fuerint. Id.

Sive Valeria est, sive Cornelia) Indignantis est, et stomachantis. Interiectis Coss. Carbone et Mario, L. Valerius Flaccus interrex, dictatorem dixit Cornelium Sullam, simulque legem tulit, ut omnia rata essent, quae Sulla fecisset. Sive igitur, inquit Tullius, haec lex *Valeria* est a suo auctore; sive *Cornelia* ab eo, cuius gratia lata est. Id.

Posteaquam ab armis recesserunt) *Recessum est* duo codd. Pariss. teste Lallem.

Si lege) *Si lege occisus est.* Fac.

Quo iure, aut quo modo) Ern. coni. *quo more*; idque verum puto, etsi vulgatum Schellerus, obss. p. 45, sic defendit, ut *modus* pro regula s. praescripto accipiatur.

Roscium fuisse fingeret, ut eum apud adversarios occisum esse diceret, ut hisce de rebus a legatis Amerinorum doceri L. Sullam passus non sit. Denique etiam illud suspicor, omnino haec bona non venisse: id quod postea, si per vos, iudices, licitum erit, aperietur. Opinor enim esse in lege, quam ad diem proscriptiones venditionesque fiant: nimirum ad KALENDAS IVNIAS. Aliquot post menses et homo occisus est, et bona venisse dicuntur. Profecto aut haec bona in tabulas publicas nulla redierunt, nosque ab isto nebulone facetius eludimur, quam putamus: aut, si redierunt, tabulae publicae corruptae aliqua ratione sunt. Nam lege quidem bona venire non potuisse constat.

XLIV. Intelligo, me ante tempus, iudices, haec scrutari, et propemodum errare, qui, quum capiti Sex. Roscii mederi debeam, reduviam curem. Non enim laborat de pecunia; non ullius rationem sui commodi ducit; facile egestatem suam se laturum putat, si hac indigna suspicione et ficto crimine

CAP. XLIV. *Intelligo, iudices, me ante tempus*) Dicebatur Ciceroni; de capite omua certamen esl, el tu de honis Rnscii dicis. Iutellexil hoc Cicero. Recorat. Scio, inquit, iudices, nl quum pro capile mihi Roscii dicendom sit, reduviam curem; stullilia autem medici est, ul pro capile panaritium (42) caret. Notandum aulem esl, quia boos defendenda sibi dat, capilis periculom Roscio. Sed dicil haec boos non concupiscere Roscium, sed tantum ot infamia parricidii careat. — *Reduviam curem*) Redovia est vulous ex ongue,

Vt — passus non sit) Hoc Ernestios verum esse negat, qoia non coëat cum superioribus; certe scribendum fuisse *non pateretur*. Ferri tamen potesl hoc ἀνακόλουθον constructionis. Aliud aolem esl, qoo offendar, *ementiretur* sine adiuoclo posilum esse. An Cicero scripsit: *ut ementiretur malum civem Roscium fuisse, ut eum apud adversarios occisum esse fingeret.*

Nimirum ad KALENDAS IVNIAS) Vulgo *Kalendas Iunias* omissa praepositione, quam addunt MSS. plerique Oxonn. Gu. edd. Ald. Erat.

Reduviam curem) *Rediviam* scribitor in aliquot Edd. Festus: *Rediviam, alii reluvium appellant, quum circa ungues cutis se resolvit, quia luere est solvere.*

liberatus sit. Verum quaeso a vobis, iudices, ut haec pauca, quae restant, ita audiatis, ut partim me dicere pro me ipso putetis, partim pro Sex. Roscio. Quae enim mihi ipsi indigna et intolerabilia videntur, quaeque ad omnes, nisi providemus, arbitror pertinere; ea pro me ipso, ex animi mei sensu ac dolore, pronuntio. Quae ad huius vitae causam pertineant, et quid hic pro se dici velit, et qua conditione contentus sit, iam in extrema oratione nostra, iudices, audietis.

XLV. Ego haec a Chrysogono, mea sponte, remoto Sex. Roscio, quaero. Primum, quare civis optimi bona venierint: deinde, quare hominis eius, qui neque proscriptus, neque apud adversarios occisus est, bona venierint, quum in eos solos lex scripta sit: deinde, quare aliquanto post eam diem venierint, quae dies in lege praefinita est; deinde, cur tantulo venierint. Quae omnia si, quemadmodum solent liberti nequam et improbi facere, in patronum suum voluerit conferre, nihil egerit. Nemo est enim, qui nesciat, propter magnitudinem rerum multa multos, partim imprudente L. Sulla, commisisse. Placet igitur in his rebus aliquid imprudentia praeteriri? Non placet, iudices; sed necesse est. Etenim si Iupiter

qnod graece panaritium dicitur. — *Cur tantulo venierint*) Hic ostenditur

Quae ad huius vitae causam pertineant) Vulgo *casum causamque pertineant*. In quo *casum* ex variante lectione irrepsisse vidit Ruhnkenius ad Rutil. Lup. p. 36.

Qui neque proscriptus) Haec verba, quae in codd. MSS. exciderunt, addidit Hotomannus. Recte Facciolatus tamen posuit post *occisus est*.

Propter magnitudinem rerum multa multos) Verba *partim connivente*, quae hic addita sunt a Victorio et Manutio, non sunt in MSS. et edd. pr. et sunt addita, quia *partim* semper bis poni opinabantur. In sequentibus de sola imprudentia agitur. Neque vero, ut recte Facciolatus monuit, excusari poterat Sulla, ubi connivebat.

optimus maximus, cuius nutu et arbitrio caelum, terra, mariaque reguntur, saepe ventis vehementioribus, aut immoderatis tempestatibus, aut nimio calore, aut intolerabili frigore, hominibus nocuit, urbes delevit, fruges perdidit: quorum nihil, pernicii causa, divino consilio, sed vi ipsa et magnitudine rerum, factum putamus: at contra, commoda, quibus utimur, lucemque, qua fruimur, spiritumque, quem ducimus, ab eo nobis dari atque impertiri videmus: quid miramur, L. Sullam, quum solus rem publicam regeret, orbemque terrarum gubernaret, imperiique maiestatem, quam armis receperat, legibus confirmaret, aliqua animadvertere non potuisse? Nisi hoc mirum est, quod vis divina assequi non possit, si id mens humana adepta non sit. Verum, ut haec missa faciam, quae iam facta sunt: ex iis, quae nunc maxime fiunt, nonne quivis potest intelligere, omnium architectum et machinatorem unum esse

furtum. Tanta res parvum pretium habuit. — *Quid miramur iudices*) Venit ad Sullam, et tacuit, noluit servare comparationem, quia scit figurata esse.

Ex loco deperdito (43).

In vico Pallacrine) Locus ubi coenaverat Roscius. — *Maxime metu ut* (44) *Sullam scilicet*) Deribat tamen. Et ait *se* (45), id est suspicionem suam in alium deducit. Hoc enim dicebat Chrysogonus: non quia timui ne mihi tollerentur bona Roscii, ideo eius praedia dissipavi. Sed quia aedificabam, in Veientanam ideo de his transtuli. — *Manu praedia praediis*) Praediis occasione, quemadmodum dicimus: fac ad manum illum codicem. — *Hic ego audire istos cupio*) In hoc capite de potentia Chrysogono invidiam facit, ut enumeret singula deliciarum genera, quod habebat plures possessiones, mancipia, quae omnia dicit de rapinis ipsum habere.

Pernicii causa) Sic Gell. IX, 14; Non. Marcell. pag. 759. Receperunt Facciol. Beck. Alii ut Ern. *pernicie* quod est in Oxx. et Pall. *perniciei* Franc. 1.

Vi ipsa et magnitudine) Pro; magna vi, per figuram, quam Graeci dicunt ἓν διὰ δυοῖν. Quemadmodum Virgilius II Georg. v. 192, *Pateris libamus, et auro*, hoc est, pateris auratis. Putabant autem veteres, Iovem ipsum fato subiici, ac rerum ordine rapi. Facc.

Chrysogonum, qui Sex. Roscii nomen deferendum curavit? hoc iudicium, cuius honoris causa accusare se dixit Erucius?

Desunt non pauca *

aptam, et ratione dispositam se habere existimant, qui in Salentinis, aut in Brutiis habent, unde vix ter in anno audire nuntium possunt.

XLVI. Alter tibi descendit de palatio et aedibus suis: habet animi relaxandi causa rus amoenum et suburbanum, plura praeterea praedia, neque tamen ullum, nisi praeclarum et propinquum; domus referta vasis Corinthiis et Deliacis, in quibus est authepsa illa, quam tanto pretio nuper mercatus est, ut, qui praetereuntes pretium enumerari audiebant,

CAP. XLVI. *Authepsa illa*) Authepsa vas aerarium, quod interiecta lamina fabricatis arte fornacibus calidam portat (46), portati simul ignis contrarii

Hoc iudicium) Lambinus ita hoc explendum putabat, *qui hoc iudicium conflavit.*

* Desideratur tota argumentatio, qua neque venire bona Roscii potuisse, neque venisse docuit.

Aptam, et ratione dispositam) Hoc est, alii Sullae liberti (ut supplet Lambinus) domum aptam et idoneam se habere existimant etc. Quum enim Sulla omnibus libertis suis multa tribuisset, Chrysogonum tamen super ceteros ditaverat usque ad delicias, et intolerandam potentiam. FACC.

Alter tibi) Vox *tibi* miram vim habet creandae invidiae; solet autem adhiberi ad indignationem, aut irrisionem. ID.

Habet animi relaxandi) Duo codd. Oxx. omittunt *relaxandi.*

Authepsa) αὐθέψη, ex αὐτός, et ἕψω, quasi ipsa per se cibos coqueret. Fuit autem vas in superiore parte continens res coquendas, in inferiore ignem; qualia nunc quoque adhiberi solent ad multas sorbitionum delicias. FACC.

Pretium enumerari audiebant) Non in hac lectione consentiunt libri MSS. neq. Grut. Edd. pr. habent *numerare.* MS. Go. *enumerare.* Grut. corrigit *praeconi adnumerari*, quia in MSS. Victoris erat *praeconum* pro *pretium.* Male. Summa pretii non auditur, quum pecunia numeratur; neque emptores statim in auctione numerabant pecuniam, neque pecunia dabatur praeconi, sed magistris auctionis. Sed pretii summa audiebatur, quum praeco pronuntiabat pretium. Quint. c. 15, *vox praeconis praedicat conficitque pretium.* Illa igitur praedicatio praeconis debet esse in verbo *enumerari*, estque accipiendum sensu pronuntiandae pecuniae; quod nec nimis abhorret ab usu eius verbi; nisi velimus

fundum venire arbitrarentur. Quid praeterea caelati argenti? quid stragulae vestis? quid pictarum tabularum? quid signorum? quid marmoris apud illum putatis esse? tantum scilicet, quantum e multis splendidisque familiis in turba et rapinis coacervari una in domo potuit. Familiam vero quantam, et quam variis cum artificiis habeat, quid ego dicam? Mitto hasce artes vulgares, coquos, pistores, lecticarios; animi et aurium causa tot homines habet, ut quotidiano cantu vocum, et nervorum, et tibiarum, nocturnisque conviviis tota vicinitas personet. In hac vita, iudices, quos sumptus quotidianos, quas effusiones fieri putatis? quae vero convivia? honesta, credo, in eiusmodi domo: si domus haec habenda est potius, quam officina nequitiae et deversorium flagitiorum omnium. Ipse vero quemadmodum composito et delibuto capillo passim per forum volitet cum magna caterva togatorum, videtis, iudices. Etiam videtis, ut omnes despiciat, ut hominem prae se neminem putet; ut se solum beatum, solum potentem putet. Quae vero efficiat, et quae conetur, si velim commemorare, vereor, iudices, ne quis imperitior existimet, me causam nobilitatis victoriamque voluisse laedere: tametsi meo iure possum, si quid in hac parte mihi non placeat, vituperare. Non enim vereor, ne quis alienum me animum habuisse a causa nobilitatis existimet.

elementi defensa vicinitas. — *Lecticarios*) Lecticarii dicuntur, qui maiores nobiles portant, ut in Verrinis legimus. — *Animi et aurium*) Animi est, ut pantomimum spectemus, aurium ut citharoedum. — *A causa existimet*) Id est a parte Sullana.

corrigere *enuntiari*, quod pronuntiandi vim habet». Ernest.

Etiam videtis) Sic edd. pr. Ald. Victor. MS. Franc. e quibus haec verba restituit Graev. quum alii omitterent

XLVII. Sciunt ii, qui me norunt, me, pro illa tenui infirmaque parte, posteaquam id, quod maxime volui, fieri non potuit, ut componeretur, id maxime defendisse, ut ii vincerent, qui vicerunt. Quis enim erat, qui non videret, humilitatem cum dignitate de amplitudine contendere? quo in certamine perditi civis erat, non se ad eos iungere, quibus incolumibus et domi dignitas et foris auctoritas retineretur. Quae perfecta esse, et suum cuique honorem et gradum redditum, gaudeo, iudices, vehementerque laetor: eaque omnia deorum voluntate, studio populi romani, consilio et imperio et felicitate L. Sullae, gesta esse intelligo. Quod animadversum est in eos, qui contra omni ratione pugnarunt, non debeo reprehendere. Quod viris fortibus, quorum opera eximia in rebus gerendis exstitit, honos habitus est, laudo. Quae ut fierent, idcirco pugnatum esse arbitror, meque in eo studio partium fuisse confiteor. Sin autem id actum est, et idcirco arma sumpta sunt, ut homines postremi pecuniis alienis locupletarentur, et in fortunas uniuscuiusque impetum facerent, et id non modo re prohibere non licet, sed ne verbis

CAP. XLVII. *Me pro illa tenui infirmaque*) Pro Mariana, pro equilibus Romanis (47). — *Quum maxime voluerim*) Id est bella civilia. — *Animadversum est in eos*) Id est in Marianos. — *Si id actum est idcirco*) Sensus talis: non, inquit, idcirco putamus Sullanas partes contra Marianos arma tulisse, ut restitueretur omnibus libertas. Sin autem id actum (48) est hoc bello, ut liberti homines aliena occupent bona, non est hoc bello data libertas, verum longe aliter. Non, inquit, quisquis vituperat Chrysogonum, iam Sullam vel nobilitatem vituperat, sed malum; nam qui vult vituperare partem Sullanam dicit, quia Chrysogonus multum potest; qui laudare dicit, quia tantum posse non debet.

Pro illa tenui) Pro illa mearum virium atque opum tenuitate, explicat Lambinus. Non tamen contemnenda est explicatio Holomanni, qui hoc refert ad partem Marii, Cinnae, et Carbonis, pro qua parte maxime voluisset Cicero, ut componeretur. FACC.

quidem vituperare: tum vero in isto bello non recreatus, neque restitutus, sed subactus oppressusque populus romanus est. Verum longe aliter est. Nihil horum est, iudices. Non modo non laedetur causa nobilitatis, si istis hominibus resistetis, verum etiam ornabitur.

XLVIII. Etenim qui haec vituperare volunt, Chrysogonum tantum posse queruntur: qui laudare volunt, concessum ei non esse commemorant. Ac iam nihil est, quod quisquam aut tam stultus, aut tam improbus sit, qui dicat: *vellem quidem liceret, hoc dixissem*; dicas licet. *Hoc fecissem;* facias licet; nemo prohibet. *Hoc decrevissem;* decerne, modo recte; omnes approbabunt. *Hoc iudicassem;* laudabunt omnes, si ratione et ordine iudicaris. Dum necesse erat, resque ipsa cogebat, unus omnia poterat: qui posteaquam magistratus creavit, legesque constituit, sua cuique procuratio auctoritasque est restituta. Quam si retinere volunt ii, qui recuperarunt, in perpetuum poterunt obtinere; sin has caedes et rapinas, et hos tantos tamque profusos sumptus aut facient, aut approbabunt; nolo in eos gravius quidquam, ne ominis quidem causa dicere. Vnum hoc dico: nostri isti nobiles, nisi vigilantes et boni et fortes et misericordes erunt; iis hominibus, in quibus haec erunt, ornamenta sua concedant necesse est. Quapropter desinant aliquando dicere, male aliquem loquutum esse, si quis vere ac libere loquutus sit; desinant suam causam cum Chrysogono communicare; desinant, si ille laesus sit, de se aliquid detractum arbitrari; vi-

Si ratione et ordine iudicaris) Vulgo *si recte et ordine iudicaris*. At *si ratione* est in cod. Coll. Lincoln. et ed. Ven.

Qui recuperarunt) *Receperunt* Nauger. Facciol. al.

deant, ne turpe miserumque sit, eos, qui equestrem splendorem pati non potuerunt, servi nequissimi dominationem ferre posse.

XLIX. Quae quidem dominatio, iudices, in aliis rebus antea versabatur: nunc vero quam viam munitet, quod iter affectet, videtis; ad fidem, ad iusiurandum, ad iudicia vestra, ad id, quod solum prope in civitate sincerum sanctumque restat. Hicne etiam sese putat aliquid posse Chrysogonus? hic etiam potens esse vult? O rem miseram, atque acerbam! Neque mehercules hoc indigne fero, quod verear, ne quid possit: verum quod ausus est, quod speravit, sese apud tales viros aliquid ad perniciem posse innocentis, id ipsum queror. Idcircone experrecta nobilitas armis atque ferro rempublicam recuperavit, ut ad libidinem suam liberti servulique nobilium et bona, fortunas vestras nostrasque vexare possent? Si id actum est, fateor me errasse, qui hoc maluerim; fateor insanisse, qui cum illis senserim. Tametsi inermis, iudices, sensi. Sin autem victoria nobilium ornamento atque emolumento rei publicae populoque romano debet esse: tum vero optimo et nobilissimo cuique meam orationem gratissimam esse oportet. Quod si quis est, qui et se et causam laedi putet, quum Chrysogonus vituperetur: is causam ignorat, se ipsum prope non novit. Causa enim splendidior

Qui equestrem splendorem pati non potuerunt) Qoi ferre non potuerunt iudicia penes ordinem equestrem esse, antequam a Sulla ad Senatum translata essent.

Quam viam munitet, quod iter affectet) Haec ex aliquo poëta sumpta esse arbitrantur Grut. Ern. alii.

Aliquid ad perniciem posse) *Posse* deesl in aliquot codd. Grut. coni. *quod speravit ipse apud tales viros aliquid ad perniciem innocentis*. Gronov. e lectione ed. Pal. 1, *viros posse aliquid*, legendum conieeit: *quod speravit esse apud tales viros aliquid ad p. i.*

Et bono — vexare possent?) Addidi copulam.

Qui et se et causam laedi putet) Nempe causam nobilitatis.

fiet, si nequissimo cuique resistetur. Ille improbissimus Chrysogoni fautor, qui sibi cum illo rationem communicatam putat, laeditur, quum ab hoc splendore causae separatur.

L. Verum haec omnis oratio, ut iam ante dixi, mea est: qua me uti respublica, et dolor meus, et istorum iniuria coëgit. Sed Roscius horum nil indignum putat: neminem accusat: nihil de suo patrimonio queritur: putat homo imperitus morum, agricola et rusticus, ista omnia, quae vos per Sullam gesta esse dicitis, more, lege, iure gentium facta: culpa liberatus, et crimine nefario solutus cupit a vobis discedere. Si hac indigna suspicione careat, animo aequo se carere suis omnibus commodis dicit. Rogat oratque te, Chrysogone, si nihil de patris fortunis amplissimis in suam rem convertit; si nulla in re te fraudavit; si tibi optima fide sua omnia concessit, adnumeravit, appendit; si vestitum, quo ipse tectus erat, annulumque de digito suum tibi tradidit; si ex omnibus rebus se ipsum nudum, neque praeterea quidquam excepit: ut sibi per te liceat innocenti amicorum opibus vitam in egestate degere. Praedia mea tu possides; ego aliena misericordia vivo; concedo; et quod animus aequus est, et quia necesse est. Mea domus tibi patet, mihi clausa est; fero. Familia mea maxima uteris, ego servum habeo nullum; patior, et ferendum puto. Quid vis amplius? quid insequeris? quid oppugnas? qua in re tuam voluntatem laedi a me putas? ubi tuis commodis officio? quid tibi obsto? Si spoliorum causa vis hominem occidere, spoliasti. Quid quaeris amplius? Si inimicitiarum: quae sunt

Ille improbissimus —causae separatur) Haec ab enarratore aliquo adiecta esse suspicor.

tibi inimicitiae cum eo, cuius ante praedia possedisti, quam ipsum cognosti? Sin metuis: ab eone aliquid metuis, quem vides ipsum ab sese tam atrocem iniuriam propulsare non posse? Sin, quod bona, quae Roscii fuerunt, tua facta sunt, idcirco hunc illius filium studes perdere: nonne ostendis, id te vereri, quod praeter ceteros tu metuere non debeas, ne quando liberis proscriptorum bona patria reddantur? Facis iniuriam, Chrysogone, si maiorem spem emptionis tuae in huius exitio ponis, quam in his rebus, quas L. Sulla gessit. Quod si tibi causa nulla est, cur hunc miserum tanta calamitate affici velis; si tibi omnia sua, praeter animam, tradidit, nec sibi quidquam paternum, ne monumenti quidem causa, reservavit: per deos immortales, quae ista tanta crudelitas est? quae tam fera immanisque natura? Quis unquam praedo fuit tam nefarius, quis pirata tam barbarus, ut, quum integram praedam sine sanguino habere posset, cruenta spolia detrahere mallet? Scis hunc nihil habere, nihil audere, nihil posse, nihil unquam contra rem tuam cogitasse: et tamen oppugnas eum, quem neque metuere potes, neque odisse debes, nec quidquam habere iam reliqui vides, quod ei detrahere possis; nisi hoc indignum putas, quod vestitum sedere in iudicio vides, quem tu e patrimonio, tanquam e naufragio, nudum expulisti. Quasi vero nescias, hunc et ali et vestiri a Caecilia, Balearici filia, Nepotis sorore, spectatissima femina: quae

Aliquid metuis) Graev. e Franc. 1 edidil *metuas*.

Facis iniuriam) *Facis iniuriam Sullae* coni. Lambin.

Ne monumenti quidem causa) Hoc maxime pertiuel ad movendam misericordiam. Referlur autem ad illud cap. 9: *Cui ne iter quidem ad sepulcrum patrium reliquisset.* FACC.

Balearici filia, Nepotis sorore) Haec verba eliamsi forte a grammalico quodam inserta sinl, recte lamen Caeciliae patrem el fralrem designanl. Falso enim quidam opinali sunt, hanc

quum patrem clarissimum, amplissimos patruos, ornatissimum fratrem haberet, tamen quum esset mulier, virtute perfecit, ut, quanto honore ipsa ex illorum dignitate afficeretur, non minora illis ornamenta ex sua laude redderet. An quod diligenter defenditur, id tibi indignum facinus videtur? Mihi crede, si pro patris eius hospitiis et gratia vellent omnes huius hospites adesse, et auderent libere defendere: satis copiose defenderetur. Sin autem pro magnitudine iniuriae, proque eo, quod summa respublica in huius periculo tentatur, haec omnes vindicarent: consistere mehercule vobis isto in loco non liceret.

LI. Nunc ita defenditur, non sane ut moleste ferre adversarii debeant, neque ut se potentia superari putent. Quae domi gerenda sunt, ea per Caeciliam transiguntur: fori iudiciique rationem Messalla, ut videtis, iudices, suscepit. Qui si iam satis aetatis atque roboris haberet, ipse pro Sex. Roscio diceret. Quoniam ad dicendum impedimento est aetas, et pudor, qui ornat aetatem: causam mihi tradidit, quem sua causa cupere ac debere intelligebat; ipse assiduitate, consilio, auctoritate, diligentia perfecit, ut Sex. Roscii vita, erepta de manibus sectorum, sententiis iudicum permitteretur. Nimirum, iudices, pro hac nobilitate pars maxima civitatis in armis fuit: haec acta res est, uti nobiles restituerentur in civitatem,

Caecilism fuisse Sullae uxorem, Metelli pontificis maximi filiam.

Patrem clarissimum) Metellum Balearicum consularem ac triumphalem.

Amplissimos patruos) Tres Caecilios Metellos, Lucium, Marcum, Caium, Balearici fratres qui omnes gesto consulatu triumpharunt, Lucius de Dalmatis, unde Dalmatici cognomen est adeptus, Marcus de Sullis; Caius ex Thracia. MANVT.

Ornatissimum fratrem) Q. Caecilium Metellum Nepotem qui cos. fuit A. V. C. 655.

Quanto honore — afficeretur) Lamb. coni. *quantocumque*: Ernestius *cum tanto*.

Summa res publica) Edd. vett. et Franc. 1, *summa rei publicae*.

qui hoc facerent, quod facere Messallam videtis; qui caput innocentis defenderent; qui iniuriae resisterent; qui, quantum possent, in salute alterius, quam in exitio, mallent ostendere. Quod si omnes, qui eodem loco nati sunt, facerent: et respublica ex illis, et ipsi ex invidia minus laborarent.

LII. Verum si a Chrysogono, iudices, non impetramus, ut pecunia nostra contentus sit, vitam ne petat: si ille adduci non potest, ut, quum ademerit nobis omnia, quae nostra erant propria, ne lucem quoque hanc, quae communis est, eripere cupiat: si non satis habet avaritiam suam pecunia explere, nisi etiam crudelitati sanguine perlitarit: unum perfugium, iudices, una spes reliqua est Sex. Roscio, eadem, quae rei publicae, vestra pristina bonitas et misericordia: quae si manet, salvi etiam nunc esse possumus. Sin ea crudelitas, quae hoc tempore in rem publicam grassata est, vestros quoque animos (id quod fieri profecto non potest) duriores acerbioresque reddidit: actum est, iudices! inter feras satius est aetatem degere, quam in hac tanta immanitate versari. Ad eamne rem vos reservati estis? ad eamne rem delecti, ut eos condemnaretis, quos sectores ac sicarii iugulare non potuissent? Solent hoc

Nisi etiam crudelitati sanguine perlitarit) Vulgo in codd. et edd. legitur *nisi etiam crudelitate sanguinis perlitus sit*. At *crudelitas* est in *homine* non in *sanguine*; et *perlitni crudelitate* adeo est inficetum, ut Ciceronem ita scripsisse mihi quidem nunquam persuaderi possit. Itaque Clerici emendationem Art. Crit. p. III, p. 97 recepi, quae eleganter hanc sententiam exprimit: nisi etiam crudelitati suae sanguine Roscii satisfecerit, s. crudelitatem sanguine satiaverit. Sic Apuleius Metam. 3: *de latronis huius sanguine legibus vestris et disciplinae publicae litate*. Ceterum Cicero videri potuit scripsisse: *nisi etiam crudelitatem sanguine paverit*. Verum haec lectio nimis recedit a volgatae scripturae vestigiis.

In rem publicam grassata est) Vulgo *in re publica versata est*. Codd. Pall. Franc. it. IV Oxx. habent *in rem publicam* et MS. Vrsin. *grassata*. Vtrumque recepit Beck. auctore etiam Garatono.

boni imperatores facere, quum proelium committunt, ut in eo loco, quo fugam hostium fore arbitrentur, milites collocent, in quos, si qui ex acie fugerint, de improviso incidant. Nimirum similiter arbitrantur isti bonorum emptores, vos hic, tales viros, sedere, qui excipiatis eos, qui de suis manibus effugerint. Dii prohibeant, iudices, ut hoc, quod maiores consilium publicum vocari voluerunt, praesidium sectorum existimetur. An vero, iudices, vos non intelligitis, nihil aliud agi, nisi ut proscriptorum liberi quavis ratione tollantur, et eius rei initium in vestro iure iurando, atque in Sex. Roscii periculo quaeri? Dubium est, ad quem maleficium pertineat, quum videatis ex altera parte sectorem, inimicum, sicarium, eundemque accusatorem hoc tempore, ex altera parte egentem, probatum suis filium, in quo non modo culpa nulla, sed ne suspicio quidem potuit consistere? Nunquid aliud videtis obstare Roscio, nisi quod patris bona venierunt? Quod si id vos suscipitis, et eandem ad rem operam vestram profitemini; si idcirco sedetis, ut ad vos adducantur eorum liberi, quorum bona venierunt: cavete, per deos immortales, iudices, ne nova et multo crudelior per vos proscriptio instaurata esse videatur. Illam priorem, quae facta est in eos, qui arma capere potuerunt, tamen senatus suscipere noluit, ne quid acrius, quam more maiorum comparatum est, publico consilio factum videretur: hanc vero, quae ad eorum liberos atque ad infantium puerorum incunabula pertinet, nisi hoc

Cap. LII. *An vero iudices*) Dicit id agi, ut hoc iudicio omnium pro-

Eandem ad rem) Sic Graev. e cod. Franc. At Nauger. Manut. alii, *eadem in re.*

Ad infantium puerorum) Vulgo *infantium:* Praepositionem *ad* recte Beckius inseruit a quinque codd. Oxx.

iudicio a vobis reiicitis et aspernamini, videte, per deos immortales, quem in locum rem publicam perventuram putetis.

Homines sapientes, et ista auctoritate et potestate praeditos, qua vos estis, ex quibus rebus maxime res publica laborat, iis maxime mederi convenit. Vestrum nemo est, quin intelligat, populum romanum, qui quondam in hostes lenissimus existimabatur, hoc tempore domestica crudelitate laborare. Hanc tollite ex civitate, iudices; hanc pati nolite diutius in hac re publica versari; quae non modo id habet in se mali, quod tot cives atrocissime sustulit, verum etiam hominibus lenissimis ademit misericordiam consuetudine incommodorum. Nam quum omnibus horis aliquid atrociter fieri videmus, aut audimus: etiam qui natura mitissimi sumus, assiduitate molestiarum sensum omnem humanitatis ex animis amittimus.

Nihil videtur deesse.

scriptorum interimantor filii. Deinde dicit hoc tantum agere Roscios, quia accusarent innocentem, quum ipsi criminosi sint. — *Homines sapientes*) Sapientis viri est ei rei, quae laborat, afferre remedium. — *Verum etiam hominibus*) Semper vicinitas ex aliena rubigine livorem trahit. Mouet autem iudices Cicero, ne crudeles sint, et incassum interficiant; quamvis, inquit, aliquis mansuetus sit, tamen visa crudelitate fit crudelior; et praesens crudelitas omittenda est, et superior delenda.

EVENTVS

Credibile est, absolutum fuisse Roscium, quum dicat ipse Cicero *in Bruto* cap. 90, causam hanc tantum commendationis habuisse, ut nulla esset, quae non digna patrocinio eius videretur. Quae coniectura confirmari solet ex iis, quae habentur lib. 2 Offic. cap. 14: *Maxime autem et gloria paritur, et gratia defensionibus; eoque maior, si quando accidit, ut ei subveniatur, qui potentis alicuius opibus circumveniri, urgerique videatur; ut nos et saepe alias, et adolescentes contra L. Syllae dominantis opes pro Sex. Roscio Ame-*

rino fecimus. Plutarchus multo clarius videtur tribuere victoriam huius causae Ciceroni quum scribit: ἀναδεξάμενος οὖν τὴν συνηγορίαν, καὶ κατορθώσας ἐθαυμάσθη. Quare metu Syllae primum in Graeciam concessit; deinde in Asiam progressus, eam fere totam peragravit, elapsoque biennio Romam rediit, ut ipse scribit in Bruto cap. 91.

ORATIO

PRO

Q. ROSCIO COMOEDO

ORATIO

PRO

Q. ROSCIO COMOEDO

SVMMARIVM

C. Fannius Chaerea (homo, ut videtur, natione Graecus, fortasse libertinus) cum Q. Roscio, Comoedo nobilissimo, servum suum Panurgum communem fecerat, eumque hac lege ei tradiderat, ut eum arte histrionica erudiret, deinde quaestus ex eius opera et artificio redigendus communis esset. Panurgus autem, quum in ea arte iam aliquantum profecisset, a multisque, ut Roscii discipulus, in scena probaretur, a Flavio quodam Tarquiniensi occiditur. Percussorem quum Roscius iudicio damni iniuria dati persequi vellet, cognitorem in eam rem dedit Fannium. Lite contestata et iudicio constituto Roscius pro sua parte cum Flavio decidit, ab eoque HS cccIↃↃↃ abstulit, non ut numeratam pecuniam, sed pro ea ut agrum acciperet, tanti haud aestimatum Sullanis temporibus, quum iacerent pretia praediorum, qui neque villam haberet, nec ex ulla parte cultus esset. Fannius Roscium pactionem ista pro tota societate, non pro sua parte fecisse contendens, partem dimidiam eius, quod ille a Flavio exegisset, poposcit; Rosciumque ad arbitrum C. Calpurnium Pisonem adegit. Is Roscium rogavit, ut Fannio pro opera, pro labore, quod cognitor fuisset, quod vadimonia obisset, certam pecuniae summam daret, hac conditione, ut si quid ille exegisset a Flavio, partem eius dimidiam Roscio dissolveret. Tum Fannius Flavio litem intendit, iudice C. Cluvio, equite romano, ab eoque exegit HS cccIↃↃↃ. Eius pecuniae dimidiam partem Fannius, quam ex restipulatione Roscio debebat, non modo non persolvit, sed quarto anno post, Flavio interea mortuo, Roscio litem intendit, ab eoque HS IↃↃↃ, dimidiam scilicet partem pretii, quo ager, quem Flavius Roscio

tradiderat, nunc aestimabatur, postulavit, quasi Roscius tum pro tota societate cum Flavio decidisset, in animumque induxisset socium dimidia parte, quae ei deberetur, fraudare.

Acta est causa A. V. C. 677, Cn. Octavio, M. Scribonio Curione Coss. quarto anno post causam Sex. Roscii Amerini defensam. Iudex fuit C. Calpurnius Piso, cui adfuit M. Perperna. Fannii causam egit P. Saturius; Roscii Cicero hac oratione, cuius initium et ultima pars intercidit.

Postquam Cicero docuerat, pecuniam quam Fannius petat, a Roscio non deberi, quia nec ab illo data, nec expensa lata, nec stipulata sit, c. 1—5, demonstrat in Roscium, ut virum optimum et innocentissimum non cadere suspicionem, cum socium suum fraudare voluisse, contra in Fannii ingenium eiusmodi malitiam convenire; c. 6. 7. Porro causam non fuisse, cur Roscius Fannium fraudaretur, quippe qui non solum locuples, sed etiam semper liberalissimus fuisset; c. 8. Deinde ostendit, Roscium illo tempore, quo agrum a Flavio solutionis causa acceperat, cum eo pro sua parte non pro tota societate pactionem fecisse; c. 9—13. Tum demonstrat Fannium postea tantundem, quantum Roscius a Flavio acceperat, ab eo exegisse; id quod T. Manilii et C. Luscii Ocreae testimoniis confirmatur, qui hoc se ex Cluvio audisse dixerunt; c. 14—16. Postremo occurritur calumniae Fannii, qua usus ita dicere posset, etiamsi petiisse suam partem Roscium a Flavio confiteatur, vacuam et integram reliquisse Fannii partem concedat, se tamen contendere, quod ille sibi exegerit, id commune societatis factum esse; c. 17, 18.

I.

* * * (*a*) malitiam naturae, crederetur. Is scilicet vir optimus, et singulari fide praeditus, qui in suo

(*a*) Deest principium orationis una cum narratione et prima parte confirmationis.

Crederetur) Ant. Augustinus coni. *credetur*.

Is scilicet) Ren. Boëmoraeus coni. *Hic scilicet*; nempe innuitur Fannius. Idem delendum putabat pronomen *qui*.

Qui in suo iudicio) Olim edebatur *qui quo iudicio*. At in codd. Pall. Franc. Hotom. est *in suo iudicio* sine *qui*, quod receperunt Garat. Gronov. Beck. At Ern. edidit *qui suo iudicio*.

iudicio, suis tabulis testibus uti conatur. Solent fere dicere, qui per tabulas homines... citi pecuniam expensam tulerunt: egone talem virum corrumpere potui, ut mea causa falsum in codicem referret? Exspecto, quam mox Chaerea hac oratione utatur: «Egone hanc manum (plenam perfidiae), et hos digitos meos impellere potui, ut falsum perscriberent nomen?» Quod si ille suas proferet tabulas: proferet suas quoque Roscius. Erit in illis tabulis hoc nomen; at in huius non erit. Cur potius illius, quam huius, credetur? «Scripsisset ille, si non iussu huius expensum tulisset?» Non scripsisset hic, quod sibi expensum ferri iussisset? Nam, quemadmodum turpe est scribere, quod non debeatur: sic improbum est, non referre, quod debeas. Aeque enim tabulae condemnantur eius, qui verum non retulit; et eius, qui falsum perscripsit. Sed ego, copia et facultate causae confisus, vide quo progrediar. Si tabulas C. Fannius accepti et expensi profert suas, in suam rem, suo arbitratu scriptas: quo minus secundum illas iu-

Mihi optimum visum est *qui in suo iudicio.*

Suis tabulis) Moris erat, ut patresfamiliarum, quaecumque per singulos dies aut acciperent, aut expenderent, ea primum propere ac festinanter in codicem memoriae causa paratum, referrent, quae *adversaria* dicebantur: deinde per otium in aliis tabulis ordine, et accurate perscriberent. Eas *tabulas accepti et expensi* nominabant. De earum fide censores quum urbem lustrarent, patresfamilias iusiurandum (ut ait Dionysius lib. 4) interponere iubebant. Nam ex iis unìuscuiuscumque civis censum aestimabant. Tabulas autem qui in potestate patria erant, nullas conficiebant: ut ex orat. pro Coelio intelligitur. Hotom.

Homines .....citi) Sic legitur in edd. vett. Manutius coni. *homines honesti*. Ant. Augustio. *hominis sciti*. Pantagath. *hominis alieni*. Vrsin. *hominis acciti*. Ernestius *hominis certi*.

Plenam perfidiae) Verba Ernestio iure suspecta. Nemo enim sic ipse in defensione dicat.

Hoc nomen) *Nomen* est quodcumque in tabulas refertur, inscripto eius, cui vel acceptum, vel expensum fertur, nomine. Hot.

Quo minus secundum illas iudicetis) Sic lib. Vrsini, quod Mureto quoque placuerat. Paulo post enim dicitur

dicetis, non recuso. Quis hoc frater fratri, quis parens filio tribuit, ut quodcumque retulisset, id ratum haberet? Ratum habebit Roscius. Profer. Quod tibi fuerit persuasum, huic erit persuasum; quod tibi fuerit probatum, huic erit probatum. Paulo ante M. Perpernae, P. Saturii tabulas poscebamus: nunc tuas, C. Fanni Chaerea, solius flagitamus, et, quo minus secundum eas lis detur, non recusamus. Quid ita non profers? — Non conficit tabulas? Immo diligentissime. Non refert parva nomina in codices? Immo omnes summas. Leve et tenue hoc nomen? HS ccciↃↃↃ sunt. — Quomodo tibi tanta pecunia extraordinaria iacet? Quomodo HS ccciↃↃↃ in codice accepti et expensi non sunt? Proh dii immortales! Essene quemquam tanta audacia praeditum, qui, quod nomen referre in tabulas timeat, id petere audeat? Quod in codicem iniuratus referre noluit, id iurare in litem non dubitet? quod sibi probare non possit, id persuadere alteri conetur?

quo minus secundum eas lis detur. Vulg. *illum.*

Paulo ante M. Perpernae) In codd. Pall. Franc. Vrsin. tribus Oxx. edd. Rom. Br. Med. Iunt. legitur *a M. Perperna P. Saturii*, nisi quod in multis falso servatur *Perpernae.* Hotomannus coni. *paulo ante M. Perperna, Cai Piso argentarii tabulas poscebamus;* quod Lambino hactenus probabatur, ut tamen *P. Saturii* nomen servaretur. Pantagathus sic scribendum putavit: *Paulo ante a M. Perperna P. Saturii tabulas poscebamus, tuas nunc C. Fanni Chaerea solius flagitamus.* Turnebos ita: *Paulo ante M. Perpernae et P. Saturii tabulas poscebamus: nunc tuas C. Fanni Chaerea solius flagitamus.* Quia tamen M. Perperna C. Pisonis assessor erat in iudicio, optimum fuerit cum nonnullis edd. vett. et uno cod. ox. legere *a M. Perperna P. Saturii tabulas poscebamus.* Lectio tamen *M. Perpernae P. Saturii* quam Graevius, Ern. Beck. tuentur, hoc potissimum argumento defenditur, quod duorum hominum *Perpernae et Saturii tabulae* opponuntur *Fannii* solius *tabulis.*

Quo minus secundum eas lis detur) Nihil opus quod iam Lambinus vidit, corrigere *lis decidatur*, vel *iudicetur*, quod quibusdam in mentem venerat pro *lis detur.* Nam *litem dare secundum aliquem*, est *pro aliquo pronuntiare.* Sic Val. Max. II, 8. Gell. V, 10.

Non conficit — Non refert) His verbis iudices alloquitur.

II. Nimium cito, ait, me indignari de tabulis; non habere se hoc nomen in codice accepti et expensi relatum confitetur; sed in adversariis patere contendit. Vsque eone te diligis et magnifice circumspicis, ut pecuniam non ex tuis tabulis, sed ex adversariis petas? Suum codicem testis loco recitare, arrogantiae est. Suarum perscriptionum et liturarum adversaria proferre non amentia est? Quodsi eandem vim, diligentiam, auctoritatemque habent adversaria, quam tabulae: quid attinet codicem instituere? conscribere? ordinem conservare? memoriae tradere literarum vetustatem? Sed si, quod adversariis nihil credimus, idcirco codicem scribere instituimus; quod etiam apud omnes leve et infirmum est, id apud iudicem grave et sanctum esse ducetur? Quid est, quod negligenter scribamus adversaria? quid est, quod diligenter conficiamus tabulas? qua de causa? Quia haec sunt menstrua, illae sunt aeternae; haec delentur statim, illae servantur sancte; haec parvi temporis memoriam, illae perpetuae existimationis fidem et religionem amplectuntur; haec sunt deiecta, illae in ordinem confectae. Itaque adversaria in iudicium protulit nemo;

Me indignari) Edd. ante Ald. *indagare*. Et sic lib. Vrsin. Recte autem se habet *indignari*, quod est in MS. Franc. 1.

In codice) *In codicem* habent complures MSS. et Edd. Verum autem *in codice*.

In adversariis) *Adversaria* dicuntur tabulae ad quotidianum usum paratae: in quibus cursim et negligenter ea scribimus, quae post accuratius in certas, et perpetuo mansuras tabulas ordine ac disposite perscribimus: deductaque ex eo appellatio videtur, quod ibi statui soleant, ubi nobis assidue obversentur: quasi adversus nos positas. Vnde etiam *adversarii* dicti, quasi in quos perpetuo incurramus, vel qui se nobis assidue opponant: hoc enim proprie *adversari* significat. Hotom.

Non ex tuis tabulis) Muretus maluit *non modo ex t. t.*

Haec sunt deiecta) Nisi *deiecta* positum sit, pro *temere coniecta s. dissipata*, malim cum Hotomanno et Lambino *disiecta*. In lib. Vrsini est *coniecta*, quod vulgatae *deiecta* facile praetulerim.

codicem protulit, tabulas recitavit. Tu, C. Piso, tali fide, virtute, gravitate, auctoritate ornatus, ex adversariis pecuniam petere non auderes.

III. Ego, quae clara sunt consuetudine, diutius dicere non debeo; illud vero, quod ad rem vehementer pertinet, quaero: quam pridem hoc nomen, Fanni, in adversaria retulisti? Erubescit; quid respondeat, nescit; quid fingat extemplo, non habet. — Sunt duo menses iam, dices. — Tamen in codice accepti et expensi referri debuit. — « Amplius sunt sex menses ». Cur tamdiu iacet hoc nomen in adversariis? Quid si tandem amplius triennium est? Quomodo, quum omnes, qui tabulas conficiunt, menstruas paene rationes in tabulas transferant, tu hoc nomen triennium amplius in adversariis iacere pateris? Vtrum cetera nomina in codice accepti et expensi digesta habes, an non? Si non: quomodo tabulas conficis? si etiam: quamobrem, quum cetera nomina in ordinem referebas, hoc nomen triennio amplius, quod erat in primis magnum, in adversariis relinquebas? Nolebas sciri, debere Roscium?* Cur scribebas? Rogatus eras, ne referres? Cur in adversariis scriptum habebas?

IV. Sed haec quamquam firma esse video, tamen

Auctoritate ornatus) *Ornatus* deleri volebat Gulielm. recte reprehensus a Graevio.

In codice accepti et expensi) Sic Manutius e coni. Hotom. et Turnebi edidit; antea legebatur *in codicem acceptum et expensum*, quod deinde Graevius aliique restituerunt. Recte autem Ernestius id verum esse negavit, quia h. l. tantum de pecunia expensa agatur. Idem tamen suspicatus est verba *acceptum et expensum* spuria esse. Ego vero verba *accepti et expensi* hic locum suum tueri arbitror, fortasse paulo post in verbis *utrum cetera nomina — habes* delenda. Ceterum utroque loco pro *codicem* rescripsi *codice*, in eoque obsecutus sum Goërenzio ad Cic. de Fin. V, 30, qui tamen utroque loco etiam legi vult *in acceptum et expensum*.

*Alii τελείᾳ στιγμῇ distinguunt. Ed.

Qui tabulas conficiunt) Ita rectius Ed. Ox. Vulgo *conficiant*.

ipse mihi satisfacere non possum, nisi a C. Fannio ipso testimonium sumo, hanc pecuniam ei non deberi. Magnum est, quod conor; difficile est, quod polliceor. Nisi eundem et adversarium et testem habuerit Roscius, nolo vincat. Pecunia tibi debebatur certa, quae nunc petitur per iudicem, in qua legitimae partis sponsio facta est. Hic tu si amplius nummo petisti, quam tibi debitum est, causam perdidisti: propterea quod aliud est iudicium, aliud arbitrium. Iudicium est pecuniae certae, arbitrium incertae. Ad iudicium hoc modo venimus, ut totam litem aut obtineamus, aut amittamus; ad arbitrium hoc animo adimus, ut neque nihil, neque tantum, quantum postulamus, consequamur. Eius rei ipsa verba formulae testimonio sunt. Quid est in iudicio? directum, asperum, simplex: SI PARET HS IↃↃↃ DARI OPORTERE. Hic, nisi planum facit, HS IↃↃↃ

Pecunia tibi debebatur certa) Longa disputatio, in qua ad summam hoc dicit, male Fannium egisse, qui incertam pecuniam petat ad iudicem. Incertam autem Fannium ipsum iudicasse, quum eandem ante *ad arbitrum* petierit. Nam *ad arbitrum* nunquam nisi incertam pecuniam peti. *Arbitrum* autem hoc toto loco etiam eum significat, qui iudex est, sed in iis iudiciis, quae nunc a iurisconsultis vel *arbitria*, vel *bonae fidei* appellantur. In quibus additur EX FIDE BONA. Quibus in causis iidem *iudices* dicebantur et *arbitri*, idem *iudicium* et *arbitrium*. Atque hoc est quod idem ait in Mureniana, *Iurisconsultos nondum statuere potuisse, utrum arbitros an iudices appellarent.* HOTOM.

Legitimae partis) Infra: *Quum tertia parte sponsio facta est.* Sponsione autem is, qui actor erat, lacessere dicebatur, et, si litem perdidisset, simul amittebat eam pecuniam, cuius facta sponsio esset: quam fuisse ex lege tertiam eius partem, de qua litigaretur, ostendit haec oratio. MANVTIVS.

Si amplius nummo) Vulgo scribitur *amplius HS nummo*. Sed notam *HS* Ern. recte spuriam indicavit.

Hoc animo adimus) Recte sic in Edd. Rom. Br. Ven. etc. Graevius e MS. Franc. et aliquot Edd. recepit *hoc modo.*

Quantum postulamus) Iure hoc recepit Beck. e MS. Paris. ap. Lallem. Vulgo *postulavimus.*

Formulae) Quam praetor vel iudici dat, vel arbitro: iudici, *Si paret* HS IↃↃↃ *deberi:* subaudi, tantam solvat: arbitro, *Quantum aequius, et melius sit, dari:* subaudi, iube. MANVT.

DARI OPORTERE) *OPORTERE* quod in edd. vett et MSS. abest ab Hoto-

ad libellam sibi deberi, causam perdit. Quid est in arbitrio? mite, moderatum: QVANTVM AEQVIVS MELIVS. Ille tamen confitetur plus se petere, quam debeatur: sed satis superque habere dicit, quod sibi ab arbitro tribuatur. Itaque alter causae confidit, alter diffidit. Quae quum ita sint, quaero abs te, quid ita de hac pecunia, de his ipsis HS ɪↃↃↃ, de tuarum tabularum fide compromissum feceris, arbitrum sumpseris, quantum aequius et melius sit, dari, repromittive, si pareret? Quis in hanc rem fuit arbiter? Vtinam is quidem Romae esset! Romae est. Vtinam adesset in iudicio! Adest. Vtinam sederet in consilio C. Pisonis! Ipse C. Piso est. Eundemne tu arbitrum et iudicem sumebas? eidem et infinitam largitionem remittebas, et eundem in angustissimam formulam sponsionis concludebas? quis unquam ad arbitrum,

maono adiectum. Sane slibi semper in hac formula adiicitur.

Ad libellam) Ad assem. Idem enim valeut: materia differuot; quod as aereus, libella argenteus nummus est. MANVT.

QVANTVM AEQVIVS MELIVS) Vulgo additur: *ID DARI.* Id recte Ernestiu visum est insititium.

Itaque alter causae confidit) Nempe qui ad iudicem veoit. Sic recte Menardus; at Holom. de eo qoi ad arbitrum veniat, accepit.

Compromissum feceris) In indiciis *sponsiones*, in arbitriis *compromissa* fieri solebant. Illae, ni vere actio iotenderetur; haec, ni damoatus arbitri sententiae pareret. HOT. Compromittere dicuntur, qui hinc inde promittoot, se arbitri sententiae staturos. Inde *compromissarius iudex*. PASSER.

Repromittive) Vt ex arbitri sententia, quantum aequius et melius esset, vel daret tibi Roscius, vel se daturum promitteret» si modo pareret, eum debere. MANVT.

Infinitam) Id est *indefinitam*.

Infinitam largitionem remittebas) Graev. ad h. l. «Quid hoc, inquit, est *infinitam largitionem remittebas*? An id significat, iore tuo poteras obstare, ne iofinita largitiooe uterere, sed remisisti? Nugae. Legendom est: *potestatem remittebas.*» At nibil opos correctione. Nam verba *infinitam largitionem remittebas* significaut, arbitro latissimam potestatem tribuebas ex aeqoo et bouo statuendi. Sic orat. pro Murena c. 20 dicitur *aequitatis largitio*. Et *remittere* saepius ponitur pro *concedere*.

Angustissimam) Remittendi enim potestatem iudex non habet, sed ex formula sponsionis, verbi gratia, si paret, Chaereae HS ɪↃↃↃ Roscium debere, vel omoino condemnare Roscium cogitur, vel absolvere. MANVT.

quantum petiit, tantum abstulit? Nemo. Quantum enim aequius esset sibi dari, petiit. De quo nomine ad arbitrum adisti, de eo ad iudicem venisti. Ceteri quum ad iudicem causam labefactari animadvertunt, ad arbitrum confugiunt: hic ab arbitro ad iudicem venire est ausus, qui quum de hac pecunia, de tabularum fide arbitrum sumpsit, indicavit, sibi pecuniam non deberi. Iam duae partes causae sunt confectae: adnumerasse sese negat; expensum tulisse non dicit, quum tabulas non recitat. Reliquum est, ut stipulatum se esse dicat; praeterea enim quemadmodum certam pecuniam petere possit, non reperio. Stipulatus es? ubi? quo die? quo tempore? quo praesente? quis spopondisse me dicit? Nemo.

V. Hic ego si finem faciam dicendi, satis fidei et diligentiae meae, satis causae et controversiae, satis formulae et sponsioni, satis etiam iudici fecisse videar, cur secundum Roscium iudicari debeat. Pecunia petita est certa; cum tertia parte sponsio facta est. Haec pecunia necesse est, aut data, aut expensa lata, aut stipulata sit. Datam non esse Fannius confitetur; expensam latam non esse, codices Fannii confirmant; stipulatam non esse taciturnitas testium concedit. Quid ergo est? Quod et reus is est, cui et pecunia levissima et existimatio sanctissima fuit semper; et iudex est is, quem nos non minus bene de nobis existimare, quam secundum nos iudicare velimus; advocatio ea est, quam propter eximium splendorem ut unum iudicem

Petiit) Legendum videtur *accepit*.

Indicavit) Ita legitur in edd. vett. et cod. Franc. 1. Idque iam Lambinus probavit, quia infra in re simili ponitur *ostendisti*. Plerique MSS. tamen, et edd. rec. habent *iudicavit*.

Adnumerasse) Ita primus edidit Manutius. Olim legebatur *adulterasse*. Ceterum ea pars orationis, in qua haec pars causae tractabatur, periit.

Quis spopondisse me dicit?) Me quum dicit, Roscii clientis nomine loquitur. Sic saepe patroni causarum.

Ut unum iudicem) Vulgo: *ut iudi-*

vereri debeamus: perinde ac si in hanc formulam omnia iudicia legitima, omnia arbitria honoraria, omnia officia domestica conclusa et comprehensa sint, perinde dicemus. Illa superior fuit oratio necessaria, haec erit voluntaria: illa ad iudicem, haec ad C. Pisonem, illa pro reo, haec pro Roscio; illa victoriae, haec bonae existimationis causa comparata.

VI. Pecuniam petis, Fanni, a Roscio. Quam? dic audacter et aperte. Vtrum quae tibi ex societate debeatur? An, quae ex liberalitate huius promissa sit et ostentata? Quorum alterum est gravius et odiosius, alterum levius et facilius. — «Quae ex societate debetur». Quid ais? Hoc iam neque leviter ferendum est, neque negligenter defendendum. Si qua enim sunt privata iudicia summae existimationis, et paene dicam capitis, tria haec sunt, fiduciae, tutelae, societatis. Aeque enim perfidiosum et nefarium est, fidem frangere, quae continet vitam, et pupillum fraudare, qui in tutelam pervenit, et socium fallere, qui se in negotio coniunxit. Quae quum ita sint, qui sit, qui socium fraudarit et fefellerit, consideremus. Dabit enim nobis iam tacite vita acta in alterutram partem firmum et grave testimonium. Q. Roscius? quid ais? Nonne, ut ignis in aquam coniectus continuo restinguitur et refrigeratur: sic refervens falsum

cem unum. Ernestius vel *ut unum iudicem* (i. e. aliquem) vel *ut unicum iudicem* (i. e. praestantissimum, religiosissimum) scribendum censuit. Prior coniectura verior. Nam totum illud *ut iudicem unum* eiicere nolim. Beckius uncinis inclusit. Garatonus malebat *ut iudicem ipsum*.

Haec pro Roscio) *Ad C. Pisonem*, non ut iudicem, sed ut virum fide, virtute, gravitate ornatum; *pro Roscio*, non ut reo, sed ut viro honestissimo.

Quae ex societate debetur) Vulgo: *quae ex societate debeatur?* cum signo interrogandi. At his verbis inest responsio Fannii. Eum orator iusserat audacter et aperte dicere.

Fidem frangere) *Fiduciam* cod. Ox. χ.

Negotio coniunxit) Codd. Oxx. duo, *negotium*.

crimen in purissimam et castissimam vitam collatum statim concidit et exstinguitur? Roscius socium fraudavit? Potest hoc homini huic haerere peccatum? qui medius fidius (audacter dico) plus fidei, quam artis, quam veritatis, quam disciplinae possidet in se; quem populus romanus meliorem virum, quam histrionem esse arbitratur; qui ita dignissimus est scena propter artificium, ut dignissimus sit curia propter abstinentiam. Sed quid ego ineptus de Roscio apud Pisonem dico? Ignotum hominem scilicet pluribus verbis commendo. Estne quisquam omnium mortalium, de quo melius existimes tu? Estne quisquam, qui tibi purior, pudentior, humanior, officiosior, liberaliorque videatur? Quid? Tu, Saturi, qui contra hunc venis, existimas aliter? Nonne quotiescumque in causa in nomen huius incidisti, toties hunc et virum bonum esse dixisti, et honoris causa appellasti? quod nemo nisi aut honestissimo aut amicissimo facere consuevit. Qua in re mihi ridicule es visus esse inconstans, qui eundem et laederes et laudarcs, et virum optimum et hominem improbissimum esse diceres. Eundem tu et honoris causa appellabas, et virum primarium esse dicebas, et socium fraudasse arguebas. Sed, ut opinor, laudem veritati tribuebas, crimen gratiae concedebas; de hoc, ut existimabas, praedicabas; Chaereae arbitratu causam agebas.

VII. Fraudavit Roscius. Est hoc quidem auribus animisque hominum absurdum. Quid? si tandem aliquem divitem timidum, clementem, inertem nactus

Pudentior) Lambin. et alii, *prudentior*.

Divitem, tim., cl., inertem) Sic Graev. e cod. Franc. 1, quem sequuti sunt Garat. Beck. Vulgo: *timidum*, *dementem*, *divitem*, *inertem*. Pro *dementem* MS. Vrsin. recepit *clementem*. Sensus est: si Roscius incidisset in divitem aliquem qui vel propter timiditatem non auderet, vel ob clementiam nollet, vel propter inertiam non posset litigare.

esset, qui experiri non posset? tamen incredibile esset. Verumtamen, quem fraudarit, videamus. C. Fannium Chaeream Roscius fraudavit. Oro, atque obsecro vos, qui nostis, vitam inter se utriusque conferte; qui non nostis, faciem utriusque considerate. Nonne ipsum caput, et supercilia illa penitus abrasa, olere malitiam, et clamitare calliditatem videntur? Nonne ab imis unguibus usque ad verticem summum (si quam coniecturam affert hominibus tacita corporis figura) ex fraude, fallaciis, mendaciis constare totus videtur? Qui idcirco capite et superciliis semper est rasis, ne ullum pilum viri boni habere dicatur; cuius personam praeclare Roscius in scena tractare consuevit; neque tamen pro beneficio ei par gratia refertur. Nam Ballionem illum improbissimum et periurissimum lenonem quum agit, agit Chaeream. Persona illa lutulenta, impura, invisa, in huius moribus, natura vitaque est expressa. Qui quamobrem Roscium similem sui in fraude et malitia existimarit, nihil videtur; nisi forte, quod praeclare hunc imitari se in persona lenonis animadvertit. Quamobrem etiam atque etiam considera, C. Piso, quis quem fraudasse dicatur. Roscius Fannium? Quid est hoc? probus improbum, pudens impudentem, periurum castus, callidum imperitus, liberalis avidum. Incredibile est, quemadmodum, si Fannius Roscium fraudasse diceretur, utrumque ex utriusque persona veri simile videretur, et Fannium per malitiam fecisse, et Roscium per imprudentiam deceptum esse: sic quum Roscius Fannium fraudasse arguatur, utrumque incredibile est, et Roscium quidquam per avari-

Qui nostis) *Qui utrumque nostis* placuit Hotomannos (et in textum recepit Facciolatus. Ed.)

Superciliis semper est rasis) *Rasus* coni. Ernesti.

Nihil videtur) Gulielm. coni. *nihil*

tiam appetisse, et Fannium quidquam per se bonitate amisisse.

VIII. Principia sunt huiusmodi. Spectemus reliqua. HS ıↃↃↃ Q. Roscius fraudavit Fannium. Qua de causa? Subridet Saturius; veterator, ut sibi videtur. Ait propter ipsa HS ıↃↃↃ. Video; sed tamen cur ipsa HS ıↃↃↃ tam vehementer concupierit, quaero. Nam tibi, M. Perperna, C. Piso, certe tanti non fuissent, ut socium fraudaretis. Roscio, cur tanti fuerint, causam requiro. Egebat? Immo locuples erat. Debebat? Immo in suis nummis versabatur. Avarus erat? Immo etiam, antequam locuples, semper liberalissimus munificentissimusque fuit. Proh deum hominumque fidem! qui HS CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ quaestus facere noluit (nam certe HS CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ merere et potuit et debuit, si potest Dionysia HS CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ merere) is per summam fraudem, et malitiam, et perfidiam HS ıↃↃↃ appetiit? Et illa fuit

causae videtur. Turneb. *non mihi videtur.*

Per se bonitate amisisse) *Per suam bonitatem amisisse* cuni. Hotumann., Lamb., Manut. Graevio placet vulgata *per se bonitate* boc senan, sua sponte, quod benignus et liberalis sit.

Subridet Saturius; veterator, ut sibi videtur. Ait) Cod. Franc. I sic interpungit: *Subridet Saturius. Veterator, ut sibi videtur, ait etc.*

M. Perperna, C. Piso) Transponenda videntur nomina sic *C. Piso, M. Perperna.* Ille enim iudex erat, hic tantum iudici aderat.

M. Perperna) Ante Pisonem iudicem appellatur, quia consularis et censorius. Alius autem est ab eo, qui Sertorium occidit. Nam ille non diu post Sertorii necem, hic autem vixit ad annos 99, ut ait Plinius lib. 7. Manut.

HS CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ CCCIↃↃↃ) Si de annuo Roscii quaestu hic agitur, numeri non conveniunt iis, quae deinde sequuntur, ubi Roscius decem proximis annis *HS* sexagies, i. e. *sexagies centena millia nummum* meruisse dicitur. Itaque h. l. scribendum est *IↃↃↃↃ CCCIↃↃↃ* i. e. sexcenta millia, nisi forte, quod Ferratius putat, h. l. de mercede agitur, quam certis quibusdam ludis, posteriore de mercede, quam omnibus locis merere potuerit. Mihi tamen veri similius videtur priore loco notas numerales corruptas esse.

Dionysia) Nota saltatricula, cuius nomine oratorem Hortensium Torquatus appellabat. Gellius lib. 1, c 5. Hot.

pecunia immanis, haec parvula; illa honesta, haec sordida; illa iucunda, haec acerba; illa propria, haec in causa et in iudicio collocata. Decem his annis proximis HS sexagies honestissime consequi potuit. Noluit. Laborem quaestus recepit; quaestum laboris reiecit. Populo romano adhuc servire non destitit; sibi servire iampridem destitit. Hoc tu unquam, Fanni, faceres? et si hos quaestus recipere posses, non eodem tempore et gestum et animam ageres? Dic nunc te ab Roscio HS ɪↄↄↄ circumscriptum esse, qui tantas et tam infinitas pecunias non propter inertiam laboris, sed propter magnificentiam liberalitatis repudiarit. Quid ego nunc illa dicam, quae vobis in mentem venire certo scio? Fraudabat te in societate Roscius. Sunt iura, sunt formulae de omnibus rebus constitutae, ne quis aut in genere iniuriae, aut in ratione actionis errare possit. Expressae sunt enim ex uniuscuiusque damno, dolore, incommodo, calamitate, iniuria, publicae a praetore formulae, ad quas privata lis accommodatur.

IX. Quae quum ita sint, cur non arbitrum pro so-

Quaestum laboris reiecit) Hoc lumen orationis dicitur Cornificio IV ad Herenn. Commutatio, quum duas sententiae inter se discrepantes ex transiectione ita efferuntur, ut a priore posterior, contraria priori proficiscatur, ut: *Esse oportet, ut vivas, non vivere, ut edas. Si poëma loquens pictura est, pictura tacitum poëma dicitur esse.* Passerat.

Quaestus) Macrobius, lib. 3 Sat. scribit mille in singulos dies denariis meruisse Roscium. Facc.

Recipere posses) Lamb. e coniectura edidit *reficere*.

Et gestum et animam ageres) Gestum ageres, quamdiu viveres, ad extremam vitae horam: tum quoque gestum ageres, quum animam ipsam ageres. locatur in verbo *ageres*, duas res pro adiuncto nomine indicante. Nam, *agere animam*, est mori. Manut.

Accommodatur) *accommodetur* dedit Hotom. auctoritate duorum codd. Et recepit Ernestius. Vulgatam tamen cum Beckio servandam censui.

Cur non arbitrum p. s. adegeris) *cur non arbitrium pro socio adegeris* Hotom. et aliae edd. vett. MS. Vrsin. Pal. *cur non ad arbitrum p. s. a.* Vera autem est vulgata. Saepius Cic. sic loquitur *arbitrum aliquem adigere* pro *ad arbitrum*, c. c. Topic. 10. c.

cio adegeris Q. Roscium, quaero. Formulam non noras? Notissima erat. Iudicio gravi experiri nolebas? Quid ita? Propter familiaritatem veterem? Cur ergo laedis? Propter integritatem hominis? Cur igitur insimulas? Propter magnitudinem criminis? Itane vero? Quem per arbitrum circumvenire non posses, cuius de ea re proprium erat iudicium, hunc per iudicem condemnabis, cuius de ea re nullum est arbitrium? Quin tu hoc crimen aut obiice, ubi licet agere: aut iacere noli, ubi non oportet. Tametsi iam tuo testimonio crimen sublatum est. Nam, quo tu tempore illa formula uti noluisti, nihil hunc in societatem fraudis fecisse ostendisti. «Fecit pactionem». Num tabulas habet, an non? Si non habet, quemadmodum pactio est? Si habet, cur non nominas? Dic nunc Roscium abs te petisse, ut familiarem suum sumeres arbitrum. Non petiit. Dic pactionem fecisse, ut absolveretur. Non pepigit. Quaere, quare sit absolutus. Quod erat summa innocentia et integritate. Quid enim factum est? Venisti domum ultro Roscii; satisfecisti, quod temere commisisses; in iudicium ut

Propter magnitudinem criminis?) Haec lectio est a Turneb. Antea edebatur *propter aegritudinem criminis.* Vnde Gruter. coniiciebat: *propter acritudinem criminis.* Idque satis est speciosum. Beckius coni. *propter aegritudinem*, scil. quod Fannius doluerit se arbitrio circumvenire Roscium non potuisse.

Vbi licet agere) Apud arbitrum. Quod fecerat Chaerea, sed, pactione interposita, litigare apud arbitrum desierat. MAN.

Iacere) Obiicere.

Vbi non oportet) Apud iudicem.

Illa formula uti noluisti) Coeptam litem ad arbitrum persequi noluit. Quae sit arbitrii, quae iudicii formula, iam dictum est (vid. supra p. 153). MAN.

In societatem fraudis) *in societate* dedit Beck. e V codd. Oxonn. Fr. I.

Fecit pactionem) Verba Fannii. Volebam, inquit, litem institutam persequi: sed Roscius metuens, ne turpi iudicio damnaretur, fecit pactionem. HOTOM.

Num tabulas habet) Lamb. maluit *num in tabulis habet*? scil. Fannius hanc pactionem. Menardo placebat: *Num tabulas habes — si non habes — si habes —*

Satisfecisti) Excusasti te, purgasti te verbis. Id enim est *satisfacere.*

denuntiaret, rogasti; te affuturum negasti: debere tibi ex societate nihil, clamitasti. Iudici hic denuntiavit; absolutus est. Tamen fraudis ac furti mentionem facere audes? Perstat in impudentia. «Pactionem enim, inquit, mecum feceral. Idcirco videlicet ne condemnaretur». Quid erat causae, cur metueret, ne condemnaretur? «Res erat manifesta; furtum erat apertum».

X. Cuius rei furtum factum erat? Exorditur magna cum exspectatione veteris histrionis exponere societatem. «Panurgus, inquit, fuit Fannii. Is fuit ei cum Roscio communis». Hic primum questus est non leviter Saturius, communem factum esse gratis cum Roscio, qui pretio proprius fuisset Fannii. Largitus est scilicet homo liberalis, et dissolutus, et bonitate affluens Fannius Roscio? Sic puto. Quoniam ille hic constitit paulisper, mihi quoque necesse est paulum commorari. Panurgum tu, Saturi, proprium Fannii dicis fuisse. At ego totum Roscii fuisse contendo. Quid erat enim Fannii? Corpus. Quid Roscii? Disciplina. Facies non erat, ars erat pretiosa. Ex qua parte erat Fannii, non erat HS ɪↄↄↄ; ex qua parte

Hinc *satisfactionem accipere*: pro, excusationem probare. MANVT.

Te affuturum negasti) Sic Ernest. h. l. constituendum censuit. Vulgo legebatur: *satisfecisti: quod temere commisisses in iudicium, ut denuntiaret; rogasti, ut ignosceret; te affuturum etc.* Graevius sic emendaverat: *satisfecisti quod temere commisisses, id iudici, ut denuntiaret, rogasti: rogasti, ut ignosceret, te affuturum etc.*

Iudici hic denuntiavit) i. e. iudici hic denuntiavit te actionem depunere; itaque dimissus et hoc iudicio liberatus est Roscius.

Veteris histrionis) Panurgi. Cum ironia dictum. Quomodo enim vetus histrio, si eum Fannius Roscio erudiendum tradidit, et communem gratis fecit? Tota igitur irrisio est, magnificis prolata verbis, ad exprimendam Saturii ostentationem, qui, quod magna cum exspectatione exorsus est, paucissimis verbis absolvit: tantum enim hoc dixit: Panurgus fuit Fannii. Is fuit ei cum Roscio communis. Qua narratione quid humilius? MANVT.

erat Roscii, amplius erat HS cccIↃↃↃ. Nemo enim illum ex trunco corporis spectabat, sed ex artificio comico aestimabat. Nam illa membra merere per se non amplius poterant duodecim aeris: disciplina, quae erat ab hoc tradita, locabat se non minus HS cccIↃↃↃ. O societatem captiosam et indignam! ubi alter HS IↃↃↃ, alter cccIↃↃↃ quod sit, in societatem affert; nisi idcirco moleste pateris, quod HS IↃↃↃ tu ex arca proferebas, HS cccIↃↃↃ ex disciplina et artificio Roscius promebat. Quam enim spem et exspectationem, quod studium, et quem favorem secum in scenam attulit Panurgus? Quod Roscii fuit discipulus. Qui diligebant hunc, illi favebant; qui admirabantur hunc, illum probabant; qui denique huius nomen audierant, illum eruditum et perfectum existimabant. Sic est vulgus: ex veritate pauca, ex opinione multa aestimat. Quid sciret ille, perpauci animadvertebant. Vbi didicisset, omnes quaerebant. Nihil ab hoc pravum et perversum produci posse arbitrabantur. Si veniret ab Statilio; tametsi artificio Roscium superaret, aspicere nemo posset. Nemo enim, sicut ex improbo patre probum filium nasci, sic ex pessimo histrione bonum comoedum fieri posse existimaret. Quia veniebat a Roscio, plus etiam scire, quam sciebat, videbatur. Quod item nuper in Erote comoedo usu venit: qui, posteaquam e scena non modo sibilis, sed etiam convicio explodebatur, sicut in aram, confugit in huius

Amplius erat HS cccIↃↃↃ) Hi numeri sine dubio vitiati sunt. In codd. aliquot Oxonn. pro *HS IↃↃↃ* est *LIII* et pro *cccIↃↃↃ* legitur *cccLIII*.

O societatem c. et indignam!) *iniquam* coni. Lambin., sed infra quoque c. 17 est de hac ipsa societate: *quo nihil captiosius, neque indignius potest dici.*

Quam enim spem) Vulgo *quam enim rem*. Recepi *spem* e coniectura Boëmoraei, quam Graevius et Ernest. probarunt.

Ab Statilio) Pessimo histrione: arguit ab exemplo dissimili.

domum, disciplinam, patrocinium, nomen. Itaque perbrevi tempore, qui ne in novissimis quidem erat histrionibus, ad primos pervenit comoedos. Quae res extulit eum? Vna commendatio huius: qui tamen Panurgum illum, non solum ut Roscii discipulus fuisse diceretur, domum recepit, sed etiam summo cum labore, stomacho, miseriaque erudiit. Nam, quo quisque est sollertior et ingeniosior, hoc docet iracundius et laboriosius. Quod enim ipse celeriter arripuit, id quum tarde percipi videt, discruciatur.

XI. Paulo longius oratio mea provecta est hac de causa, ut conditionem societatis diligenter cognosceretis. Quae deinde sunt consequuta? « Panurgum, inquit, hunc, servum communem, Q. Flavius Tarquiniensis quidam interfecit. In hanc rem, inquit, me cognitorem dedisti. Lite contestata, iudicio damni iniuria constituto, tu sine me cum Flavio decidisti ». Vtrum pro dimidia parte, an pro tota societate? Planius dicam, utrum pro me, an et pro me et pro te? Pro me potui exemplo multorum; licitum est iure (fecerunt multi); nihil in ea re tibi iniuriae feci. Pete tu tuum, exige, et aufer, quod debetur. Suam quisque partem iuris possideat et persequatur. « At enim tu tuum negotium gessisti bene ». Gere et tu

Iudicio damni iniuria constituto) In formula solemni *damni iniuria* subauditur *dati*. Sic infra c. 18, *lis contestata c. Flavio damni iniuria*. Et digestor. IX, tit. II, leg. 1: *Lex Aquilia omnibus legibus, quae ante se de* damno iniuria *locutae sunt, derogavit*. Itaque minime delendum est *iniuria*, quod Ernestio in mentem venit.

An et prò me) Sic Beckius e tribus codd. Oxonn. Vulgo *an pro me*.

Fecerunt multi) Graevius sic interpunxit: *Pro me? potui: exemplo multorum licitum est: iure fecerunt multi: nihil — feci*. Et sic fere Ern. nisi quod signum interrogandi post *pro me* sustulit. Ren. Boëmoraeus et Lambin. sic distinguebant: *pro me? potui exemplo multorum: licitum est iure: fecerunt multi etc.* Equidem verba *fecerunt multi* a scholiaste accessisse puto, qui vellet interpretari verba *exemplo multorum*.

tuum bene. « Magno tu[1] tuam dimidiam partem decidisti ». Magno et tu tuam partem decide. « HS CCCIↃↃↃ tu abstulisti ». Si sit hoc verum, HS CCCIↃↃↃ tu quoque aufer. Sed hanc decisionem Roscii, oratione et opinione augere licet: re et veritate mediocrem et tenuem esse invenietis. Accepit enim agrum temporibus iis, quum iacerent pretia praediorum; qui ager neque villam habuit, neque ex ulla parte fuit cultus; qui nunc multo pluris est, quam tunc fuit. Neque id est mirum. Tum enim propter rei publicae calamitates, omnium possessiones erant incertae; nunc, deum immortalium benignitate, omnium fortunae sunt certae: tum erat ager incultus sine tecto; nunc est cultissimus cum optima villa. Verumtamen, quoniam natura tam malivolus es, nunquam ista te molestia et cura liberabo. Praeclare suum negotium gessit Roscius; fundum fructuosissimum abstulit: quid ad te? Tuam partem dimidiam, quemadmodum vis, decide. Vertit hic rationem, et id, quod probare non potest, fingere conatur. « De tota re, inquit, decidisti ».

Tu abstulisti) Post verba *at enim*, deinde inter *magno* et *tuam*, denique ante *abstulisti*, recentiores quidam editores, ut Ernestius, expunxerunt pronomen *tu*, quod recte restituerunt Graev. et Beck.

Si sit hoc verum) Vulgo *si sit hoc vero*: quod edidi, est in MS. Vrsini, Hotom. et Tarn. — Lambinus autem, *si fit hoc vero*, recte se haberi contendit, et interpretatur tempus praesens pro praeterito, hoc modo: *Si vero hoc fit*, i. e. *Si vero hoc factum est*. Typ. T.

Hanc decisionem R. o. et op. augere licet) Nempe magnum videtur, quum Roscius dicitur a Flavio *HS CCCIↃↃↃ* abstulisse. At non accepit illam pecuniae summam, sed pro ea agrum, qui multo minoris erat pretii.

Molestia et cura) scil. invidiae, quod Fannius aegre ferebat Roscium illud negotium bene gessisse.

Liberabo) *liberabis* edd. Rom. Br. Mediol. codd. Oxonn. tres.

Vertit hic rationem) Franc. 1 *orationem*. Idem proxime *approbare*.

Vertit hic rationem) Immutavit defensionem: aliam defensionis viam iniit. Hotom. Quia duo proposuerat: Vtrum pro dimidia parte, an pro tota societate? et unum absolvit, licuisse Roscio pro sua parte decidere; aggreditur alterum, *pro tota societate*.

XII. Ergo huc universa causa deducitur, utrum Roscius cum Flavio de sua parte, an de tota societate fecerit pactionem. Nam ego Roscium, si quid communi nomine tetigit, confiteor praestare debere societati. « Societatis, non suas lites redemit, quum fundum a Flavio accepit ». Quid ita? satis non dedit, AMPLIVS NEMINEM PETITVRVM? Qui de sua parte decidit, reliquis integram relinquit actionem. Qui pro sociis transigit, satisdat, neminem eorum postea petiturum. Quid ita Flavio sibi cavere non venit in mentem? Nesciebat videlicet Panurgum fuisse in societate? Sciebat. Nesciebat, Fannium Roscio esse socium? Praeclare. Nam iste cum eo litem contestatam habebat. Cur igitur decidit, et non restipulatur, neminem amplius petiturum? cur de fundo decidit, et iudicio non absolvitur? cur tam imperite facit, ut nec Roscium stipulatione alliget, neque a Fannio iudicio se absolvat? Est hoc primum, et ex conditione iuris et ex consuetudine cautionis, gravissimum et firmissimum argumentum: quod ego pluribus verbis amplecterer, si non alia certiora et clariora testimonia in causa haberem.

XIII. Et, ne forte me hoc frustra pollicitum esse praedices: te, te, inquam, Fanni, ab tuis subselliis contra te testem suscitabo. Criminatio tua quae est?

Vertit, inquit, Fannius rationem, non sit Roscium pro se, sed pro tota societate decidisse. MANVT.

Lites redemit) Roscius, accepto fundo, liberavit Flavium litibus non suis, sed societatis. Obiectio Fannii. ID.

AMPLIVS NEMINEM PETITVRVM?) Vulgo *amplius a se.* Voculas autem *a se* delendas esse recte iudicavit Garatonus, nisi velis vel cum Boëmoraco *amplius esse*, vel cum Lambino *amplius ab eo* rescribere.

De fundo decidit) *de fundo decedit* coni. Passerat., et legitur in cod. Ox. S. omnino verba *cur de fundo — absolvitur* superflua sunt, ut e glossis conflata esse videantur.

Iudicio non absolvitur?) Litibus non liberatur, quae a Fannio, Roscii socio, imminent. MANVT.

Testem suscitabo) *excitabo* MS. Vr.

Roscium cum Flavio pro societate decidisse. Quo tempore? Abhinc annis IV. Defensio mea quae est? Roscium pro sua parte cum Flavio transegisse. Repromittis tu abhinc triennium Roscio. Quid? Recita istam restipulationem clarius. Attende, quaeso, Piso. Fannium invitum, et huc atque illuc tergiversantem, testimonium contra se cogo dicere. Quid enim restipulatio clamat: QVOD A FLAVIO ABSTVLERO, PARTEM DIMIDIAM INDE ROSCIO ME SOLVTVRVM SPONDEO. Tua vox est, Fanni. Quid tu auferre potes a Flavio, si Flavius nihil debet? Quid hic porro nunc restipulatur, quod iampridem ipse exegit? quid vero Flavius tibi daturus est, qui Roscio omne, quod debuit, dissolvit? cur in re tam veteri, in negotio tam confecto, in societate dissoluta, nova haec restipulatio interponitur? Quis est huius restipulationis scriptor? testis? arbiter? quis? Tu Piso. Tu enim Q. Roscium pro opera, labore, quod cognitor fuisset, quod vadimonia obisset, rogasti, ut Fannio daret HS CCIↃↃ IↃↃ hac

Abhinc annis IV) Olim edebatur *annis XV*, manifesto mendo, quod est in omnibus MSS. Correxit Hotomannus numeralam *IV* reponendo. Fortasse tamen inter decisionem Roscii et repromissionem Fannii plures anni intercesserunt, quia Cicero illam *rem veterem*, et paulo post *decisionem veterem Roscii* appellat.

Contra se cogo dicere) Vulgo *contra se dicere cogo*. Vt vitetur numerus poëticus, iam Boëmoraeus ultima verba transponenda censuit. Lamb. malebat *testimonium dicere contra se cogo*. Prior tamen ratio melior.

Si Flavius nihil debet) Si, ut contendis, Roscius decidit cum Flavio pro societate, Flavius nihil debet; si nihil debet, quid ab eo auferre potes? Tamen in restipulatione dicis *quod a Flavio abstulero*. Quid hoc significat? nisi Roscium, vel ex tuo testimonio, pro se tantum, non vero pro societate decidisse. Hor.

Tam confecto) Gulielm. et Passer. legendum putabant *iam confecto*.

HS CCIↃↃ IↃↃ) Vulgo edebatur *CCCIↃↃↃ*, in quo manifestum vitium deprehendit Hotomannus. Quomodo enim Rosciis Fannio pro opera totam summam, quam ipse a Flavio exegisset, daret? Lambinus correxit *CCIↃↃ IↃↃ* i.e. quindecim millia, quod etsi ipsum vix satis certum, tamen haud absurdum est. Ceterum codd. Oxonn. IV habent *CCCLIII*. Manutio placebat *CCIↃↃ*; Ernestio *IↃↃↃ*.

conditione, ut, si quid ille exegisset a Flavio, partem eius dimidiam Roscio dissolveret. Satisne ista restipulatio dicere tibi videtur aperte, Roscium pro se decidisse? At enim forsitan hoc tibi veniat in mentem, repromisisse Fannium Roscio, si quid a Flavio exegisset, eius partem dimidiam: sed omnino exegisse nihil. Quid? tu non exitum exactionis, sed initium repromissionis spectare debes; neque, si ille persequi noluit, non, quod in se fuit, iudicavit, Roscium suas, non societatis lites redemisse. Quid? si tandem planum facio, post decisionem veterem Roscii, post repromissionem recentem hanc Fannii, HS ccciↃↃↃ Fannium a Q. Flavio Panurgi nomine abstulisse, tamenne diutius illudere viri optimi existimationi audebit?

XIV. Paulo ante quaerebam, id quod vehementer ad rem pertinebat, qua de causa Flavius, quum de tota lite faceret pactionem, neque satis acciperet a Roscio, neque iudicio absolveretur a Fannio. Nunc vero, id quod mirum et incredibile est, requiro, quamobrem, quum de tota re decidisset cum Roscio, HS ccciↃↃↃ separatim Fannio dissolvit? Hoc loco, Saturi, quid pares respondere, scire cupio. Vtrum omnino Fannium a Flavio HS ccciↃↃↃ non abstulisse?

At enim — tibi) Prolepsis el transitio. *Tibi*, o Saturi. Hactenus ostendit Roscium pro sua parte tantum, et parvo pretio, decidisse: iam probaturus est Fannium etiam a Flavio, Panurgi nomine, pecuniam abstulisse, atque ideo Roscium suas, non societatis, lites redemisse. HOT.

Exitum exactionis) Hotomanno legendum videbatur *actionis*. Verum, quod monuit Lambinus *exitus exactionis* est i. q. effectus exactionis.

Initium repromissionis) Originem et causam repromissionis Fannii. Ideo enim repromisit, quia Roscium iudicabat pro sua parte, non pro societate, decidisse. MANVT.

Tamenne diutius illudere) *Tamenne* em. Lambin. Vulgo *tamen* (praecedente nota interrogationis. ED.)

Viri optimi existimationi) Vulgo additur *Q. Roscii*, quod ex ora libri in contextum orationis translatum esse recte Lambinus iudicavit.

An alio nomine et alia de causa abstulisse? Si alia de causa: quae ratio tibi cum eo intercesserat? Nulla. Addictus erat tibi? Non. Frustra tempus contero. «Omnino, inquit, HS ccciↃↃↃ a Flavio non abstulit, neque Panurgi nomine, neque cuiusquam». Si planum facio, post hanc recentem stipulationem Roscii, HS ccciↃↃↃ a Flavio te abstulisse: nunquid causae est, quin ab iudicio abeas turpissime victus? Quo teste igitur hoc planum faciam? Venerat, ut opinor, haec res in iudicium. Certe. Quis erat petitor? Fannius. Quis reus? Flavius. Quis iudex? Cluvius. Ex his unus mihi testis est producendus, qui pecuniam datam dicat. Quis est ex his gravissimus? Sine controversia, qui omnium iudicio comprobatus est iudex. Quem igitur ex his tribus a me testem exspectas? Petitorem? Fannius est; contra se nunquam testimonium dicet. Reum? Flavius est. Is iampridem est mortuus. Si viveret, verba eius audiretis. Iudicem? Cluvius est. Quid is dicit? HS ccciↃↃↃ Panurgi nomine Flavium Fannio dissolvisse. Quem tu si ex censu spectas, eques romanus est; si ex vita, homo clarissimus est; si ex te, iudicem sumpsisti; si ex veritate, id, quod scire potuit et debuit, dixit. Nega,

An alio nomine et alia de causa abstulisse?) Cod. Franc. I, *Fannius a Flavio Sest. CCCLIII non abstulisset? an alio nomine abstulisset?*

Addictus erat tibi?) Apud veteres, qui pecuniae damnati iudicatum facere non poterant, nexi in servitutem creditoribus addicebantur. Hot. Vide lib. 1 de Orat. cap. 63.

Quis est—iudex) Haec verba, si abessent, nemo desideraret. Sane nexum orationis venustum et obscurant magis quam illustrant.

Exspectas?) Sic reposui pro vulgatum *spectabis* Hotom. coni. *exspectabis*, qood receperunt Lamb., Oliv., Lall., Oxx., Beck. Manutius vidit praesens hic aptius esse, et vel *exspectas*, vel *exspectatis* legendum. Plurali autem hic non est locus. Loquitur cum Saturio.

Homo clarissimus) Lambin. coni. *homo castissimus*. Vulgatum *clarissimus* defendi potest sic, ut sit i. q. honestissimus, a. ut Graevius exponit, spectatae et ab omnibus celebratae integritatis et probitatis.

nega nunc, equiti romano, homini honesto, iudici tuo, credi oportere. Circumspicit, aestuat; negat nos Cluvii testimonium recitaturos. Recitabimus; erras; inani et tenui spe te consolaris. Recita testimonium T. Manilii et C. Luscii Ocreae, duorum senatorum, hominum ornatissimorum, qui ex Cluvio audierunt.

TESTIMONIVM T. MANILII, ET C. LVSCII OCREAE.

XV. Vtrum dicis? Luscio et Manilio, an et Cluvio non esse credendum? Planius atque apertius dicam. Vtrum Luscius et Manilius nihil de HS ccclɔɔɔ ex Cluvio audierunt? an Cluvius falsum Luscio et Manilio dixit? Hoc ego loco, soluto et quieto sum animo; et, quorsum recidat responsum tuum, non magnopere laboro. Firmissimis enim et sanctissimis testimoniis virorum optimorum causa Roscii communita est. Si iam tibi deliberatum est, quibus abroges fidem iuris iurandi, responde. Manilio et Luscio negas esse credendum? Dic, aude. Est tuae contumaciae, arrogantiae, vitaeque universae vox. Quid? exspectas, quam mox ego Luscium et Manilium dicam, ordine, esse senatores; aetate, grandes natu; natura, sanctos et religiosos; copiis rei familiaris, locupletes et pecuniosos? non faciam; nihil mihi detraham, quum illis exactae aetatis severissime fructum, quem meruerunt, retribuam. Magis mea adolescentia indiget illorum bona existimatione, quam illorum severissima

C. Luscii Ocreae) Frustra Ant. Augustinus et Vrsin. e vestigiis codd. in quibus scriptum erat *Ocric.* scribendum esse coniecerunt *Ocriculani*. *Ocrea* est cognomen Lusciorum et hunc ipsum C. Luscium Ocream Pighius. A. V. 644 quaestorem putat fuisse.

Nihil mihi—retribuam) Verba subobscura, et mihi quidem ob scabritiem dictionis suspecta. Si genuina sunt, hic sensus sit necesse est, quem declaravit Hotomannus: nihil sciens de mea existimatione detraham, quod facerem, si tantum mihi sumerem, ut de illorum exacta severissime aetate, adolescens et nulla auctoritate praeditus, iudicium meum interponerem.

senectus desiderat meam laudem. Tibi vero, Piso, diu deliberandum et concoquendum est, utrum potius Chaereae iniurato in sua lite, an Manilio et Luscio iuratis in alieno iudicio credas.

XVI. Reliquum est, ut Cluvium falsum dixisse Luscio et Manilio contendat; quod si facit, qua impudentia est, eumne testes improbabit, quem iudicem probarit? ei negabit credi oportere, cui ipse crediderit? eius testis ad iudicem fidem infirmabit, cuius propter fidem et religionem iudicis, testes comparabat? quem ego si ferrem iudicem, refugere non deberet; quum testem producam, reprehendere audebit? « Dixit enim, inquit, iniuratus Luscio et Manilio ». Si diceret iuratus crederes? At quid interest inter periurum et mendacem? (Qui mentiri solet, peierare consuevit). Quem ego, ut mentiatur, inducere possum; ut peieret, exorare facile potero. Nam, qui semel a veritate deflexit, hic non maiore religione ad periurium, quam ad mendacium perduci consuevit. Quis enim deprecatione deorum, non conscientiae

Concoquendum est) Graevio legendum videbatur *coquendum*. Sed *concoquendum* h. l. est idem ac *percoquendum* s. valde *pensitandum*. Vidit Ernestius in Clav. h. v.

Si ferrem iudicem) *Iudicem* enim actor, quem ei commodum erat, ferebat; reus aut recusabat, si sibi eum iniquum fore putaret, aut comprobabat: comprobato ab utroque iudici praetor iudicandi potestatem faciebat. Hinc *iudex* dictus, ut scribit Varro, qui iudicat accepta potestate. *Ferre* autem *iudicem* veteres dicebant pro offerre. Sic lib. de Orat. II: *Quum ei M. Flavius in aliis probris obiectis P. Mucium iudicem tulisset* etc. Item: *Servilius ille Galba quum iudices a Scribonio Tribuno pleb. ferat familiares suos* etc. ID.

Qui mentiri solet, peierare consuevit) Haec uncis inclusa ex nota marginali in textum venisse videntur.

Quis enim deprecatione deorum) Coniicio legendum: *quis enim deprecatione deorum moveatur, qui conscientiae fide non commovetur?* — *Deprecatio deorum*, quod vidit Passeratius, est illa detestatio in iure iurando, qua si mentiamur, divini numinis poenam deposcimus. Malo Manutius *deprecatione* interp. *alienatione*.

fide commovetur? Propterea, quae poena ab diis immortalibus periuro, haec eadem mendaci constituta est. Non enim ex pactione verborum, quibus ius iurandum comprehenditur, sed ex perfidia et malitia, per quam insidiae tenduntur alicui, dii immortales hominibus irasci et succensere consuerunt. At ego hoc ex contrario contendo. Levior esset auctoritas Cluvii, si diceret iuratus, quam nunc est, quum dicit iniuratus. Tum enim forsitan improbis nimis cupidus videretur, qui, qua de re iudex fuisset, testis esset; nunc omnibus inimicis necesse est castissimus et constantissimus esse videatur, qui id, quod scit, familiaribus suis dicit. Dic nunc, si potes, si res, si causa patitur, Cluvium esse mentitum. Mentitus est Cluvius? Ipsa mihi veritas manum iniicit, et paulisper consistere et commorari cogit. Vnde hoc totum ductum et conflatum mendacium est? Roscius est videlicet homo callidus et versutus; hoc initio cogitare coepit: quoniam Fannius a me petit HS ɪↄↄↄ, petam a C. Cluvio, equite romano, ornatissimo homine, ut mea causa mentiatur; dicat, decisionem factam esse, quae facta non est; HS ᴄᴄᴄɪↄↄↄ a Flavio data esse Fannio; quae data non sunt. Est hoc principium improbi animi, miseri ingenii, nullius consilii. Quid deinde? Posteaquam se praeclare confirmavit,

Ex pactione) Vrsino melior visa lectio cod. antiqui *peractione*. Sed ut *pacta verba* dicuntur, sic *pactio verborum* in iure iurando est formula sollemnis, in qua inest conditio, ut: *si sciens fallo, tum me Iupiter perduit.*

Hoc initio cogitare coepit) Post *initio* Ernestius commate interposuit. Nihil opus. Sensus enim est: *Initio hoc cogitare coepit*, cui respondet: *Quid deinde?*

Improbi animi, miseri ingenii, nullius consilii) *Improbi animi*, quia ad fraudem spectabat, *miseri ingenii*, quia dolus erat parum callide excogitatus, *nullius consilii*, quia facile praevideri poterat Cluvio persuaderi non posse, ut mentiretur. Itaque non erat, quod Ernestius verba *nullius consilii* e glossa nata suspicaretur. Ceterum edd. pr. *nulli consilii.*

venit ad Cluvium. Quem hominem? levem? immo gravissimum. Mobilem? immo constantissimum. Familiarem? immo alienissimum. Hunc posteaquam salutavit, rogare coepit, blande et concinne scilicet: «mentire mea causa, viris optimis, tuis familiaribus praesentibus; dic, Flavium cum Fannio de Panurgo decidisse, qui nihil transegit; dic HS ccciɔɔɔ dedisse, qui assem nullum dedit». Quid ille? «Ego vero cupide et libenter, inquit, mentiar tua causa; et, si quando me vis peierare, ut paululum tu compendii facias, paratum fore scito; non fuit causa, cur tantum laborem caperes, et ad me venires; per nuntium hoc quidem tam leve transigere potuisti». Proh deum hominumque fidem! hoc aut Roscius unquam a Cluvio petisset, si HS millies in iudicium haberet? aut Cluvius Roscio petenti concessisset, si universae praedae particeps esset? Vix mediusfidius tu, Fanni, a Ballione aut aliquo eius simili hoc expostulare auderes et impetrare posses, quod quum est veritate falsum, tum ratione quoque est incredibile. Obliviscor enim, Roscium et Cluvium viros esse primarios; improbos temporis causa esse fingo. Falsum subornavit testem Roscius Cluvium. Cur tam sero? Cur quum altera pensio solvenda esset, non tum, quum prima? Nam iam antea HS ɪɔɔɔ dissol-

Quid ille?) Vulgo additur *respondit*, et post *libenter*, abest *inquit*. Ego Lambinum et Manutium sequutus sum.

Per nuntium hoc quidem tam leve) Sic Franc. 1. Vulgo *hoc, quod erat tam leve*.

Hoc expostulare auderes) In multis codd. et edd. vett. est *postulare*. Ga③raton. coni. et *postulare*. Forsan verius *aut postulare — aut impetrare*.

Altera pensio) Id est, solutio. Apparet decisionis no[illegible]ine trecenta Flavium Fannio promisisse: e quibus centum et quinquaginta, id est, dimidia pars Flavio debebatur: quam summam duabus pensionibus solutam esse ostendit. HOTOMAN.

Non tum, quum prima?) Nam, si subornare falsum testem Roscius Cluvium voluisset, certe subornasset potius ante, quam primam pensionem

verat. Deinde, si iam persuasum erat Cluvio, ut mentiretur: cur potius HS ccciɔɔɔ, quam ccciɔɔɔ ccciɔɔɔ ccciɔɔɔ data dixit Fannio a Flavio, quum ex stipulatione pars eius dimidia Roscii esset? Iam intelligis, C. Piso, sibi soli, societati nihil Roscium petisse. Hoc quum sentit Saturius esse apertum, resistere et repugnare contra veritatem non audet; aliud fraudis et insidiarum in eodem vestigio diverticulum reperit.

XVII. «Petisse, inquit, suam partem Roscium a Flavio confiteor; vacuam et integram reliquisse Fannii concedo; sed, quod sibi exegit, id commune societatis factum esse contendo». Quo nihil captiosius, neque indignius potest dici. Quaero enim, potueritne Roscius ex societate suam partem petere, necne? Si non potuit: quemadmodum abstulit? si potuit: quemadmodum non sibi exegit? Nam quod sibi petitur, certe alteri non exigitur. An ita est? Si, quod universae societatis fuisset, petisset, id, quum redactum esset, aequaliter omnes partirentur: nunc, quum petierit, quod suae partis esset, non, quod abstulit, soli sibi exegit? Quid interest inter eum, qui per se litigat, et qui cognitor est datus? Qui per se litem contestatur, sibi soli petit; alteri nemo potest, nisi qui cognitor est factus. Itane vero? cognitor si fuisset tuus, quod vicisset iudicio, ferres tuum. Suo nomine petiit; quod abstulit, sibi, non tibi exegit. Quod si quisquam petere potest alteri, qui cognitor non est factus: quaero, quid ita, quum Panurgus esset,

solveret. Non enim eam solvisset, nisi Fannius ei dimidium eius dedisset, quod a Flavio exegisset. Cuius restipulationis verba super recitata sunt. MANUT.

Id, quum) Vulgo *quod tum*. Pantagathus legi volebat *id quum* quod recepi. Eius coniecturam firmant codd. Oxx. IV in quibus est *quod cum*.

Sibi, non tibi exegit) *Tibi non sibi exegit?* Hotom. Lambin.

interfectus, et lis contestata cum Flavio damni iniuria esset, tu in eam litem cognitor Roscii sis factus; quum praesertim ex tua oratione, quodcumque tibi peteres, huic peteres; quodcumque tibi exigeres, id in societatem recideret. Quod si ad Roscium nihil perveniret, quod tu a Flavio abstulisses, nisi te in suam litem dedisset cognitorem: ad te pervenire nihil debet, quod Roscius pro sua parte exegit: quoniam tuus cognitor non est factus.

XVIII. Quid enim huic rei respondere poteris, Fanni? Quum de sua parte Roscius transegit cum Flavio, actionem tibi tuam reliquit, an non? Si non reliquit, quemadmodum HS ccc1ↄↄↄ ab eo postea exegisti? Si reliquit, quid ab hoc petis, quod per te persequi et petere debes? Simillima enim et maxime gemina societas hereditatis est. Quemadmodum socius in societate habet partem: sic heres in hereditate habet partem. Vt heres sibi soli, non coheredibus petit: sic socius sibi soli, non sociis petit; et quemadmodum uterque pro sua parte petit, sic pro sua parte dissolvit; heres ex sua parte, qua hereditatem adiit; socius ex ea, qua societatem coiit. Quemadmodum suam partem Roscius suo nomine condonare potuit Flavio, ut eam tu non peteres: sic, quum exegit suam partem, et tibi integram petitionem reliquit, tecum partiri non debet; nisi forte tu, perverso more, quod huius est, ab alio extorquere non potes, huic eripere potes. Perstat in sententia Saturius: quodcumque sibi petat socius, id societatis fieri. Quod si ita est: qua, malum! stultitia fuit Roscius, qui ex iurisperitorum consilio et auctoritate

Ab alio extorquere non potes) Sensus postulare videtur ut legamus: *si tuum ab alio extorquere non potes.*

restipularetur a Fannio diligenter, ut, quod is exegisset a Flavio, dimidiam partem sibi dissolveret: si quidem, sine cautione et repromissione, nihilominus id Fannius societati, hoc est Roscio, debebat?

Desiderantur non pauca.

IN

Q. CAECILIVM

DIVINATIO

IN

Q. CAECILIVM

DIVINATIO

SVMMARIVM

Quum C. Cornelius Verres A. V. C. 680 pro praetore in Siciliam missus, eam provinciam per triennium ubtinuisset, in eaque fuisset libidinose, avare, crudeliterque versatus, a. 683, postquam L. Metellus ei successerat, a Siculis repetundarum accusatus est. Actorem constituerunt M. Tullium Ciceronem, qui quaestor in Sicilia fuisset, praetore Sex. Peducaeo A. V. C. 678, iucundamque eius quaesturae memoriam reliquisset. Commovebat eos etiam hoc quod Cicero provincia decedens iis pollicitus esset, si quod tempus accidisset, quo tempore aliquid a se requirerent, commodia eorum se non defuturum. Recepta igitur a Cicerone Siculorum causa, exortus est Q. Caecilius Niger, domo Siculus, qui ut actio in Verrem sibi mandaretur, postularet, tribus quidem de causis, una quod a Verre laesus eique iure inimicus esset; altera, quod quaestor ei fuerit eiusque crimina optime noverit; tertia quod Siculus pro Siculis ... Iam quaestione de accusatore in Verrem constituendo ad ... delata, Cicero hanc orationem (quae divinatio dicitur) habuit; in cuius exordio, c. 1 – 3, ostendit se, qui tot annos in causis iudiciisque publicis versatus sit, ut defenderit multos, laeserit neminem, propterea nunc ad Verrem accusandum descendere, quod hac accusatione hominis singulari cupiditate, audacia, scelere praediti, totius provinciae Siciliae defensio contineatur, simulque in ea versetur iudiciorum, quae tum penes ordinem senatorium erant, existimatio.

Itaque ut iudices haberent, quod in constituendo actore sequi possent, Cicero ostendit, si certamen inter aliquos sit, cui potissimum delatio detur, haec duo in primis spectari oportere: primum, quem maxime velint actorem esse ii, quibus factae esse dicantur iniuriae; deinde, quem minime velit is, qui eas

iniurias fecisse arguatur. Iam demonstrat Siculos se ipsum actorem suae causae contra Verris iniurias quaesisse, c. 4, eorumque voluntatem apud iudices valere oportere, c. 5, praesertim quum Caecilium fortunarum suarum defensorem habere prorsus nolint; c. 6. Deinde ostendit Verrem a se minime accusari velle, nullam rem in se esse, quam ille contemnat, nullam in Caecilio quam ille pertimescat; c. 7, 8. In accusatore vero esse oportere integritatem et innocentiam singularem, deinde firmitatem et veritatem; neutrum in Caecilio esse, quippe cui ipsi criminum permultorum cum Verre societas fuerit; c. 9–11. Praeterea ei deesse iustam agendi facultatem et dicendi consuetudinem, c. 12, 13, quod eo gravius sit, quod ei cum homine disertissimo Q. Hortensio futurum sit certamen, c. 14, neque id ideo compensari, quod subscriptores habeat exercitatos et disertos; c. 15. Nihil autem esse, quod Caecilius dicat, iniuriam sibi a Verre factam, c. 16, 17; et quod quaestor Verris fuerit, tantum abesse, ut propterea sibi in accusando Verre anteferendus sit, ut potius hanc unam ob causam repudiari eum oporteat; c. 18, 19. Denique multo magis a se, quam a Caecilio exspectari posse, causam hanc severe accurate ac diligenter actum iri, quod ipse nulla privatim accepta iniuria, sociorum populi romani iniurias persequatur, et quod in eo negotio sua ipsius existimatio versetur; in quo dubium esse non possit, quin omni ratione elaboraturus sit, ut magnitudinem huius causae fide, diligentia consilio, auctoritate sustineat; c. 20–22.

I.

Si quis vestrum, iudices, aut eorum qui adsunt, forte miratur, me, qui tot annos in causis iudiciis-

Asconii Pediani, et Anonymi veteris notae

Cap. I. *Si quis vestrum iudices*) Hoc toto capite soloecismi species continentur, nisi addas *et* aut *idem*, ut sit: et subito nunc mutata voluntate ad accusandum *descenderim*; quare multi non *descenderim* legunt, sed *descendere*. Asc. — *Eorum qui adsunt*) Coronam populi dicit, circum subsellia stantem. Id. — *Causis iudiciisque publicis*) Iam hoc contra Caecilium est, qui nun-

Forte miratur) *Mirantur* habet Pompeius in comment. artis Donati, teste Heusingero ad Cic. de off. I, 41, 10.

que publicis ita sim versatus, ut defenderim multos, laeserim neminem, subito nunc mutata voluntate, ad accusandum descendere: is, si mei consilii causam rationemque cognoverit, una et id quod facio, probabit, et in hac causa profecto neminem praeponendum esse mihi actorem putabit. Quum quaestor in Sicilia fuissem, iudices, itáque ex ea provincia decessissem, ut Siculis omnibus iucundam diuturnamque memoriam quaesturae nominisque mei relinquerem: factum est, uti quum summum in veteribus patronis multis, tum nonnullum etiam in me praesidium suis fortunis constitutum esse arbitrarentur. Qui nunc, populati atque vexati, cuncti ad me publice saepe venerunt, ut suarum fortunarum omnium causam defensionemque susciperem: me saepe esse pollicitum, saepe ostendisse dicebant, si quod tempus accidisset,

quam sui periculum fecit. Causae autem etiam privatae sunt; sed repetundarum, ambitus, maiestatis et ceterae rei publicae causa constitutae sunt. Id. — *Vna et id quod facio probabit*) Principalis divisio huius causae bipartita est; utrum recte Cicero accuset, et utrum Caecilio sit anteponendus. Id. — *Quum quaestor*) Narrationem in exordio multi admirantur ac reprehendunt, sed non recte; est enim argumentalis narratio ad priorem divisionem, in qua quaeritur, an recte Cicero ex defensore accusator effectus sit. Id. — *Siculis omnibus*) Elatorie; quum enim a duobus quaestoribus Sicilia regi soleat, uno Lilybaetano, altero Syracusano, ipse vero Lilybaetanus quaestor fuerit, Sex. Peducaeo praetore, omnibus tamen se placuisse dixit. Id. — *Veteribus patronis multis*) Siculi veteres patronos habebant, in quibus Marcellos a Marcello ortos (1), qui Syracusas victor servavit incolumes; Scipiones, quorum auctor P. Scipio Africanus, Carthagine excisa, Siciliae ornamenta retulit sua, quibus quondam a Poenis victoribus spoliata erat; Metelli, quorum familia proxime Siculis patrocinium praebuit, quum fuit reus M. Lepidus in ea provincia praetor, instantibus ad accusandum eum Metellis duobus, Celere et Nepote. Id. — *Populati atque vexati*) Populati avaritia, vexati libidine et crudelitate. Id. — *Cuncti*) Simul omnes quasi coniuncti. Id. — *Causam defensionemque*) Causa genus est ad accusationem et defensionem; et mire defensionem vult esse, non accusationem. Id. — *Saepe esse pollicitum*) In

Ad accusandum descendere) *Descenderim* cod. Ox. ψ, et Pal. 2, quod revocavit Beck. ita ut commate post *miratur* sublato, *miratur me* sit i. q. cum admiratione aspicit. Atque hoc iam Passeratio placuerat.

quo tempore aliquid a me requirerent, commodis eorum me non defuturum. Venisse tempus aiebant, non iam ut commoda sua, sed ut vitam salutemque totius provinciae defenderem: sese iam ne deos quidem in suis urbibus, ad quos confugerent, habere; quod eorum simulacra sanctissima C. Verres ex delubris religiosissimis sustulisset. Quas res luxuries in flagitiis, crudelitas in suppliciis, avaritia in rapinis, superbia in contumeliis efficere potuisset, eas omnes sese hoc uno praetore per triennium pertulisse: rogare et orare, ne illos supplices aspernarer, quos, me incolumi, nemini supplices esse oporteret.

ea oratione quam decedens Lilybaei habuit. In. — *Venisse tempus aiebant*) Vt Terentius (2): *hoc hercle factum est: fac ut promissa appareant.* Id. — *Sese iam ne deos quidem in suis*) Mire imitatus est verba Siculorum, dolore oxymora et inania, quasi deos non habeant, qui simulacra perdiderunt. Delubra vero templa esse hic aliter ostendit Tullius; aliter quum dicit templis atque delubris, et sunt, qui templa esse dicant singulorum diis attributorum locorum; delubra multarum aedium sub uno tecto a diluvio pluviae munitarum. Alii delubra dicunt ea templa, in quibus sunt labra corporum abluendorum (3), ut Dodonaei Iovis, aut Apollinis Delphici, in quorum delubris lebetes tripodesque visuntur; sunt etiam, qui delubra ligna delibrata, id est, decorticata, pro simulacris deorum mox veterum posita existiment; sed male. Idem. — *Ne deos quidem*) * * * n. a. h. ergo hominum auxilium defecit, sed deorum restat. «Haec ara tuebitur omnes.» (*Virgil. Aen. II*, 523.) Voluit igitur ostendere, Siculos etiam novissimum perdidisse perfugium. Anon. — *Ex delubris*) Delubra dicuntur templa, nihilominus tamen et simulacra, ab eo quod dolantur. Hic vero templa significat. Alii dicunt loca illa interna templorum esse delubra, ubi aqua hominum deluuntur peccata; aut illa, quae ante templa sunt, sine tecto, et quae pluvia deluuntur. Aut ubi aqua posita est, ut ingredientes in templa spargendo se deluant, purgationis causa hoc scilicet facientes. Id. — *Quas res luxuries in flagitiis*) Propria singulis reddidit. Id. — *Per triennium pertulisse*) Triennio enim Verres egit praeturam in Sicilia. Vnum annum suum; alterum propter Arrii mortem, qui successurus Verri iter faciens in Siciliam in via decessit. Tertium propter fugitivos. Alii autem aiunt, secundum propter fugitivos, tertium propter Arrium. Id. — *Per triennium*) Exspectabat Arrium in provincia Sicilia successurum Verri, qui non successit. Hinc triennium Verris praetura duravit. Asc. — *Rogare et orare*) Rogare ut hominem, orare ut deos. Iam enim, quibus id facerent, non habebant. Id. — *Rogare et orare*) Rogamus homines,

Eas omnes) Lambin. *eas res omnes.*

II. Tuli graviter et acerbe, iudices, in eum me locum adduci, ut aut eos homines spes falleret, qui opem a me atque auxilium petissent, aut ego, qui me ad defendendos homines ab ineunte adolescentia dedissem, tempore atque officio coactus ad accusandum traducerer. Dicebam, habere eos actorem Q. Caecilium, qui praesertim quaestor in eadem provincia post me quaestorem fuisset. Quo ego adiumento sperabam hanc a me molestiam posse dimoveri, id mihi erat adversarium maxime. Nam illi multo mihi hoc facilius remisissent, si istum non nossent, aut si iste apud eos quaestor non fuisset. Adductus sum,

oramus deos. Est et alia differentia: rogamus verbis, oramus vultu, lacrymis, gestu. *Rogare* et interrogare significat, et *orare* causas dicere; ut Virgilius: « orabunt causas melius. » (*Aen. VI*, 850) Anon. — *Quos me incolumi nemini supplices esse oportere*) Superbissimum videretur, si addidisset *alteri*, ut esset *nemini alteri*. Nunc hoc non addidit, quasi nec ipsi Tullio supplicare debere intelligatur. Quamquam quum anaphora sit ad personam Siculorum, non videretur invidiose orator dicere, quae Siculos dixisse commemorat. Asc.

Cap. II. *Tuli graviter et acerbe iudices*) Dicendo *graviter* pondus doloris ostendit, *acerbe* quod diutius doluisset. Anon. — *Graviter et acerbe*) Graviter, quod accusare nolebam; acerbe, quod Siculorum iniuriis affligebar. Asc. — *Adduci*) Dolor et acerbitas. Anon. — *Aut ego, qui me ad defendendos*) Vult ostendere necessitate, non voluntate suscepisse hanc accusationem. Primum itaque necessitatem ostendit, quae veniam meretur; deinde dixit, quod, etsi voluntatis esset, honesta esse poterat voluntas. Idem. — *Ab ineunte adolescentia*) Αὔξησιν facit per partes. Idem. — *Tempore atque officio coactus*) *Tempore* aut quoniam alii videbantur esse vexati, aut quia senex summa necessitate, *officio*, quod orator sum. Oratoris autem est accusare et defendere. Idem. — *Adductus sum iudices*) Conclusio primi prooemii. Et docet, quomodo ad accusationem deductus est. Idem. —

In eum me locum adduci) Vulgo *adductum*, quod est in duobus Pall. et recepit Ern. quia magis consentiat constructioni. *Adduci* vero est in Franc. 1, MS. Gu. edd. Mediol. Ven. Lamb. Rob. et Car. Steph. et restituit nuper Beck. Praesens enim *adduci* habet vim aoristi Graecorum.

Auxilium petissent) *Petissent* est in plurimis codd. MSS. et edd. vett. Codd. Manutii *exspectassent*, probantibus Hotom. Lamb.

Dimoveri) Ernestius cum Lambino edidit *demoveri*. At in ceteris edd. omnibusque fere MSS. est *dimoveri* h. e. *a me in alium transferri*, ut recte intp. Beckius. Cod. Leid. habet *amoveri*, et omittit verbum *posse*.

iudices, officio, fide, misericordia, multorum bonorum exemplo, veteri consuetudine, institutoque maiornm, ut onns hoc laboris atque officii, non ex meo, sed ex meorum necessariorum tempore, mihi suscipiendum putarem. Quo in negotio tamen illa me res, iudices, consolatur, quod haec, quae videtur esse accusatio mea, non potius accusatio, quam defensio est existimanda. Defendo enim multos mortales, multas civitates, provinciam Siciliam totam. Quamobrem, si mihi unus est accusandus, propemodum manere in instituto meo videor, et non omnino a defendendis hominibus sublevandisque discedere.

III. Quod si hanc causam tam idoneam, tam illustrem, tam gravem non haberem; si aut hoc a me Siculi non petissent, aut mihi cum Siculis causa tantae necessitudinis non intercederet, et hoc, quod facio, me rei publicae causa facere profiterer, ut

Officio, fide, misericordia) Quod oratorium; quod promiseram; quod graviter fuerant vexati, quod orator sum aut patronus. ID. — *Multorum bonorum exemplo*) Ipse mox dicet, quo exemplo bonorum virorum. ASC. — *Vetere consuetudine*) Quia viri robustiores accusare consueverant, non, ut nunc, adolescentuli. ID. — *Veteri consuetudine*) Qood multi saepe oratores nobilissimi in amicorum negotiis accusationem suscipere non abnuerant. ANON — *Consuetudine more institutoque maiorum*) Non novum exemplum posuit, ne contemneretur, quod ex aliqua auctoritate servatur. ID. — *Officii*) Accusationem. ID. — *Non ex meo, sed ex meorum*) Quia tempus accusationis excesserat. Adulescentes enim accusabant. ID. — *Non ex meo*) Vt Caecilius, qui inimicitias persequitur suas. ASC. — *Quo in negotio*) Secundum prooemium. Violenta definitio. ANON. — *Quo in negotio*) In suscipienda accusatione. ID. — *Quod si hanc causam*) I. e. si non ex necessitate hanc accusationem suscepissem. ID. — *Tum idoneam*) Quia rogatus. ID. — *Tum illustrem*) Quia ab hominibus. ID. — *Tum gravem*) Quia vexati sunt. ID. — *Tantae necessitudinis*) Quia me patronum vocavere. ID. — *Rei publicae causa profiterer*) Id est, ut voluntate mea diceram suscepisse actionem. ID.

Si mihi unus) Hotomannus particulam *si* pro *etsi* positum opinabatur. Refertur autem ad divinationem, quia nondum erat certum se accusaturem constitutum iri. Ernestius aut *si mihi hic unus* aut *si mihi Verres* legendum putabat.

homo singulari cupiditate, audacia, scelere praeditus, cuius furta atque flagitia non in Sicilia solum, sed in Achaia, Asia, Cilicia, Pamphylia, Romae denique ante oculos omnium maxima turpissimaque nossemus, me agente in iudicium vocaretur: quis tandem esset, qui meum consilium aut factum posset reprehendere? Quid est, proh deum hominumque fidem! in quo ego rei publicae plus hoc tempore prodesse possim? Quid est, quod aut populo romano gratius esse debeat, aut sociis exterisque nationibus optatius esse possit, aut saluti fortunisque omnium magis accommodatum sit? Populatae, vexatae, funditus eversae provinciae; socii, stipendiariique populi romani afflicti, miseri, iam non salutis spem, sed exitii solatium quaerunt. Qui iudicia manere apud ordinem senatorium volunt, queruntur, accu-

— *Furta atque flagitia*) Flagitium est torpe commissum. ID. — *In Achaia, Asia, Cilicia*) Nam quum legatus esset Dolabellae, proconsuli Ciliciae, iter faciens per Achaiam atqoe Asiam plurima diripuit. ID. — *In Achaia, Asia*) In his provinciis legatus et Proquaestore Dolabellae C. Verres multa flagitia commisit. ASC. — *Romae denique*) In praetura urbana. ID. — *Qui meum factum aut consilium posset reprehendere*) Ergo etsi non necessitate, sed voluntate suscepissem accusationem, nemo me poterat levitatis arguere tam honestam sequutum voluntatem. ANON.

CAP. III. *Quid est pro deum hominumque fidem*) Haec exclamatio ad probationem commoditatis pertinet, quam adfert Cicero ex accusatione. ANON. — *Plus hoc tempore*) Io quo laboraot iudicia velut corruptissima. ID. — *Populatae, vexatae*) Secondum superiorem sententiam, *populatae vexatae* αὔξησιν fecit (4). ID. — *Populatae, vexatae*) Non a Verre tantum, sed ab omnibus; hoc enim vult iotelligi, prodesse se velle rei publicae accusationis exemplo. ASC. — *Provinciae, socii*) Socii, amici, qui ante bellum societatem petont, aut qui daot et accipiunt. ANON. *Socii*) Non Siculi tantum, sed per omnes provincias. ASC. — *Stipendiarii*) Qoibus victis vectigal impouitur. ANON. — *Exitii solatium quaerunt*) Quia penitus perieront. ID. — *Qui — accusatores se idoneos non habere*) I. e. senatores. Sigoificat autem Staienum (5). ID. — *Queruntur accusatores*) Victor Sulla multa commoda a populo

Qui meum consilium) Ita Graev. et Beckius cum Franc. 1 et codd. Pariss. ll. ed. Neap. scripsit. Vulgo *factum aut consilium*.

satores se idoneos non habere; qui accusare possunt, iudiciorum severitatem desiderant. Populus romanus interea, tametsi multis incommodis difficultatibusque affectus est, tamen nihil aeque in re publica atque illam veterem iudiciorum vim gravitatemque requirit. Iudiciorum desiderio tribunicia potestas efflagitata est: iudiciorum levitate ordo quoque alius ad res iudicandas postulatur; iudicum culpa atque

ad senatorium ordinem transtulerat; in his etiam iudicandi potestatem. Non enim equites, sicut consuetudo erat, sed senatores iudicare praecepit. Id. — *Accusatores se idoneos non habere*) Caecilium tangit. Asc. — *Qui accusare possunt*) Aiunt enim accusatorum negligentia, non iudicum reos absolvi (6). Anon. — *Iudicum*) I. e. antiquorum. Id. — *Populus Romanus interea*) Dum adhuc tempora Sullana sunt. Id. — *Populus Romanus interea tametsi multis incommodis*) His enim X annis victore Sulla civilibus bellis spoliatus est populus Romanus potestate tribunitia, indicandi iure, quod habuit per equites Romanos (7), arbitrio creandorum sacerdotum, senatus, aut iudicum. Asc. — *Tametsi multis incommodis*) Quae irrogata sunt a L. Sulla. Anon. — *Difficultatibus*) Propter plebem rusticam, quae partim agros, partim ius civitatis amisit, partim omnino proscripta est victore Sulla, quod plebs Romana de Marianis partibus fuerat. Difficultatem enim paupertatem significat. Terentius e contrario: *quam vos facillime agitis* (8). Et ipse alibi: *in summa difficultate esse nummaria* (9). Asc. — *Nihil aeque*) Id est similiter, nihil ita. Id. — *Gravitatemque requirit*) Id est, ut equites indicandi potestatem recipiant. Id. — *Iudiciorum desiderio tribunicia potestas efflagitata*) Primus Sicinius tribunus plebis, nec multo post Quinctius et postremo Palicanus perfecerant, ut tribuniciam potestatem populo redderent Coss. Cn. Pompeius Magnus, et M. Licinius Crassus. Asc. — *Tribunicia potestas efflagitata est*) Scilicet ut per tribunos (10) plebis iudicia equitibus reddantur. Anon. — *Iudiciorum levitate*) Ad corruptionem. Id. — *Ordo quoque alius*) Id est tertius, qui est tribunorum aerariorum. Nam ex duobus alterum dicimus, ex tribus aut amplius alium (11). Id. — *Ordo quoque alius ad res iudicandas postulatur*) C. Gracchus legem tulerat, ut equites Romani iudicarent; et iudicarunt per annos XL sine infamia. Post victor Sulla legem tulerat, ut senatorius ordo iudicaret, et iudicavit per X annos turpiter. Nunc Aurelius Cotta legem fert, ut senatores et equites Romani ac tribuni aerarii simul iudicent, hoc est, quod Tullius dicit offensione senatorii ordinis fieri: et bene addit *quoque*, ut simul indicaturos alios esse monstraret. Asc. — *Iudicum culpa atque dedecore*) Culpam enim dedecus sequitur. Anon. —

Iudiciorum desiderio tribunicia potestas efflagitata est) Recte Hotomannus hoc retulit ad potestatem tribunorum pleb. a Sulla dictatore circumscriptam. Antea enim tribunis potestas fuerat, quemlibet qui pecunia accepta iudicasset, ad iudicium populi rapere eique multam dicere.

dedecore etiam censorium nomen, quod asperius antea populo videri solebat, id nunc poscitur, id iam populare atque plausibile factum est. In hac libidine hominum nocentissimorum, in populi romani quotidiana querimonia, iudiciorum infamia, totius ordinis offensione, quum hoc unum his tot incommodis remedium esse arbitrarer, ut homines idonei atque integri causam rei publicae legumque susciperent: fateor, me, salutis omnium causa, ad eam partem accessisse rei publicae sublevandae, quae maxime laboraret. Nunc, quoniam, quibus rebus adductus ad causam accesserim, demonstravi, dicendum necessario est de contentione nostra, ut in constituendo accusatore, quid sequi possitis, habeatis.

IV. Ego sic intelligo, iudices: quum de pecuniis

Etiam censorium nomen) Regendis moribus civitatis censores quinto quoque anno creari solebant. Hi prorsus cives sic notabant, ut qui senator esset, eiiceretur senatu; qui eques Romanus equum publicum perderet; qui plebeius in Caeritum tabulas referretur, ut aerarius fieret, ac per hunc non esset in albo centuriae suae, sed ad hoc esset civis tantum, ut pro capite suo tribuli nomine aera penderet. Iidem completo quinquennio urbem lustrabant et Suovetaurilia sacrificia de sue, ove, tauro faciebant. Eorum notam successores plerumque solvebant. Hoc igitur tam triste severumque nomen populus Romanus sic oderat, ut intermissum esset per plurimos annos, quos nunc orator propter infamiam corruptorum iudicum dicit plebem ipsam, quae ante recusabat, exposcere. Asc. — *Censorium nomen*) Decem tribus eligebantur antea, qui quasi tuerentur populi Rom. maiestatem; et censores, qui mores senatorum censebant. Et quosdam a senatu propter morum vitia pellebant non in perpetuum, sed ad certum tempus. Hos omnes pro nobilitate faciens sustulit Sulla, qui hodie a populo propter infamiam iudicum, qui sunt de ordine senatoriu, requiruntur. Fiebant autem et plebis censo * * * — *In hac libidine hominum nocentissimorum*) Qui praedantur socios populi Romani. Asc. — *Totius ordinis*) Senatorii scilicet. Id.

Sed eam potestatam victor Sulla tribunis ademerat.

Ordinis) Senatorii scilicet.

Rei publicae sublevandae) Vrsin. et Garat. malebant *sublevandam*. Sed correctione nihil opus.

Quae maxime laboraret) Cod. Franc. 1, *laboret*, quod Graevius praeferebat. At recte monuit Ern. servandum esse *laboraret*, quia pendet ab *accessisse*. In cod. Huydecop. est *laborat*.

repetundis nomen cuiuspiam deferatur, si certamen inter aliquos sit, cui potissimum delatio detur, haec duo in primis spectari oportere: quem maxime velint actorem esse ii, quibus factae esse dicantur iniuriae, et quem minime velit is, qui eas iniurias fecisse arguatur. In hac causa, iudices, tametsi utrumque esse arbitror perspicuum, tamen de utroque dicam, et de eo prius, quod apud vos plurimum debet valere, hoc est, de voluntate eorum, quibus iniuriae factae sunt; quorum causa iudicium de pecuniis repetundis est constitutum. Siciliam provinciam C. Verres per triennium depopulatus esse, Siculorum civitates vastasse, domos exinanisse, fana spoliasse dicitur. Adsunt, queruntur Siculi universi; ad meam fidem, quam habent spectatam iam, et diu cognitam, confugiunt; auxilium sibi per me a vobis atque a populi romani legibus petunt; me defensorem calamitatum suarum, me ultorem iniuriarum, me cognitorem iuris sui, me actorem causae totius esse voluerunt. Vtrum, Q. Caecili, hoc dices, me non Siculorum rogatu ad causam accedere, an optimorum fidelissimorumque sociorum voluntatem apud hos gravem esse non oportere? Si id audebis dicere, quod C. Verres, cui te inimicum esse simulas, maxime existimari vult, Siculos hoc a me non petisse: primum causam inimici tui sublevabis, de quo non praeiudicium, sed plane

Cap. IV. *Cognitorem iuris sui*) Qui defendit alterum in iudicio, aut patronus dicitur, si orator est, aut advocatus, si aut ius suggerit, aut praesentiam suam commodat amico, aut procurator si absentis negotium suscipiat (12), aut cognitor, si praesentis causam novit, et sic tuetur, ut suam. Ergo cognitorem dixit modo familiarissimum defensorem. — *De quo non praeiudicium sed plane iudicium*) Praeiudicium dicitur res, quae quum statuta fuerit, affert iudicaturis exemplum, quod sequantur. Iudicium autem res, quae causam litemque determinat. — *Non praeiudicium*) De Verre iam factum est a populo Romano iudicium, eum spoliavisse provinciam, et contra leges praelatum esse; quod Siculi, qui antea legati publice testimonium dixerant, aucto-

iudicium iam factum putatur, quod ita percrebruit, Siculos omnes actorem me suae causae contra illius iniurias quaesisse. Hoc si tu, inimicus eius, factum negabis, quod ipse, cui maxime haec res obstat, negare non audet: videto, ne nimium familiariter inimicitias exercere videare. Deinde sunt testes, viri clarissimi nostrae civitatis, quos omnes a me nominari non est necesse; eos, qui adsunt, appellabo; quos, si mentirer, testes esse impudentiae meae minime vellem. Scit is, qui est in consilio, C. Marcellus; scit is, quem adesse video, Cn. Lentulus Marcellinus; quorum fide atque praesidio Siculi maxime nituntur, quod omnino Marcellorum nomini tota illa provincia adiuncta est. Hi sciunt, hoc non modo a me petitum esse, sed ita saepe et ita vehementer esse petitum, ut aut causa mihi suscipienda fuerit, aut officium necessitudinis repudiandum. Sed quid ego testibus utor, quasi res dubia aut obscura sit? Adsunt homines ex tota provincia nobilissimi, qui praesentes vos orant atque obsecrant, iudices, ut in actore causae suae deligendo vestrum iudicium ab suo iudicio ne

rem causae suae contra Verrem Tullium quaesissent. — *Ne nimium familiariter inimicitias*) Sensus est per iocum haec significans, quasi dicat: Videto, Caecili, ne nimium amice inimicitias exerceas, hoc est, ne inimicum fingas, ut praevaricari possis. — *Deinde sunt testes viri clarissimi*) Ordo et sensus hic est: primum causam inimici tui sublevando non videberis accusator; deinde testimoniis convinceris in eo, quod negas me a Siculis esse delectum. — *Scit is — C. Marcellus — Cn. Lentulus Marcellinus*) Et Marcellus, et Marcellinus inter se gentiles sunt. Quare reddidit rationem, cur isti Siculorum patroni sint, scil. quia a M. Marcello originem ducant, qui Syracusas cepit, nec tamen delevit. — *Vestrum iudicium ab suo iudicio*)

Siculos omnes actorem me — quaesisse) Vulgo abest *me*, quod addendum esse iam Menardus vidit. Frustra repugnat Garatonus. Nam quod Cicero hic evincere cupit, non est hoc, Siculos actorem quaesisse, sed Ciceronem actorem suae causae esse voluisse.

Adiuncta est) Gulielm. coni. *addicta*. Gruterus malebat *clienta*.

Testibus utor) Vulgo *his testibus utor*. Recte iam a nonnullis omissum

discrepet. Omnium civitatum totius Siciliae legationes adsunt, praeter duas civitates: quarum duarum, si adessent, duo crimina vel maxima minuerentur, quae cum his civitatibus C. Verri communicata sunt. At enim cur a me potissimum hoc praesidium petiverunt? Si esset dubium, petissent a me praesidium, necne, dicerem, cur petissent. Nunc vero quum id ita perspicuum sit, ut oculis iudicare possitis: nescio cur hoc mihi detrimento esse debeat, si id mihi obiiciatur, me potissimum esse delectum. Verum id mihi non sumo, iudices, et hoc non modo in oratione mea non pono, sed ne in opinione quidem cuiusquam relinquo, me omnibus patronis esse praepositum. Non ita est; sed uniuscuiusque temporis, valetudinis, facultatis ad agendum ducta ratio est. Mea fuit semper haec in hac re voluntas et sententia, quemvis ut hoc mallem de iis, qui essent idonei, suscipere, quam me; me ut mallem, quam neminem.

V. Reliquum est iam, ut illud quaeramus, quum hoc constet, Siculos a me petisse, ecquid hanc rem

Non dixit, ab sua voluntate, ut praescribat iudicibus, sequendum esse Siculos, quod paulo ante tentavit. — *Duo crimina vel maxima*) Per unam furatus est, Syracusanam; per alteram furta exportavit, hoc est, Mamertinam. Sed leviter hoc praeterit, quod illos quoque conatur a laudatione Verris abducere. Syracusanorum autem crimina alii etiam de Heraclii bonis, quae cum palaestritis partitus Verres est, et de Cleomenis navarchi flagitio, et de aliis multis rebus interpretantur. Mamertinorum, de navi quam Verri fecerunt, et quam populo Romano ex foedere non exhibuerunt, multis aliis immunitatibus contra fas remunerati; et *duo crimina* generaliter, nam multa sunt. — *Vt oculis iudicare possitis*) Hoc quidam leviter a Cicerone dictum et neoterice putant. Sed aptum est asseverationi. — *Cur hoc mihi detrimento esse debeat*) Cur hoc me in hac causa debeat impedire. — *Temporis, valetudinis, facultatis*) Temporis, Marcelli iudicantis tunc; valetudinis, Marcellini, quod erat tunc infirmior valetudine corporis; facultatis, alterius Marcelli, iuris magis studiosi, quam eloquentiae. — *Quam neminem*) Ac per hoc *neminem* Caecilium significat.

his. Nam Cicero significat omnino in hac re non opus esse testibus.

Me potissimum esse delectum) Lambinus in vett. libris invenit *dilectum*.

apud vos animosque vestros valere oporteat; ecquid auctoritatis apud vos in suo iure repetundo socii populi romani, supplices vestri, habere debeant. De quo quid ego plura commemorem? quasi vero dubium sit, quin tota lex de pecuniis repetundis sociorum causa constituta sit. Nam civibus quum sunt ereptae pecuniae, civili fere actione et privato iure repetuntur: haec lex socialis est; hoc ius nationum exterarum est; hanc habent arcem, minus aliquanto nunc quidem munitam, quam antea; verumtamen, si qua reliqua spes est, quae sociorum animos consolari possit, ea tota in hac lege posita est; cuius legis non modo a populo romano, sed etiam ab ultimis nationibus iampridem severi custodes requiruntur. Quis igitur est, qui neget oportere eorum arbitratu lege agi, quorum causa lex sit constituta? Sicilia tota, si una voce loqueretur, hoc diceret: quod auri, quod argenti, quod ornamentorum in meis urbibus, sedibus, delubris fuit; quod, in unaquaque re, beneficio senati populique romani, iuris habui, id mihi tu, C. Verres, eripuisti atque abstulisti: quo nomine

Cap. V. *Civili fere actione privato iure repetuntur*) Recte; hoc enim iudicium pecuniarum repetundarum publicum est. — *Hanc habent arcem*) Arx vel sedes tyranni dicitur, ut saepe alibi, vel editus in civitate et munitior ad salutem civium locus, ut Virgilius (Aen. II, 322):

Quo res summa loco Panthu? quam prendimus arcem?

Ergo prima spes in muris est; secunda in arce, si muros hostis irruperit. — *Non modo a populo Romano*) Cur a populo Romano, si socialis est? quia ipsi socii populi Romani sunt. — *Quod in unaquaque re*) Leges Hieronicas, Rupiliasque dicit, aut regis sui, aut Rupilii de X legatorum sententia constitutas. — *Eripuisti atque abstulisti*) Eripuisti, quidquid auri et gemmarum; abstulisti, quod in unaquaque re beneficio senatus populique Ro-

Lege agi) Ern. putabat *lege* commode abesse posse. Recte autem hoc negat Beckius, quia refertur ad *lex* quod sequitur, et vim addit sententiae.

Sedibus) Manut. coni. *aedibus*.

Beneficio senati) Sic Lambin. e Charisio (p. 115 Gramm. Putsch.). Olim ed. *senatus*, quod Oliv. et Lall. retinuerunt.

abs te sestertium millies ex lege repeto. Si universa, ut dixi, provincia loqui posset, hac voce uteretur; quoniam id non poterat, harum rerum actorem, quem idoneum esse arbitrata est, ipsa delegit. In huiusmodi re quisquam tam impudens reperietur, qui ad alienam causam, invitis iis, quorum negotium est, accedere aut adspirare audeat?

VI. Si tibi, Q. Caecili, hoc Siculi dicerent: Te non novimus; nescimus qui sis; nunquam te antea vidimus; sine nos per eum nostras fortunas defendere, cuius fides est nobis cognita: nonne id dicerent, quod cuivis probare deberent? Nunc hoc dicunt: utrumque se nosse; alterum se cupere defensorem esse fortunarum suarum, alterum plane nolle. Cur nolint, etiam si tacent, satis dicunt. Verum non tacent. Tamen his invitissimis te offeres?

mani iuris habui. — *Sestertium millies ex lege repeto*) Frustra calumniantur Ciceronem homines, et modo eum sestertium millies dicunt repetere, modo quadringenties, quum primum non suo ore, sed Siculorum loquatur, accusatorie vociferantium; deinde si maxime ad eum sunt referenda, quae dicit, adhuc non instructus sit contra Verrem, nec ad plenum noverit causam. Tertio cur aut calumniatoris aut praevaricatoris personam subeat, quum aliud iam agatur? Non enim de condemnando Verre, sed de constituendo accusatore confligitur. Postremo, cur id fraudi sit Ciceroni, quum ad tempus oratorum dicta perferantur, nam eodem modo erit contrarium praesenti actioni, quod alibi dicit, oratione scil. tertia (*h. e. Act. II, lib. I, c.* 6) victum a se Caecilium, quaestorem fuisse, qui idoneas causas ad accusandum Verrem multas protulisset. — *Accedere aut aspirare*) *Accedere* est proximum fieri; *aspirare*, in eam partem, qua quid quaesitum est, vultum et oculos, ac spiritum oris advertere. — *Etiamsi tacent, satis dicunt*) Tale illud est: *quum tacent, clamant*, et *victoriam ipsam vicisse videris*; et *philosophandum est, etiam si non est philosophandum*. Haec in loco nec oxymora nec cacozela indicanda sunt; aut enim inferioribus dictis, aut supra positis leniantur; ut est illud: *Vereor, ut hoc, quod dicam, perinde intelligi possit auditu, atque ego ipse cogitans sentio*. Et illud quod sequitur: *verum non*

Etiam si tacent) Franc. 1, et edd. vett. *etiamsi tacerent*. MS. Gu. ed. Lamb. Grut. aliae *etiamsi taceant*. Asconius habet *etiamsi tacent*, quod recte probavit Ern. Est enim indicativus aptior, quia sequitur *non tacent*. Ceterum cum Beckio scripsi *etiam si* divisim.

tamen in aliena causa loquere? tamen eos defendes, qui se ab omnibus desertos potius, quam abs te defensos esse malunt? tamen his operam tuam pollicebere, qui te neque velle suam causam tueri, nec, si cupias, posse arbitrantur? Cur eorum spem exiguam reliquarum fortunarum, quam habent in legis et iudicii severitate positam, vi extorquere conaris? cur te interponis, invitissimis his, quibus maxime lex consultum esse vult? cur, de quibus in provincia non optime es meritus, eos nunc plane fortunis omnibus conaris evertere? cur his non modo persequendi iuris sui, sed etiam deplorandae calamitatis adimis potestatem? Nam, te actore, quem eorum affuturum putas, quos intelligis, non ut per te alium, sed ut per aliquem te ipsum ulciscantur, laborare?

VII. At enim solidum id est, ut me Siculi maxime velint: alterum illud, credo, obscurum est, a quo Verres minime se accusari velit. Ecquis unquam tam

tacent. — *Te ipsum ulciscantur*) Vlciscor et punio significat, et vindico; nunc ergo *puniant* intelligemus.

Cap. VII. *Ecquis unquam tam palam de honore, tam vehementer de salute sua contendit*) Bene distribuit; omnis enim studiosa contentio aut de honore,

Suam causam tueri) Hoc recepi auctoritate cod. Franc. 1. Vulgo inde a Naugerio *sua causa* sine adiectione. Sed lectionis *velle sua causa* haec esset sententia: *qui te iis nolle favere nec si cupias favere posse arbitrantur.* Quod iure suo ineptum esse contendit Graevius. In lectione *velle suam causam*, quam ostendunt ed. Mediol. Ven. aliaeque, in his nuper Ern., repetendum ex antecedentibus *defendere*, quod certe duriusculum est.

Nam, te actore) *Nam* habent edd. Ald. Oliv. Lall. Oxx. nec erat cur hoc Ernestius ab h. l. alienum putaret. Refertur enim ad proxime antecedentia. Nolebant enim Siculi in iudicio adesse, et calamitatem suam deplorare, si neminem alium, quam Caecilium actorem causae suae habere possent. Pro *nam* in Franc. 1 est *num*, quod receperunt Graev. Ern.

At enim solidum id est) Praetuli lectionem *solidum*, ab Hotomanno et Lambino in multis libris scr. et edd. antiquis repertam, quia *solidum* opponitur *obscuro.* Sic pro Planc. c. 12, *indicia solida*, sunt *certa, non obscura.* Vulgata *at enim solum id est* intricatior est, quam ut placere possit.

palam de honore, tam vehementer de salute sua contendit, quam ille, atque illius amici, ut ne haec mihi delatio detur? Sunt multa, quae Verres in me esse arbitratur, quae scit in te, Q. Caecili, non esse: quae cuiusmodi in utroque nostrum sint, paulo post commemorabo. Nunc tantum id dicam, quod tacitus tu mihi assentiare: nullam rem in me esse, quam ille contemnat; nullam in te, quam pertimescat. Itaque magnus ille defensor et amicus eius tibi suffragatur, me oppugnat; aperte ab iudicibus petit, ut tu mihi anteponare, et ait, hoc se honeste, sine ulla invidia, ac sine ulla offensione contendere. «Non enim, inquit, illud peto, quod soleo, quum vehementius contendi, impetrare; reus ut absolvatur, non peto: sed ut ab hoc potius, quam ab illo accusetur, id peto. Da mihi hoc: concede, quod facile est, quod honestum, quod non invidiosum; quod quum dederis, sine ullo tuo periculo, sine infamia illud dederis, ut is absolvatur, cuius ego causa laboro ». Et ait

aut de salute praecipue est. — *Non enim, inquit, illud peto, quod soleo, quum vehementius contendi, impetrare*) Acriter ipsum inducit Hortensium confiteri consuetudinem suam in corrumpendis iudiciis pervagatam; et addit, videri sibi tantumdem se impetraturum a iudicibus corruptis, si Caecilius constituatur, quantum si plane absolvatur Verres. Et est ordo et sensus; non enim, inquit, illud peto, quod soleo impetrare a iudicibus, quum vehementius contendi, quid? Hoc scilicet, reus ut absolvatur; non id peto. *Quum vehementius contendi*, quum pecuniam iudicibus dedi significat, iudicium corrupi. Sed quare non aperte dicit? Quia ipsum Hortensium inducit loquentem; et omnes homines facinora sua honestius leviusque pronuntiant. — *Quod facile est, quod honestum, quod non invidiosum*) Scilicet ut a Caecilio Verres accusetur, quo facto et non damnabitur reus, et quum hoc egerint iudices, tamen non videbuntur esse corrupti, quum tantundem fecerint. — *Cuius ego causa laboro*) Inepti sunt homines, qui hanc clausulam notant, ut malam; quum sit ea spondeo et bacchio, de industria durior ad expri-

Itaque magnus ille defensor et amicus eius tibi) Vulgo additur *Hortensius*, quod abest MSS. compluribus et recte a Graevio eiectum, ut spurium.

idem, ut aliquis metus adiunctus sit ad gratiam: certos esse in consilio, quibus ostendi tabellas velit. Id esse perfacile. Non enim singulos ferre sententias, sed universos constituere; ceratam unicuique ta-

mendam sententiam posita, more Ciceronis, ut alibi idem: *non tu eum patria privare, qua caret, sed vita vis.* (*pro Ligar.* c. 4.) — *Aliquis metus adiunctus sit ad gratiam*) Id agit corruptor, ut gratiosus index non solum velit servare corruptori suo fidem, verum etiam aliquid habeat, cur vel invitus cogatur ad custodiendam pactionem promissae a se gratiae. Quid autem est, quod metum adiungat ad gratiam? Scilicet aut custos, aut signum, aut aliquid eiusmodi. — *Certos*) Aut ob hoc quod sententiam suam, cur quisque damnaret, aut cur quisque absolveret, prius dixisset; aut ideo certos, quasi sequestres huius rei inter iudices se habere dicit Hortensius, quibus antequam tabulas in urnam omnes coniiciant, atque confundant, furtim ostendant, quam quisque sententiam constituendo accusatori conscripserit. Ascon. In consessu iudicum. In his autem tabulis alias fuisse notas, quam quas Pedianus commemorat, dubium nemini esse potest: neque enim de condemnando, vel absolvendo Cicerone, Caeciliove agitur. Fortasse autem in nominationibus alterutrius nomen iudices scribebant, eius scilicet quem actorem sententiae suae constituebant. Hotoman. — *Non enim singulos ferre sententiam, sed universos constituere*) In divinationibus et in aliis causis maioribus universi iudices in cistam tabulas simul coniiciebant, easque insculptas literas habentes A, absolutionis, C condemnationis, quum de alicuius capite agebatur; NL ampliationis, his enim literis significabant *non liquere*. Vult ergo corruptionis tantam sollicitudinem circa iudices esse Tullius, ut hac religione iniecta pro se iudicent. Singuli autem sententiam de tabula pronuntiabant in levioribus causis, et ob id ipsum neque nota neque custode opus fuit, cur corruptor iudicum adiungeret metum ad gratiam iudicantis. Constituere autem, tabulas in cista ponere significat magis, quam decernere. Asc. — *Ceratam unicuique tabellam dari cera legitima*) Terentius Varro frater C. Varronis consobrini M. Tullii reus (13) ex Asia apud L. Furium praetorem primo de pecuniis repetundis, deinde apud P. Lentulum Suram est accusatus, absolutusque est a Q. Hortensio, qui corruptis iudicibus hunc metum adiunxit ad gratiam, ut discoloribus ceris insignitas iudices tabellas acciperent, ut timeret unusquisque eorum, ne fidem pactionis non servasse videretur, si non in tabula quam unicuique datam meminisset Hortensius, ex nota cerae scilicet discoloris, absolutum Varronem reperiret. Id. — Sed quomodo versicolor tabella data illis iudicibus fuit ab Hortensio: quum ex Miloniana constet, vel a praetore iudicii, vel extra ordinem a consule tabellas dari consuevisse? An alias ab Hortensio, alias a praetore acceperant, utrasque inter se parva in re dissimiles? Ita puta. Huc autem quae pertineant, praeter ea quae Pedianus tradit hoc loco, subiiciam etiam illa quae apud Acronem et Porphyrionem reperi. Acron igitur in illud Horatii in lib. II, sat. 1: *Grande malum Turius, si quis se iudice certet.* « Turius, inquit, quidam corruptissimus iudex, hic est cui Hortensius pro-

bellam dari cera legitima, non illa infami ac nefaria. Atque is non tam propter Verrem laborat, quam quod eum minime res tota delectat. Videt enim, si a pueris nobilibus, quos adhuc elusit, si a quadruplatoribus, quos non sine causa contempsit semper, ac pro nihilo putavit, accusandi voluntas ad viros fortes, spectatosque homines translata sit, se in iudiciis diutius dominari non posse.

pter fratrem Varronem ceratas diversi coloris tabellas dedit. Alias Turium Marinum iudicem significat, qui accepta pecunia pronuntiare sit solitus, qui fidem suam corruperant. Hoc quoque tempore Verres reus erat, et diversi coloris tabellas fertur dedisse, ut sciret, qui secundum voluntatem iudicasset: quia nomina sua centumviri non adiiciunt ». Porphyrion autem sic: « C. Turius hic praetor fuit, apud quem accusatus est a Cicerone Verres, Hortensio defendente. Hic dicitur centumviris tabellas dedisse, aliis nigras, aliis rubras, et cera adnotasse, quas cuique dedisset, ut sciret a quibus postea pecuniam peteret, vel relinqueret: nam omnes corruperat ». Haec illi, ex quibus utriusque et negligentiam, et ἀνεγορησίαν sane indignam licet animadvertere. HOT. — *Non illa infami ac nefaria*) Mire ex ipsius Hortensii persona hoc dicitur. Quae saepe virtus maxima Ciceronis in huiusmodi allocutionibus reperitur. — *A pueris nobilibus*) Appio Claudio adolescente nobili, qui quum accusaret Terentium Varronem repetundarum ex Asia, victus ab Hortensio est; in quo iudicio discoloribus ceris signa sententiarum notabantur. Significat et Caesarem item adolescentem in Dolabella reo ex Sicilia, qui quidem damnatus non est quantum oportuit, per Hortensii gratiam. Nam si non damnatus est Dolabella, quomodo postea dicit Tullius: *Iam iam Dolabella neque me tui neque tuorum liberum, quos tu miseros in egestate ac solitudine reliquisti, miseret?* Significare potest sane etiam Scaurum, qui alterum Dolabellam consularem triumphalemque accusavit; et potuit eidem Hortensius resistere. — *Si a quadruplatoribus*) *Quadruplatores* delatores erant criminum publicorum: in qua re quartam partem de proscriptorum bonis, quos detulersut, assequebantur. Alii dicunt, quadruplatores esse eorum reorum accusatores, qui convicti quadrupli damnari soleant, ut aleae, aut pecuniae gravioribus usuris foenoratae, quam pro consuetudine; aut eiusmodi aliorum criminum. — *Ad viros fortes*) Quam grave futurum erat, si *ad me* diceret, quum de illo specialiter nominatimque dicat, et viros contra pueros nobiles ponit, spectatos contra sordidum quadruplatorum genus.

Accusandi voluntas) Cod. Meining. *voluptas*, quod Facio non displicet.

Diutius dominari non posse) Vulgo abest *diutius*. Recte autem e cod. Cujac. recepit Lambin. Nempe iam regnabat Hortensius in iudiciis. Omisso autem verbo *diutius*, intelligi verba possent sic, q. d. se non posse regnum in iudiciis obtinere, quod nondum esset assequutus.

VIII. Huic ego homini iam ante denuntio, si a me causam hanc vos agi volueritis, rationem illi defendendi totam esse mutandam; et ita tamen mutandam, ut meliore et honestiore conditione sit, quam qua ipse esse vult; ut imitetur homines eos, quos ipse vidit amplissimos, L. Crassum et M. Antonium; qui nihil se arbitrabantur ad iudicia causasque amicorum, praeter fidem et ingenium, afferre oportere. Nihil erit, quod, me agente, arbitretur, iudicium sine magno multorum periculo posse corrumpi. Ego in hoc iudicio mihi Siculorum causam receptam, populi romani susceptam esse arbitror: ut mihi non unus homo improbus opprimendus sit, id quod Siculi petiverunt, sed omnino omnis improbitas, id quod populus romanus iamdiu flagitat, exstinguenda atque delenda sit. In quo ego quid eniti, aut quid efficere possim, malo in aliorum spe relinquere, quam in oratione mea ponere.

Cap. VIII. *Totam esse mutandam*) Amare *totam* dixit; quasi ex nulla parte bonam rationem defendendi habeat Hortensius. — *Meliore conditione sit*) Id est, meliorem conditionem habeat, meliorque sit, quippe qui et possit, et debeat honeste agere, et hoc sit facilius, quam corrumpere iudices. — *Homines eos, quos ipse vidit*) Bene *ipse vidit*; maior enim est Hortensius Tullio; adeo ut in libris, qui de Oratore inscribuntur (14), etiam laudetur Hortensius a L. Crasso et M. Antonio. Hos ante se Cicero Catonemque veneratur, et multos alios, quos et de Oratore, et in Oratore et Bruto collegit. Sed Crassum et Antonium vidit Hortensius; alii vetustiores sunt. — *Sine magno multorum periculo posse corrumpi*) Bona occasione subtiliter et iudicibus comminatur, et Siculis acrimoniam suam in accusando demonstrat. — *Susceptam*) *Suscipitur* totum; *recipitur* pars; *suscipitur* quod principale est; *recipitur* quod hinc pendet; *suscipitur* solum aliquid propter se, *recipitur* etiam propter aliud. — *Vt mihi non unus improbus*) Verres. — *Omnis improbitas*) Et corrupti iudices, et corruptores eorum, et sequestres, at interpretes, et emissarii, et omna quod vitii est.

Iudicium) Franc. 1, *iudicia*.

Omnino omnis improbitas) Sic edd. Oliv. Lall. aliae; it. MS. Iannoct. Et sic saepe alibi Cicero coniungit *omnino omnis*. Et h. l. numerus sententiae verbo *omnis* adiecto melius expletur. Abest autem *omnis* in MSS. multis et edd. pr. delevit etiam Graev. Ern.

IX. Tu vero, Caecili, quid potes? quo tempore, aut qua in re non modo specimen ceteris aliquod dedisti, sed tute tui periculum fecisti? In mentem tibi non venit, quid negotii sit causam publicam sustinere? vitam alterius totam explicare? atque eam non modo in animis iudicum, sed etiam in oculis conspectuque omnium exponere? sociorum salutem, commoda provinciarum, vim legum, gravitatem iudiciorum defendere? Cognosce ex me, quoniam hoc primum tempus discendi nactus es, quam multa esse oporteat in eo, qui alterum accuset; ex quibus si unum aliquod in te cognoveris, ego iam tibi ipse istud, quod expetis, mea voluntate concedam. Primum integritatem atque innocentiam singularem. Nihil est enim, quod minus ferendum sit, quam rationem ab altero vitae reposcere eum, qui non possit suae reddere. Hic ego de te plura non dicam: unum illud credo omnes animadvertere, te adhuc ab nullis, nisi a Siculis, potuisse cognosci: Siculos hoc dicere, quum eidem sint irati, cui tu te inimicum esse dicis, sese tamen, te actore, ad iudicium non affuturos. Quare negent, ex me non audies. Hos patere id suspicari, quod necesse est. Illi quidem, ut est hominum genus nimis acutum et suspiciosum, non te ex Sicilia literas in Verrem deportare velle arbitrantur,

Cap. IX. *Tute tui periculum*) ἀπὸ τῆς πείρας, tentamentum dicit. Hoc est quando tu te ipse tentasti? quando vel exercuisti vel prolusisti? — *Vitam alterius totam explicare*) Praestruit ad illud quod dicturus est; multa esse crimina in Verre, quae conscius societatis Caecilius non audebit attingere, et hoc innocentiae est: *vitam alterius totam explicare*; illud eloquentiae: *atque eam non modo in animis iudicum*, et quod sequitur. — *Sociorum salutem, commoda provinciarum*) Hoc est causam patriae suscipere, ut recepisse singulorum. — *Rationem vitae reposcere*) Accusatorem. — *Suae reddere*) Defensorem. — *Nisi a Siculis potuisse cognosci*) Aut quia Siculus ipse est; aut quia, nisi quaestor in Sicilia, nihil aliud fuit Caecilius, in quo nosceretur, quid hominis esset. — *Vt est hominum genus*) Amariora dicturus ad Siculorum personam contulit dicta. — *Deportare literas*) *Aspor-*

sed, quod iisdem literis illius praetura et tua quaestura consignata sit, asportare te velle ex Sicilia literas suspicantur. Deinde accusatorem firmum verumque esse oportet. Eum ego si te putem cupere esse, facile intelligo, esse non posse. Nec ea dico, quae, si dicam, tamen infirmare non possis: te, antequam de Sicilia decesseris, in gratiam redisse cum Verre; Potamonem, scribam et familiarem tuum, retentum esse a Verre in provincia, quum tu decederes; M. Caecilium, fratrem tuum, lectissimum atque ornatissimum adolescentem, non modo non adesse, neque tecum tuas iniurias persequi, sed esse cum Verre, cum illo familiarissime atque amicissime vivere.

X. Sunt haec et alia in te falsi accusatoris signa permulta; quibus ego nunc non utor: hoc dico, te, si maxime cupias, tamen verum accusatorem esse non posse. Video enim permulta esse crimina, quorum tibi societas cum Verre eiusmodi est, ut ea in accusando attingere non audeas. Queritur Sicilia tota, C. Verrem ab aratoribus, quum frumentum sibi in cel-

tare aliquid, ut intereat; *deportare* ut mutet locum. — *Deinde accusatorem firmum, verumque esse*) Firmum, ut possit; verum, ut velit. — *Potamonem scribam et familiarem*) Haec omnia signa sunt falsi accusatoris. — *Lectissimum adolescentem*) Vera laudatio. Vult enim illum non ut inimicum fratris contra germanitatis officium esse cum Verre, sed ideo, quod Caecilius quoque Verri carior sit.

Cap. X. *Queritur Sicilia tota*) Inepte quidam mirantur, cur haec Tullius in accusando Verre non obiecerit Caecilio et multa alia; et non intelligunt haec ad tempus commode adiungi; quae vero Caecilio non sunt necessaria. — *Frumentum in cellam*) Annonas praetoris dicit, quae in frumenti certo numero praebebantur a Siculis, in quibus Verres et pecuniam pro frumento exegit, et eo pretio, ut pro duobus sestertiis duodenos in modios singulos exegerit, sexies

Sed, quod iisdem) Vulgo *sed quum iisdem*. At cod. Meining. et Haydecop. habent *sed quod iisdem* et sic iam edidit Lambin. ut est apud Serv. in Aen. II, 788.

Asportare te velle) Scil. ut recte intp. Manut. ne tibi qui furtorum Verris non modo conscius, sed etiam particeps fuisti, nocere possint.

lam imperavisset, et quum esset tritici modius HS II, in modios singulos, duodenos sestertios exegisse. Magnum crimen, ingens pecunia, furtum impudens, iniuria non ferenda. Ego hoc uno crimine illum condemnem necesse est: tu, Caecili, quid facies? Vtrum hoc tantum crimen praetermittes, an obiicies? Si obiicies, idne alteri crimini dabis, quod eodem tempore, in eadem provincia, tu ipse fecisti? Audebis ita accusare alterum, ut, quo minus tute condemnere, recusare non possis? Sin praetermittes: qualis erit ista tua accusatio, quae, domestici periculi metu, certissimi et maximi criminis non modo suspicionem, verum etiam mentionem ipsam pertimescat? Emptum est ex S. C. frumentum ab Siculis, praetore Verre; pro quo frumento pecunia omnis soluta non est. Grave est hoc crimen in Verrem; grave, me agente; te accusante, nullum. Eras enim tu quaestor; pecuniam publicam tu tractabas; ex qua, etiam si cuperet praetor, tamen, ne qua deductio fieret, magna ex parte tua potestas erat. Huius quoque igitur criminis, te accusante, mentio nulla fiet. Silebitur toto iudicio de maximis et notissimis illius furtis et iniuriis. Mihi crede, Caecili, non potest in accusando

plus, quam emebatur. — *Emptum est ex S. C. frumentum ab Siculis*) Sicilia dabat decumanum frumentum, quod ab aratoribus exigebatur sine pretio. Dabat emptum, pro quo ex S. C. pecunia solvebatur. Dabat aestimatum, quod decretum praetor in cellam, hoc est, in usus cellae aestimare solebat, accipiens, quum interdum pro frumento pecuniam annueret. — *Pecuniam publicam tu tractabas*) Haec erat prima senatoris administratio, quaestorem fieri et in provincia curam gerere pecuniae publicae in usus diversos erogandae. — *Ne qua deductio fieret*) Modo deductio dispendium significat; alias deductio

Tritici modius HS II) Sic habent codd. Gu. Iannoct. et recepit Manut. adhibito Verr. III, 81. In edd. vett. est *HS* V. In Franc. I, *sestert. XI.* Post *HS* II vulgo additur *pro frumento*; quod de Ernesti sententia delevi. Cf. Verr. III, 81.

Illum condemnem) I. e. efficiam ut a iudicibus condemnetur.

socios vere defendere is, qui cum reo criminum societate coniunctus est. Mancipes a civitatibus pro frumento pecuniam exegerunt. Quid? hoc Verre praetore factum est solum? Non; sed etiam quaestore Caecilio. Quid igitur? Daturus es huic crimini, quod et potuisti prohibere, ne fieret, et debuisti? an totum id relinques? Ergo id omnino Verres in iudicio suo non audiet, quod quum faciebat, quemadmodum defensurus esset, non reperiebat.

XI. Atque ego haec, quae in medio posita sunt, commemoro. Sunt alia magis occulta furta; quae ille, ut istius, credo, animos atque impetus retardaret, cum quaestore suo benignissime communicavit. Haec tu scis ad me esse delata; quae si velim proferre, facile omnes intelligent, vobis inter vos non modo voluntatem fuisse coniunctam, sed ne praedam quidem adhuc esse divisam. Quapropter si tibi indicium

imminutio est etiam insta. — *Mancipes a civitatibus*) Mancipes sunt publicanorum principes, Romani homines, qui quaestus sui causa si decumas redimunt, decumani appellantur; si portum aut pascua publica, portitores aut pecuarii; quorum ratio *scriptura* dicitur. Hi omnes exigenda a sociis suo periculo exiguut et rei publicae repraesentant, providentes etiam in illa redemptione commodis suis. Licet autem, si moderate fiat, aestimare in cellam Praetori frumentum. Mancipi pro frumento ab aratoribus pecunias accipere non licet. — *Quod quum faciebat*) Est vera defensio; est etiam inanis; ut tamen aliquid dici videatur. Neutram horum habuit Verres; et tamen ita faciebat. Mire ostendit avaritiae caecitatem.

Cap. XI. *Sunt alia magis occulta furta*) Inepte a quibusdam quaeritur, quae sint; nulla sunt enim; sed oratorum est, neque minuere laudes vel crimina, neque ostendere. — *Benignissime cum quaestore suo communicavit*) Iculariter irrisit, fures designans; ut tota illa quaestura ad societatem furtorum valeat, non ad accusationem. — *Si tibi indicium postulas*) Certa sunt, in quibus impunitas indici datur, ut in causa proditionis, maiestatis, et si quid huiusmodi est. Certae etiam personae sunt, quae indices fieri possint. Itaque neque repetundarum causa per indices agi solet, neque senatoria per-

Sed etiam quaestore Caecilio) Franc. I, *Hoc Verre praetore factum est non solum, sed etiam q. C.* Male.

Indicium postulas) Edd. pr. *iudicium*. Recte vero inde a Victorio legitur *indicium*.

postulas dari, quod tecum una fecerit: concedo, si id lege permittitur. Sin autem de accusatione dicimus, concedas oportet iis, qui nullo suo peccato impediuntur, quo minus alterius peccata demonstrare possint.

Ac vide, quantum interfuturum sit inter meam atque tuam accusationem. Ego etiam quae tu sine Verre commisisti, Verri crimini daturus sum, quod te non prohibuerit, quum summam ipse haberet potestatem: tu contra, ne quae ille quidem fecit, obiicies, ne qua ex parte coniunctus cum eo reperiare.

XII. Quid illa, Caecili? contemnendane tibi videntur esse, sine quibus causa sustineri, praesertim tanta, nullo modo potest? aliqua facultas agendi? aliqua dicendi consuetudo? aliqua in foro, iudiciis, legibus aut ratio, aut exercitatio? Intelligo, quam scopuloso difficilique in loco verser. Nam quum omnis arrogantia odiosa est, tum illa ingenii atque eloquentiae multo molestissima. Quamobrem nihil dico de meo ingenio; neque est, quod possim dicere; neque, si esset, dicerem. Aut enim id mihi satis est, quod est de me opinionis, quidquid est; aut, si id parum est, ego maius id commemorando facere non possum. De te, Caecili (iam mehercule extra hanc contentionem certamenque nostrum, familiariter tecum loquar),

sone potest indicium profiteri salvis legibus. Index est autem, qui facinoris, cuius ipse est conscius, latebras indicat, impunitate proposita. Est enim sensus: Index potes esse, si tibi hoc licet; accusator, de qua re agimus, esse non potes. Satis contumeliose tanquam levem hominem exagitavit Caecilium. — *Ego etiam, quae tu sine Verre commisisti*) Quae ista? nulla scilicet. Haec enim vim comminationis, non veritatis habent (15).

Ac vide) *At vide* cod. Meining. Sed particulae adversativae hic non est locus.

Quam scopuloso difficilique in loco verser) Franc. I, *quam scopuloso quam difficili loco*.

Iam mehercule) Vulgo *iam mehercule hoc*. Sed melius abest *hoc* apud Rufinian. de figg. c. X.

tu ipse quemadmodum existimes, vide etiam atque etiam; et tu te collige, et qui sis, et quid facere possis, considera. Putasne, te posse de maximis acerbissimisque rebus, quum causam sociorum, fortunasque provinciae, ius populi romani, gravitatem iudicii legumque susceperis, tot res, tam graves, tam varias, voce, memoria, consilio, ingenio, sustinere? Putasne, te posse, quae C. Verres in quaestura, quae in legatione, quae in praetura, quae Romae, quae in Italia, quae in Achaia, Asia, Pamphyliaque patrarit, ea, quemadmodum locis temporibusque divisa sint, sic criminibus et oratione distinguere? Putasne posse, id quod in eiusmodi reo maxime necessarium est, facere, ut, quae ille libidinose, quae nefarie, quae crudeliter fecerit, ea aeque acerba et indigna videantur esse iis, qui audient, atque illis visa sunt, qui senserunt? Magna sunt ea, quae dico, mihi crede; noli haec contemnere. Dicenda, demonstranda, explicanda sunt omnia; causa non solum exponenda, sed etiam graviter copioseque agenda est. Perficiendum est, si quid agere aut proficere vis, ut homines te non solum audiant, verum etiam libenter studio-

CAP. XII. *Et qui sis*) Non in nomine tantum et in genere est, sed in omnibus attributis personae. Ergo, *qui sis*, et quod Siculus, continet, et quod indoctus, et quod non intelligeret, et quod nullo ingenio. — *Putabasne te posse*) Proprium oratoris est, in omni qualitate comparativa sic agere, ut eum cui praeferri velit, occasionem sibi sumat ostendendi, quam perite possit tractare id ipsum, de quo agitur. Ergo quia de constituendo accusatore ambigitur,

De maximis acerbissimisque rebus) Post haec verba Herelius excidisse putat *acturum*, vel *dicturum*.

Quae in Italia) Lipsius Varr. lectt. II, 23 coni. *quae in Sicilia*. Sed ad Siciliam pertinent antecedentia. Melius esset verba *quae in Italia* delere.

Patrarit) *peccarit* codd. Pall. Cuiac. Franc. I. Et receperunt Graev. Garat. Beck.

Putasne posse) Hotomann. e libris duobus edidit *Putasne te posse*, ut paulo ante; sequutusque est Graevius cum aliis. Elegantius tamen *te* hic omittitur; quod vidit Ern.

seque audiant. In quo si te multum natura adiuvaret; si optimis a pueritia disciplinis atque artibus studuisses, et in his elaborasses; si literas Graecas Athenis, non Lilybaei, Latinas Romae, non in Sicilia, didicisses: tamen esset magnum, tantam causam, tam exspectatam, et diligentia consequi, et memoria complecti, et oratione exponere, et voce et viribus sustinere.

XIII. Fortasse dices: «Quid? ergo haec in te sunt omnia?» Vtinam quidem essent! verumtamen, ut esse possent, magno studio mihi a pueritia est elaboratum. Quod si ego haec, propter magnitudinem rerum ac difficultatem, assequi non potui, qui in omni vita nihil aliud egi: quam longe tu te ab his rebus abesse arbitrare, quas non modo antea nunquam cogitasti, sed ne nunc quidem, quum in eas ingrederis, quae et quantae sint, suspicari potes? Ego, qui, sicut omnes sciunt, in foro iudiciisque ita verser, ut eiusdem aetatis aut nemo, aut pauci, plures causas defenderint; et qui omne tempus, quod mihi ab amicorum negotiis datur, in his studiis laboribusque consumam, quo paratior ad usum forensem, promptiorque esse possim: tamen, ita deos mihi velim propitios,

ostendit Cicero qualis accusatio esse debeat; ut proinde ac dicit videatur acturus. — *Athenis non Lilybaei, Romae non in Sicilia*) Dicit illum Graecas literas simul et Latinas in Sicilia didicisse, in ea insula, quae neutra lingua bene utatur. Ita enim Plautus in Persa (16):

Dabuntur dotis inde sexcenti tibi Logi
Atque Attici omnes; nullum Siculum acceperis.

Cap. XIII. *Quod mihi ab amicorum negotiis datur*) Quod mihi licet per amicorum negotia, quibus occupamur. — *Ita mihi Deos velim propitios*) Genus iuris iurandi id est quod dicimus: tantum mihi divinitas faveat, quantum verum est illud quod dico tibi. Sic igitur ita mihi Deos velim propitios, ut commoveor animo, ac toto corpore perhorresco, quum mihi illius diei venit in

Oratione exponere) Lamb. in codd. aliquot *expromere*.

Verser) Cod. Leid. Huydecop. *versor*.

ut, quum illius diei mihi venit in mentem, quo die, citato reo, mihi dicendum sit, non solum commoveor animo, sed etiam toto corpore perhorresco. Iam nunc mente et cogitatione prospicio, quae tum studia hominum, qui concursus futuri sint; quantam exspectationem magnitudo iudicii sit allatura; quantam auditorum multitudinem C. Verris infamia concitatura; quantam denique audientiam orationi meae improbitas illius factura. Quae quum cogito, iam nunc timeo, quidnam pro offensione hominum, qui illi inimici infensique sunt, et exspectatione omnium, et magnitudine rerum dignum eloqui possim. Tu horum nihil metuis, nihil cogitas, nihil laboras; et si quid ex vetere aliqua oratione, IOVEM EGO OPTIMVM MAXIMVM; aut, VELLEM, SI FIERI POTVISSET, IVDICES; aut aliquid eiusmodi, edisccre potueris, praeclare te paratum in iudicium venturum arbitraris.

mentem, quo dic citato reo etc. — *Magnitudo iudicii*) Repetundarum indicium sine dubio magnum est, et ex persono Verris, qui post praeturam de fortonis omnibus dimicat; ct amplitudine iudicum; sunt enim clarissimi et auctoritatis contemplatione, et multarum rerum huiusmodi. — *Tu horum nihil metuis, nihil cogitas, nihil laboras*) Metum ad offensionem inimicorum Verris retulit, cogitationem ad exspectationem hominum, laborem ad magnitudinem rerum. — *Iovem ego optimum maximum*) Haec capita solent usitata esse causidicis imperitis; quod genus vitii in primo libro Rhetoricôn *vulgare* nominat. Incipiebant autem veteres, ut Virgilius ostandit, aut ab invocatione deorum, quale est (*Aen.* XI, 301):

Praefatus divos solio Rex infit ab alto

aut ab reprehensione superioris temporis, ut ait Lucilius,

Vellem cum primis fieri si fors potuisset

vitiose ambo cola. Et Virgilius (*Aen.* XI, 302):

Ante equidem summa de re statuisse Latini
Et vellem et fuerat melius —

Quum illius diei) Ita Man. ax Asc. Nec fugit Ernestium hoc esse valde Ciceronianum *illius diei — quo die*: ex. c. Epp. ad Attic. II, 12, *dies nullus erat — quo die* etc. ipse tamen retinuit lectionem *illius temporis*, quae sane multis nititur auctoritatibus, ut codd. Hotom. Cuiac. Franc. 1, Priscian lib. XVII, pag. 1202, ed. Putsch.

Concitatura) Gron. ad Liv. XXXIII, 33, mavult, *concitura*.

XIV. Ac si tibi nemo responsurus esset, tamen ipsam causam, ut ego arbitror, demonstrare non posses. Nunc ne illud quidem cogitas, tibi cum homine disertissimo, et ad dicendum paratissimo, futurum esse certamen: quicum modo disserendum, modo omni ratione pugnandum certandumque sit? Cuius ego ingenium ita laudo, ut non pertimescam; ita probo, ut me ab eo delectari facilius, quam decipi putem posse. Nunquam ille me opprimet consilio; nunquam ullo artificio pervertet; nunquam ingenio me suo labefactare atque infirmare conabitur. Novi omnes hominis petitiones rationesque dicendi; saepe in iisdem, saepe in contrariis causis versati sumus. Ita contra me ille dicet, quamvis sit ingeniosus, ut nonnullum etiam de suo ingenio iudicium fieri arbitretur. Te vero, Caecili, quemadmodum sit elusurus, quam omni ratione iactaturus, videre iam videor: quoties ille tibi potestatem optionemque facturus sit, ut eligas utrum velis: factum esse, necne; verum esse, an falsum; utrum dixeris, id contra te futurum. Qui tibi aestus, qui error, quae

Cap. XIV. *Cuius ego ingenium ita laudo*) Cur hoc Tullius dicit? scilicet ne terreantur Siculi, laude patroni adversarii sui. — *Factum esse necne*) Factum est, non est factum; calumniationes. Et hoc genus argumenti complexio dicitur; quae si probabilis est vincitur; si necessaria, solvi non potest. —

Infirmare conabitur) Ernestius ait, *conabitur* accipiendum esse per pleonasmum dictum, ut *videatur* saepe. Nam *conatum* qui proprie dicatur Hortensio non defuisse. Ego vero fateor me illo pleonasmo non delectari. Fortasse igitur legendum *quamquam ingenio me suo labefactare atque infirmare conabitur.* Itaque Cicero hoc significaret; *conabitur me labefactare* Hortensius, sed non *pervertet*, *conabitur infirmare*, sed non *opprimet*. Praeterea *ingenium* est notio communis, sub qua partim *consilium*, partim *artificium* comprehenditur.

Petitiones) Rationes impetendi et evertendi adversarium. Est utique translata haec vox a gladiatoribus in oratores. Graevius.

Qui error) Franc. 1, *qui furor* pessime.

tenebrae, dii immortales! erunt, homini minime malo? Quid? quum accusationis tuae membra dividere coeperit, et in digitis suis singulas partes causae constituere? Quid? quum unumquodque transigere, expedire, absolvere? Ipse profecto metuere incipies, ne innocenti periculum facesseris. Quid? quum commiserari, conqueri, et ex illius invidia deonerare aliquid, et in te traiicere coeperit? commemorare quaestoris cum praetore necessitudinem constitutam? morem maiorum? sortis religionem? Poterisne eius orationis subire invidiam? Vide modo; etiam atque etiam considera. Mihi enim videtur periculum fore, ne ille non modo verbis te obruat, sed gestu ipso ac motu corporis praestringat aciem ingenii tui, teque ab institutis tuis. cogitationibusque abducat. Atque huiusce rei iudicium iam continuo video futurum. Si enim mihi hodie respondere ad haec, quae dico,

Quid, quum accusationis tuae capita dividere coeperit?) Hic irridet Hortensii consuetudinem, ut saepe alias. — *Transigere*) Quod manifestum est. — *Expedire*) Definiendum. — *Absolvere*) dividendum. An transigere est, quod aut confiteri non timeat, aut negatione excludat; expedire, quod diffinitione solvatur; absolvere, quod per qualitatem licitum esse monstretur. — *Ipse profecto metuere incipies*) Mire descripsit imperitum, cui persuaderi possit, verum dicere adversarium suum. — *Ex illius invidia deonerare aliquid*) Hoc plus est, quam socium criminis reddere. — *Poterisne eius orationi subire* (17) Quasi Latine dixit, ut magno ponderi subire. — *Praestringat aciem*) Vel a praestigiatoribus transtulit verbum; vel a tironibus, qui ignari et rudes pugnae etiam vano armorum sonitu terrentur praestrictis luminibus. Plautus in Milite glorioso (*Act.* I, *sc.* 1, *v.* 3):

Vt ubi usus veniat, contra conserta manu
Oculorum praestringat aciem in acie hostibus.

Necessitudinem constitutam? morem maiorum?) Gronovius malebat: *necessitudinem constitutam more maiorum.* Et sic cod. Meining. Bene autem Garatonus tres illos accusativos defendit. Cicero mirum intelligit in ipsa quaestoris cum praetore necessitudine Hortensium verba facturum *de more maiorum*, *de sortis religione.*

Sortis religionem?) *Sors* saepe est provincia, quia plerumque solebant provincias sortiri. Vt recte Gronov. ad Tacit. observavit. Inferius in hac oratione cap. 20, vocat *coniunctionem sortis*, et *necessitudinem sortis.* GRAEV.

potueris; si ab isto libro, quem tibi magister ludi, nescio qui, ex alienis orationibus compositum dedit, verbo uno discesseris: posse te et illi quoque iudicio non deesse, et causae atque officio tuo satisfacere arbitrabor; sin mecum, in hac prolusione, nihil fueris: quem te in ipsa pugna, cum acerrimo adversario, fore putemus?

XV. Esto: ipse nihil est, nihil potest; at venit paratus cum subscriptoribus exercitatis et disertis. Est tamen hoc aliquid; tametsi non est satis. Omnibus enim rebus is, qui princeps in agendo est, ornatissimus et paratissimus esse debet. Verumtamen L. Apuleium esse video proximum subscriptorem, hominem non aetate, sed usu forensi atque exercitatione tironem. Deinde, ut opinor, habet Allienum, hunc tamen

Magister ludi) Literarii ludi magister. Omnem enim scholam ludum dixere Romani; et magistri ludi dicuntur, qui primas literas docent. Ergo libellum veterem vult intelligi Caecilium, unde magister dictata pueris praebere consuevisset.

Cap. XV. *Cum subscriptoribus exercitatis et disertis*) Ironia. Subscriptores autem dicuntur, qui adiuvare accusatorem causidici solent: quos oportet summissius agere, quam dicat ille, quem sequuntur. — *In omnibus enim rebus*) Hic ratio redditur, quare dixerit: *tametsi non est satis.* Nam supra ideo posuit: *Est aliquid hoc*, ut ostenderet, quod sine his nihil sit Caecilius. — *Proximum subscriptorem*) secundum ab accusatore Caecilio. — *Habet Allienum*) Caecilius scilicet. *Alienum* autem volunt intelligi proprium nomen esse, quasi ab Alia, ut Virgilius (*Aen.* VII, 717):

Quosque secans infaustum interluit (18) *Alia nomen*

Alii *alienum* non nomen proprium putant esse, sed *alienum* et alterius iudicii, et non ex auditorio Praetoris maiorumque causarum, sed a subselliis, hoc est non a tribunalibus. Sunt enim subsellia Tribunorum, Triumvirorum, Quaestorum, et huiuscemodi minora iudicia exercentium, qui non in sellis curulibus, nec tribunalibus, sed in subselliis considebant. — *Hunc tamen a subselliis*)

In hac prolusione) Divinatio prolusio est, *un avant-jeu*, Graecis προοίμιον. Fabius lib. 4, c. 1, initio. Nam a citharoedis ducta metaphora est, qui ante legitimum carmen pauca aliqua artis musicae praeludia auditoribus ingerunt; ipsum autem certamen, quasi legitimum carmen, est ipsa Verris accusatio. Menard.

Nihil fueris) Franc. 1, *nihil feceris*, mendose.

a subselliis: qui, quid in dicendo posset, nunquam satis attendi. In clamando quidem video eum esse bene robustum atque exercitatum: in hoc spes tuae sunt omnes: hic, si tu eris actor constitutus, totum iudicium sustinebit. At ne is quidem tantum contendet in dicendo, quantum potest; sed consulet laudi et existimationi tuae: et ex eo, quod ipse potest in dicendo, aliquantum remittet, ut tu tamen aliquid esse videare. Vt in actoribus graecis fieri videmus; saepe illum, qui est secundarum aut tertiarum partium, quum possit aliquanto clarius dicere, quam ipse primarum, multum summittere, ut ille princeps quam maxime excellat: sic faciet Allienus; tibi serviet, tibi lenocinabitur; minus aliquanto contendet,

Vtrum hoc ad contemptum, an ad genus laudis pertinet? Ego quasi ad laudem dictum accipio, ut maior irrisio sit Caecilii, qui nec a subselliis fuerit aliquando. — *In clamando quidem*) Huiusmodi homines in libris de Oratore non *declamatores*, sed *clamatores* idem Tullius vocat (III, 34). — *Totum iudicium sustinebit*) Quia tu nec partem iudicii sustinebis. Hoc est enim totum iudicium et spes omnis. — *Actoribus Graecis*) Palliatarum scilicet fabularum. In his enim etiamsi Latinae sunt, Graeca omnia servantur. Nam Latinae fabulae per pauciores agebantur personas, ut Atellanae, togatae et huiusmodi aliae. An ideo actores Graecos dixit? — *Saepe ille qui est secundarum aut tertiarum*) Comoedia quinque actus habet, hoc est, quinquies ducitur in scenam. Est ergo persona primarum partium, quae saepius actu regreditur, secundarum et tertiarum quae minus minusque procedunt. Terentius in Phormione (*Prol. v.* 28):

Quia primas partes qui aget is erit Phormio.

Quam ille primarum) subaudi *partium*. — *Multum summittere*) Sub-

A subselliis) *ab subselliis* Ascon.

Posset) *possit* ed. Ven. Nauger. Manut.

At ne is quidem) *Ac ne is quidem* Ald. Oliv. Lallem. Ox.

Actoribus Graecis) Valckenarius in diatr. in Eurip. Fragm. pag. 182, legi vult *actoribus Tragicis*. Vulgatum enim *Graecis*, nihil facere ad rem. Praeterea qui sint actores graeci? Explicant actores fabularum palliatarum. At hi quoque Romae latine loquebantur, non graece. Lectionem *Graecis* tamen iam Asconius habuit in suo codice. Et orat. pro Flacco c. 27, memorantur in comoediis graecis servi primarum partium.

Quam ipse primarum) I. e. quam ipse ille qui primas partes agit.

quam potest. Iam hoc considerate, cuiusmodi accusatores in tanto iudicio simus habituri: quum et ipse Allienus ex ea facultate, si quam habet, aliquantum detracturus sit; et Caecilius tum denique se aliquid futurum putet, si Allienus minus vehemens fuerit, et sibi primas in dicendo partes concesserit. Quartum quem sit habiturus, non video, nisi quem forte ex illo grege moratorum, qui subscriptionem sibi postularunt, cuicumque vos delationem dedissetis. Ex quibus alienissimis hominibus ita paratus venis, ut tibi hospes aliquis sit recipiendus. Quibus ego non sum tantum honorem habiturus, ut ad ea, quae dixerint, certo loco, aut singulatim unicuique, respondeam. Sic breviter, quoniam non consulto, sed casu in eorum mentionem incidi, quasi praeteriens satisfaciam

nudi *vocem* vel *gestum*. — *Quartum quem sit habiturus*) Duos dixit, quomodo quartum nominat? scilicet ab accusatore. Cum ipso Caecilio numerans proximum Allienum. — *Quartum ex illo grege moratorum*) Obturbatores quosdam sordidosque causidicos significat, qui adhibebantur ad moram faciendam, dum meliores advocati recrearentur, et se denuo compararent ad dicendum. Et non recessit a translatione scenicorum: qui sunt tragici et comici, dicendo quartum actorem et gregem. — *Cuicunque*) Sive mihi, sive Caecilio. — *Alienissimis hominibus*) Hinc apparet etiam supra *alienum* alieni iudicii hominem significari. Et ideo de alienis, quasi exteris per iocum dicit; tanquam peregrinantibus et advenis aliquem hospitio esse recipiendum Caecilio. — *Quasi praeteriens satisfaciam universis*) Sufficit, inquit, omnibus quod ego vel praeteriens breviter dixero, pro levitate eorum, quibus respon-

Se aliquid futurum) Sic Manut. Hotom. MS. Gu. et Iannuct. Olim edebatur *facturum*.

Quartum quem sit habiturus) Duos dixit, inquit Asconius, quo modo *quartum* nominat? scilicet ab accusatore; cum ipso Caecilio numerans proximum (*Aquillium et*) Alienum. MS. Franc. I, *Quare quem*.

Ex illo grege moratorum) Vulgo olim *oratorum*. Vnice tamen verum *moratorum*, quod legit Asconius, et interpretatur obturbatores quosdam sordidosque causidicos, qui adhibebantur ad moram faciendam, dum meliores advocati recrearentur et se denuo componerent ad dicendum.

Cuicumque vos) Iudices alloquitur, et delationem i. q. accusationem.

Ad ea quae dixerint) Scil. ad eas rationes, propter quas subscriptionem postulaverunt.

universis. Tantane vobis inopia videor esse amicorum, ut mihi non ex his, quos mecum adduxerim, sed de populo subscriptor addatur? vobis autem tanta inopia reorum est, ut mihi causam praeripere conemini potius, quam aliquos ad columnam Maeniam vestri ordinis reos reperiatis? « Custodem, inquit, Tullio me apponite ». Quid? mihi quam multis custodibus opus erit, si te semel ad meas capsas admisero? qui non solum, ne quid enunties, sed etiam ne quid auferas, custodiendus sis. Sed de isto custode toto sic vobis brevissime respondebo: non esse hos tales viros commissuros, ut ad causam tantam, a me

dendum est. Oblique autem Cicero removere conatur Caecilium etiam a subscribendi spe, quod postea ille poposcerat secundarum munus; sed inhumanissimum erat dicere, ne subscriptorem quidem idoneum posse esse Caecilium. Quare in summa sibi subscriptorem necessarium non esse dicit. Alibi Verr. Act. II, lib. I, c. 6, ait: *sed ne subscribendi quidem, quum id postularet, facerent potestatem.* — *De populo subscriptor addatur*) Amare, *subscriptor de populo*; quasi isti in vulgo numerandi sint; et *addatur* proprie, de quasi invito et superbo quod huiusmodi nimirum res additae dicuntur. — *Ad columnam Maeniam*) Maenius, quum domum suam venderet Catoni et Flacco censoribus, ut ibi basilica aedificaretur, exceperat ius sibi unius columnae, super quam tectum proiiceret ex provolantibus tabulatis unde ipse et posteri eius spectare munus gladiatorum possent, quod etiam tum in foro dabatur. Ex illo igitur columna Maenia vocitata est (19). — *Vestri ordinis reos*) Reos vestra defensione condignos; ut fures, et servos nequam, qui apud Triumviros capitales apud columnam Maeniam puniri solent. — *Custodem, inquit, Tullio me apponite*) subscriptorem non dixit, sed custodem, ut quia acerbe responsurus erat, lacessitus convicium facere videatur. Nam subscriptores non solum causarum (20) causa, neque iuvandi accusatoris adhiberi solent, sed etiam ut non corrumpatur. — *De isto custode toto*) Hoc est, de omni genere subscriptorum, id est, etiam si Caecilius subscriptorem se esse deposcat. — *Nunquam tales viros commissuros*) Male facturos, prave et iniqua ratione. Nam con-

Ad columnam Maeniam) Sic legitur ap. Ascon. cod. Vrsin. et Pariss. Vulgo *a columna Maenia vel Menia.* Ad columnam Maeniam tresviri capitales, infimorum hominum et servorum causas et crimina cognoscebant.

Custodem, inquit) Quis? Hotomanus intelligit Caecilium. Mihi videtur notari aliquis ex illo grege moratorum, qui postularat ut se custodem Tullio iudices apponerent.

Non esse hos tales viros) scil. iudices. Asconius legit *nunquam tales viros.* In marg. ed. Lamb. *nunquam esse hos tales viros.*

susceptam, mihi creditam, quisquam subscriptor, me invito, adspirare possit. Etenim fides mea custodem repudiat, diligentia speculatorem reformidat.

XVI. Verum, ut ad te, Caecili, redeam, quam multa te deficiant, vides; quam multa sint in te, quae reus nocens in accusatore suo cupiat esse, profecto iam intelligis. Quid ad haec dici potest? Non enim quaero, quid tu dicturus sis; video mihi non te, sed hunc librum esse responsurnm, quem monitor tuus hic tenet; qui, si te recte monere volet, suadebit tibi, ut hinc discedas, neque mihi verbum ullum respondeas. Quid enim dices? An id, quod dictitas, iniuriam tibi fecisse Verrem? Arbitror. Neque enim esset veri simile, quum omnibus Siculis faceret iniurias, te illi unum eximium, cui consuleret, fuisse. Sed ceteri Siculi ultorem suarum iniuriarum invenerunt: tu, dum tuas iniurias per te, id quod non potes, persequi conaris, id agis, ut ceterorum quoque iniuriae sint impunitae atque inultae: et hoc te praeterit, non id solum spectari solere, qui debeat, sed etiam illud, qui possit ulcisci; in quo utrumque sit, eum superiorem esse; in quo alterum, in eo non, quid is velit, sed quid facere possit, quaeri solere. Quod si ei potissimum censes permitti oportere accusandi potestatem, cui maximam C. Verres iniuriam fecerit: utrum tandem censes hoc iudices gravius ferre oportere, te ab illo esse laesum, an provinciam Siciliam esse vexatam ac perditam?

milli fraus dicitur, atque peccatum. Sum enim et fidelis et diligens; et ideo nec custode indigeo, et speculatorem inter mea secreta non patior.

Cap. XVI. *Verum ut ad te, Caecili, redeam*) Recte, quia in subscriptores παρέκβασιν fecerat. — *Sed ceteri Siculi*) Saepe in Caecilium utitur hoc convicio, ut illum non Romanum, sed Siculum dicat.

Dum tuas iniurias) abest *iniurias* cod. Meining.

Opinor, concedis, multo hoc et esse gravius, et ab omnibus ferri gravius oportere. Concede igitur, ut tibi anteponatur in accusando provincia. Nam provincia accusat, quum is agit causam, quem sibi illa defensorem sui iuris, ultorem iniuriarum, actorem causae totius adoptavit.

XVII. At eam tibi C. Verres fecit iniuriam, quae ceterorum quoque animos posset alieno incommodo commovere. Minime. Nam id quoque ad rem pertinere arbitror, qualis iniuria dicatur; quae causa inimicitiarum proferatur. Cognoscite ex me. Nam iste eam profecto, nisi plane nihil sapit, nunquam proferet. Agonis est quaedam, Lilybaetana, liberta Veneris Erycinae; quae mulier ante hunc quaestorem, copiosa plane et locuples fuit. Ab hac praefectus Antonii quidam symphoniacos servos abducebat per iniuriam, quibus se in classe uti velle dicebat. Tum illa, ut mos in Sicilia est omnium Venereorum, et eorum, qui a Venere se liberaverunt, ut praefecto

CAP. XVII. *Praefectus Antonii*) Antonius curator tuendae totius orae maritimae, qua romanum erat imperium, non solum ipse nequam, verum etiam comitibus pessimis rem inauditam invasit, et indicto Cretensibus bello, male re gesta ibidem periit, antequam Pompeius contra piratas missus est. De hoc alibi ait Tullius: *Post M. Antonii infinitum illud imperium senserant* (21). — *Quibus se in classe uti velle dicebat*) Cani remigibus celeusma per symphoniacos solebat, et per assam vocem, id est ore prolatam, et ut in Argo navi, per citharam; sed quia hic *in classe* dixit, possumus intelligere, ad hoc symphoniacos capi solere, ut in classe pugnantibus classicum canant, unde

Liberta Veneris Erycinae) Quibus Deis permissum erat senatusconsulto, aut constitutione principum, dare, donare, dicare; nihil mirum est in eorum dominio fuisse etiam servos, quos et manumitti potuisse hic locus indicat. *Et eorum*, inquit, *qui a Venere se liberaverunt*, id est, qui a servitio Veneris manumissione sunt liberati. Vtrumque comprehendit Varro, ut videtur, lib. VII de lingua latina ad extremum. Nam fanorum servos manumissos, proportionem non servare, illo loco docet: servasse tamen Erycinae Veneris libertos proportionem, locus hic ostendit; dicuntur enim Venerii, a Veneris servitute liberati. MENARD.

illi religionem Veneris nomenque obiiceret, dixit et se et omnia sua Veneris esse. Vbi hoc quaestori Caecilio, viro optimo et homini aequissimo, nuntiatum est; vocari ad se Agonidem iubet: iudicium dat statim, si pareret, eam se et sua Veneris esse, dixisse. Iudicant recuperatores id, quod necesse erat; neque enim erat cuiquam dubium, quin illa dixisset. Iste in possessionem bonorum mulieris mittit; ipsam Veneri in servitutem adiudicat; deinde bona vendit; pecuniam redigit. Ita, dum pauca mancipia Veneris nomine Agonis ac religione retinere vult, fortunas omnes libertatemque suam istius iniuria perdidit. Lilybaeum Verres venit postea; rem cognoscit; factum improbat; cogit quaestorem suum, pecuniam, quam ex Agonidis bonis redegisset, eam mulieri omnem annumerare et reddere. Est adhuc, id quod vos omnes admirari video, non Verres, sed Q. Mutius. Quid enim facere potuit elegantius ad hominum existimationem? aequius ad levandam mulieris calamitatem? vehementius ad quaestoris libidinem coërcendam?

ipsi tubae classis nomen est positum classicum. — *Non Verres, sed Q. Mutius*) Scaevolam significat. Huius quaestor Rutilius Rufus damnatus est, quod cum praetore consenserit suo, ne publicani aliquid agerent in provincia sua. Quo cognito, equites Romani, (nam tum ante Sullana tempora indicabant) damnarunt eum. Hic est Mutius in honorem cuius Asiani diem festum

Vbi hoc quaestori Caecilio) Ant. Augustinus maluit: *ubi hoc Q. Caecilio.*

Iudicium dat statim) In provinciis et praetores, et quaestores, ut apparet, iudicia in causis privatis dabant. Est autem *dare iudicium* iudices constituere in certa verba, ut, si pareret *eam se, et sua Veneris esse dixisse:* plena autem est oratio, *Tum eius bona Veneri adiudicantur.* Nam iudices a magistratu dati de facto postea cognoscebant, et eorum sententiam magistratus exsequebatur. Hotoman.

Si pareret) Falso olim *si pateret.* Correxerunt Lamb. et Manut. Garatonus coni. *si patet:* quod non est admittendum.

Quod vos omnes admirari video, non Verres, sed Q. Mutius) Rufinian. de figg. p. 198, ed. Ruhuk. *quod admirari vos video.*

Summe haec omnia mihi videntur esse laudanda. Sed repente, ex homine, tanquam epoto Circaeo poculo, factus est Verres. Redit ad se atque ad mores suos. Nam ex illa pecunia magnam partem ad se vertit: mulieri reddidit quantulum visum est. Hic tu, si laesum te a Verre esse dices; patiar et concedam: si iniuriam tibi factam quereris; defendam et negabo. Deinde de iniuria, quae tibi facta sit, neminem nostrum graviorem vindicem esse oportet, quam te ipsum, cui facta dicitur. Si tu cum illo postea in gratiam redisti; si domi illius aliquoties fuisti; si ille apud te postea caenavit: utrum te perfidiosum, an praevaricatorem existimari mavis? Video esse necesse alterutrum; sed ego tecum in eo non pugnabo, quo minus, utrum velis, eligas.

XVIII. Quod si ne iniuriae quidem, quae tibi ab

Mutia nominabant. — *Circaeo populo*) Illa enim snes ex hominibus faciebat *Redit* autem iam ad argumentum, non ad similitudinem pertinet. Vult enim innuere, quod recte fecit, alienum esse et parvissimi temporis; proprium vero et perpetuum quod mali (22) admisit. — *Redit ad se atque ad mores suos*) Nota redire ad se homines.

Cap. XVIII. *Hic tu si laesum te a Verre esse dices*) Iniuria semper iniusta est; laedi etiam aliquis iuste potest; nam et qui iure damnantur, laeduntur, sed non iniuria; et recte contra *patiar defendam* posuit, contra *concedam*, *negabo*, et bene addit *negabo*; potuit enim aliter atque aliter intelligi de-

Sed repente) Vulgo additur *e vestigio*, quod non agnoscit Rufinianus l. l. Manutius et Gulielm. delendum censebant *repente*. Sed concinnius omittitur *e vestigio*, quocum, ut Ernestius monuit, non suaviter concurrit *ex homine*.

Tanquam epoto Circaeo poculo) Vulgo *tanquam aliquo Circaeo poculo*. At Rufinianus l. l. legit *tanquam epoto Circaeo*, qui tamen omittit *poculo*, quod melius servant Ascon. et Priscian. l. 1. *Sic epoto poculo* Cic. pro Cluent. c. 60.

Ad se vertit) Ita in plerisque codd. edd. Nonnulli *avertit*, unde Lambin. coni. *averrit*, Grut. *verrit*.

Perfidiosum an praevaricatorem) *Perfidiosus* dicitur, qui quum inimicus sit, amicum se simulat: *praevaricator*, qui quum amicus sit, inimicum se fingit. Illud ad C. Verrem, hoc ad Siculos refertur. Hotom.

Quod si ne iniuriae quidem — causa remanet) Vulgo *quid, si ne iniuriae quidem — remanet?* Praetuli autem *quod si — remanet* ex Vrsini emenda-

illo facta sit, causa remanet, quid habes, quod possis dicere, quamobrem non modo mihi, sed cuiquam anteponare? nisi forte illud, quod dicturum te esse audio, quaestorem illius fuisse. Quae causa gravis esset, si certares mecum, uter nostrum illi amicior esse deberet: in contentione suscipiendarum inimicitiarum, ridiculum est putare, causam necessitudinis ad inferendum periculum iustam videri oportere. Etenim, si plurimas a tuo praetore iniurias accepisses: tamen eas ferendo, maiorem laudem, quam ulciscendo mererere; quum vero nullum illius in vita rectius factum sit, quam id, quod tu iniuriam appellas: hi statuent, hanc causam, quam ne in alio quidem probarent, in te iustam ad necessitudinem violandam videri? qui, si summam iniuriam ab illo accepisti, tamen, quoniam quaestor eius fuisti, non potes eum sine ulla vituperatione accusare; si vero nulla tibi facta est iniuria, sine scelere eum accusare non potes. Quare quum incertum sit de iniuria, quemquam esse horum putas, qui non malit, te sine vituperatione, quam cum scelere, discedere?

XIX. Ac vide, quid differat inter meam opinionem ac tuam. Tu quum omnibus rebus inferior sis, hac una re te mihi anteferri putas oportere, quod quae-

fensio, est enim bic finis, qoid sit iuiuria. — *Quam ne in alio quidem probarent*) qui et idoneus orator, et integer quaestor accusandi Verris.

CAP. XIX. *Quamobrem eum, cui quaestor fueris, accuses*) *Accuses*, pro eo quod est accusare velis. An: apud uos modo accuses, quum dicas ab illo tibi tione. Refertur enim hoc ad antecedentia.

Sine ulla) Cod. Meiniug. *sine nonnulla*. Fortasse Cic. simpliciter scripsit *sine vituperatione*.

Ac vide) Vulg. *at vide*. Sed quae sequuntur non opponuntur antecedentibus, sed iis aliquid addunt. Itaque melius est *ac vide*, quod dedit Lamb. item Lall. e codd. Pariss. ac nuper Beckius.

Hac una re) Vulg. *hac una in re*. Praepositionem auctoritate Hutomanni, quicum consentit Ern., delevi.

Te mihi) Pronomen *te* ante *mihi* olim omissum est in multis codd. et

stor illius fueris. Ego, si superior ceteris rebus esses, hanc unam ob causam te accusatorem repudiari putarem oportere. Sic enim a maioribus nostris accepimus, praetorem quaestori suo parentis loco esse oportere; nullam neque iustiorem, neque graviorem causam necessitudinis posse reperiri, quam coniunctionem sortis, quam provinciae, quam officii, quam publicam muneris societatem. Quamobrem si iure eum posses accusare, tamen, quum is tibi parentis numero fuisset, id pie facere non posses. Quum vero neque iniuriam acceperis, et praetori tuo periculum crees: fatearis necesse est, te illi iniustum impiumque bellum inferre conari. Etenim ista quaestura ad eam rem valet, ut elaborandum tibi in ratione reddenda sit, quamobrem eum, cui quaestor fueris, accuses: non, ut ob eam ipsam causam postulandum sit, ut tibi potissimum accusatio detur. Neque vero unquam venit in contentionem de accusando, qui quaestor fuisset, quin repudiaretur. Itaque neque L. Philoni in C. Servilium nominis deferendi potestas est data, neque M. Aurelio Scauro in L. Flaccum, neque Cn. Pompeio in T. Albucium: quorum nemo propter indignitatem repudiatus est; sed ne libido violandae necessitudinis auctoritate iudicum comprobaretur. Atque

iniuriam factam (23). — *Itaque neque L. Philoni*) Omnia exempla sunt quaestorum, qui praetores suos non permissi sunt accusare (24). — *Atque*

recte restituerunt Graevius, aliique.

Ceteris rebus) Cod. vet. ap. Lamb. *omnibus rebus*. Lambin. edidit *ceteris omnibus rebus*.

Publicam muneris societatem) Hotomannus si quis vetus liber ita scriptum haberet: *publici muneris societatem*, hoc praelaturus erat. Recte autem Graevius *publica*, inquit, *societas* est, quam publice h. e. mandato publico, ex sententia et voluntate rei publicae inimus.

Cui quaestor fueris) Sic est apud Asconium; et receperunt Hotom. et Lambin. Vulgo *quamobrem qui quaestor eius fuerit*.

L. Philoni) Cod. Leid. *Pisoni*.

T. Albucium) *T. Aebutium* legen-

ille Cn. Pompeius ita cum C. Iulio contendit, ut tu mecum. Quaestor enim Albucii fuerat, ut tu Verris. Iulius hoc secum auctoritatis ad accusandum afferebat, quod, ut hoc tempore nos ab Siculis, sic tum ille ab Sardis rogatus, ad causam accesserat.

XX. Semper haec causa plurimum valuit; semper haec ratio accusandi fuit honestissima, pro sociis, pro salute provinciae, pro exterarum nationum commodis inimicitias suscipere, ad periculum accedere, operam, studium, laborem interponere. Etenim si probabilis est eorum causa, qui iniurias suas persequi volunt; qua in re dolori suo, non rei publicae commodis serviunt: quanto illa causa honestior, quae non solum probabilis videri, sed etiam grata esse debet, nulla privatim accepta iniuria, sociorum atque amicorum populi romani dolore atque iniuriis commoveri? Nuper quum in P. Gabinium vir fortissimus et innocentissimus L. Piso delationem nominis postularet, et contra Q. Caecilius peteret, isque se veteres inimicitias iam diu susceptas persequi diceret: quum auctoritas et dignitas Pisonis valebat plurimum, tum illa erat causa iustissima, quod eum sibi Achaei patronum adoptarant. Etenim quum lex ipsa de pecuniis repetundis sociorum atque amicorum populi romani patrona sit: iniquum est, non eum legis iudi-

ille Cn. Pompeius) Propiora exempla et magis similia posteriora ponenda sunt. Strabonem autem dicit Pompeium, Cn. Pompeii patrem.

Cap. XX. *Etenim quum lex ipsa*) Vide firmamenta argumentorum quoties in oratione sine metu fastidii repeti solent. — *Clarissimi viri nostrae civitatis*) Hoc rursum extra contentionem, quam ante cum Caecilio habuit, de suo officio dictum esse Ursinus putabat, auctoritate veterum et librorum et lapidum. Sed cf. orat. in Pis. c. 38; Offic. II, 14.

Cn. Pompeius) Manutius glossema esse existimat.

Populi romani patrona sit) Optimam hanc lectionem Ern. ascivit e cod. Guelf. Et iam Lambin. eam in cod. antiquo invenerat. Firmatur etiam loco Or. II, 48, ubi provocatio

ciique actorem idoneum maxime putari, quem actorem causae suae socii defensoremque fortunarum suarum potissimum esse voluerunt. An, quod ad commemorandum est honestius, id ad probandum non multo videri debet aequius? Vtra igitur est splendidior, utra illustrior commemoratio? « Accusavi eum, cui quaestor fueram, quicum me sors consuetudoque maiorum, quicum me deorum hominumque iudicium coniunxerat; » an: Accusavi rogatu sociorum atque amicorum, delectus sum ab universa provincia, qui eius iura fortunasque defenderem. Dubitare quisquam potest, quin honestius sit, eorum causâ, apud quos quaestor fueris, quam eum, cuius quaestor fueris, accusare? Clarissimi viri nostrae civitatis, temporibus optimis, hoc sibi amplissimum pulcherrimumque ducebant, ab hospitibus clientibusque suis, ab exteris nationibus, quae in amicitiam populi romani ditionemque issent, iniurias propulsare, eorumque fortunas defendere. M. Catonem illum Sapientem, clarissimum virum et prudentissimum, cum multis graves inimicitias gessisse accepimus, propter Hispanorum, apud quos consul fuerat, iniurias. Nuper Cn. Domitium scimus M. Silano diem

ficio, quemadmodum coeperat, repelit, ne levis videretur, ex defensore repente accusator factus. — *M. Catonem illum sapientem*) Cato hic accusavit Ser. Galbam pro direptis Lusitanis, et P. Furium pro iisdem pro iniquissima aestimatione frumenti.

s. lex de provocatione *patrona* et vindex libertatis dicitur. Vulgo legebatur *populi romani causa parata sit.* Manutius dederat *comparata sit.*

Cui quaestor fueram) MS. Vrsini *cui quum quaestor fueram*, unde ille legendum putabat *quoias q. f.* Nauger. et Manut. *quicum quaestor fueram.*

Ditionemque) Garaton. coni. *ditionemve.*

Issent) Sic reposui pro vulg. *essent* auctore Gôrenzio ad Cic. Acadd. II, 4.

M. Silano) Vulgabatur *Decimo Silano.* Correxit Hotomannus nemine repugnante. Nam M. Iunius Silanus qui A. V. 645 cos. fuit cum Q. Cae-

dixisse propter unius hominis Egritomari, paterni amici atque hospitis, iniurias.

XXI. Neque enim magis animos hominum nocentium res unquam ulla commovit, quam haec maiorum consuetudo, longo intervallo repetita ac relata: sociorum querimoniae delatae ad hominem non inertissimum, susceptae ab eo, qui videbatur eorum fortunas fide diligentiaque sua posse defendere. Hoc timent homines; hoc laborant; hoc institui, atque adeo institutum referri ac renovari, moleste ferunt. Putant fore, uti, si paulatim haec consuetudo serpere ac prodire coeperit, per homines honestissimos virosque fortissimos, non imperitos adolescentulos, aut illiusmodi quadruplatores, leges iudiciaque administrentur. Cuius consuetudinis atque instituti patres maioresque nostros non poenitebat tum, quum P. Lentulus, is, qui princeps senatus fuit, accusabat M'. Aquillium, subscriptore C. Rutilio Rufo: aut quum P. Africanus, homo virtute, fortuna, gloria, rebus gestis amplissimus, postea quam bis consul et censor fuerat, L. Cottam in iudicium vocabat. Iure tum florebat populi romani nomen; iure auctoritas huius imperii, civitatisque maiestas gravis habebatur. Nemo mirabatur in Africano illo, quod in me nunc, homine parvis opibus ac facultatibus praedito, simulant sese mirari, quum moleste ferant. « Quid sibi 'ste vult?

Cap. XXI. *Accusavit M'. Aquillium*) Hic M'. Aquillins de pecuniis repelundis accusatus esl (a P. Lenlulo). Hic esl igilur Lentuli Surae paler in carcere strangulati propter coniuralionem (25). — *L. Cottam in iudicium vocavit*) cilio Melello in eadem re nominalur Verr. II, c. 47, et in fragm. oral. pro Coruelio ap. Asconium.

Hoc timent homines) Scil. nocentes illi, de repetuudis accusali. Lambinus ait fuisse qui voc. *homines* ex annolatione nalum putarent.

Aquillium) Quem M. Antonius defendit, diloricata lunica, ut cicatrices apparerent, Verr. VII, et lib. de Orat. XI. Hot.

accusatoremne se existimari, qui antea defendere consueverat: nunc praesertim, ea iam aetate, quum aedilitatem petat?» Ego vero aetatis non modo meae, sed multo etiam superioris, et honoris amplissimi puto esse, et accusare improbos, et miseros calamitososque defendere. Et profecto aut hoc remedium est aegrotae ac prope desperatae rei publicae, iudiciisque corruptis ac contaminatis paucorum vitio ac turpitudine, homines ad legum defensionem, iudiciorumque auctoritatem quam honestissimos et integerrimos diligentissimosque accedere; aut, si ne hoc quidem prodesse poterit, profecto nulla unquam medicina his tot incommodis reperietur. Nulla salus rei publicae maior est, quam eos, qui alterum accusant, non minus de laude, de honore, de fama sua, quam illos, qui accusantur, de capite ac fortunis suis pertimescere. Itaque semper ii diligentissime laboriosissimeque accusarunt, qui se ipsos in discrimen existimationis venire arbitrati sunt.

XXII. Quamobrem hoc statuere, iudices, debetis, Q. Caecilium, de quo nulla unquam opinio fuerit, nullaque in hoc ipso iudicio exspectatio futura sit; qui neque, ut ante collectam famam conservet, neque uti reliqui temporis spem confirmet, laborat: non nimis hanc causam severe, non nimis accurate,

Hunc P. Africanus post secundum consulatum et censuram dicitur accusasse. — *Iudiciisque corruptis et contaminatis*) *Corrupta iudicia* sunt in iis, qui acceperunt pecuniam, *contaminata* in iis, qui offensione ordinis infamantur. Asc.

Cap. XXII. *In discrimen existimationis*) Existimationis in periculum. Discrimen autem est proprie, quod separat aliquas res asse in medio posita. Anon. — *Exspectatio futura sit*) Hominum exspectatio, quomodo accusaturus sit. Id. — *Non nimis hanc rem severe*) Non severe, quia multa crimina praetermissurus est. Id. — *Non nimis accurate*) ad eloquentiam pertinet;

Iudiciisque corruptis ac contaminatis) *Corrupta* propter eos, qui acceperunt pecuniam; *contaminata* propter eos iudices, qui aliis sunt vitiis et flagitiis infames, ut illi qui de Clodio incestus reo iudicabant *maculosi senatores* ad Att. I, 13.

non nimis diligenter acturum. Habet enim nihil, quod in offensione deperdat: ut turpissime flagitiosissimeque discedat, nihil de suis veteribus ornamentis requiret. A nobis multos obsides habet populus romanus, quos ut incolumes conservare, tueri, confirmare ac recuperare possimus, omni ratione erit dimicandum. Habet honorem, quem petimus; habet spem, quam propositam nobis habemus; habet existimationem, multo sudore, labore vigiliisque collectam; ut, si in hac causa nostrum officium ac diligentiam probaverimus, haec, quae dixi, retinere per populum romanum incolumia ac salva possimus: si tantulum offensum titubatumque sit, ut ea, quae singulatim ac diu collecta sunt, uno tempore universa perdamus. Quapropter, iudices, vestrum est deligere, quem existimetis facillime posse magnitudinem causae ac iudicii sustinere fide, diligentia, consilio, auctoritate. Vos si mihi Q. Caecilium anteposueritis, ego me dignitate superatum non arbitrabor: populus romanus ne, tam honestam, tam severam diligentemque accusationem neque vobis placuisse, neque ordini vestro placere, arbitretur, providete.

id est non potest uti optima oratione. Id. — *Requiret*) Amissum sentiet. Hoc est enim *nihil requiret:* non sentiet, sibi deesse aliquid ex iis rebus, quas nunquam habuit. Asc. — *Ac recuperare*) Bene, quia obsides recuperare dixit. Anon. — *Erit dimicandum*) Pugnandum pro ipsis scilicet. Id. — *Honorem*) Aedilitatem. Id. — *Collectam*) Quae ne omnia uno tempore amittamus, maxime erit providendum. Id. — *Fide*) Vt non corrumpatur. Id. — *Diligentia*) Ne quid de necessariis in accusatione praetermittat. Id. — *Consilio*) Dispositione. Id — *Auctoritate*) Ad probandum. Nam auctoritatem magnam habere debet orator, ut possit persuasio ipsius valere. Id. — *Ego me dignitate superatum non arbitrabor*) Ero enim defensor, ut fui, et necessitatem accusationis evadam. Hoc quidem videtur plane dicere, sed latenter hoc significat, pravo de suo indicio magis iudicibus haesuram turpitudinem, quam sibi. Asc. — *Populus Romanus ne*) Tangit ipsos, ut incorrupte iudicent. Anon.

Officium ac diligentiam) Cod. Leid. *officium diligentiamque.*

Superatum non arbitrabor) Olim in edd. quibusdam legebatur *superatum arbitrabor* sine negatione; quam recte tuentur optimi libri una cum Asconio.

ORATIONES

VERRINAE

IN

C. VERREM

PRIMAE ACTIONIS

PROOEMIVM

SVMMARIVM

C. Cornelius Verres C. F. homo avarus, libidinosus, crudelis, A. V. C. 669, Cn. Papirio proconsuli in Gallia quaestor additus, aversa pecunia publica proconsulem, exercitum, provinciam deseruit. Deinde quum Cn. Dolabellae provincia Cilicia esset constituta, legationem apud eum obtinuit A. V. C. 671, qui deinde quum quaestor Malleolus mortuus esset, Verre etiam pro quaestore usus est. Tamen, quum esset repetundarum accusatus, Verres acerrimum in eum testimonium dixit, rationemque nisi eo damnato referre noluit. A. V. C. 679 L. Licinio Lucullo M. Aurelio Cotta Coss. Verres praeturam urbanam gessit, quam praeturam Cicero dicit aedium sacrarum publicorumque operum depopulationem, simul in iure dicendo bonorum possessionumque contra omnium instituta addictionem et condonationem fuisse. Post praeturam nactus est provinciam Siciliam propraetore regendam, Caioque Sacerdoti successit A. V. C. 680 eamque, quum Arrius ei non successisset, per triennium obtinuit, atque in ea vitiorum suorum plurima et maxima monumenta constituit. Tandem L. Metello succedente, quum de provincia decessisset, reus factus est repetundarum a Siculis omnibus, praeter Syracusanos et Mamertinos, qui quum in societatem furtorum venissent, noluerunt accusationi subscribere, Mamertini etiam legatos miserunt, qui Verrem laudarent. Siculi vero ad M. T. Ciceronem, qui quaesturae suae apud eos A. V. C. 678 gestae gratam iucundamque memoriam

iis reliquerat, confugerunt, ab eoque petierunt, ut fortunarum suarum causam defensionemque accusando Verre susciperet. Itaque Cicero adductus est officio, fide et misericordia, ut Siculorum nomine Verris nomen de pecuniis repetundis deferret, ab eoque HS quadringenties repeteret. Ita res in iudicium adducta est A. V. C. 683 M. Licinio Crasso et Cn. Pompeio Magno Coss. Praeerat quaestioni de repetundis M'. Acilius Glabrio, M'. fil. isque iudices iu consilio habuit M. Caesoninm, Q. Manlium, P. Sulpicium, L. Cassium, Cn. Tremellium aliosque. Favebant Verri, Metelli, Scipiones, aliique nobiles; defensionem autem Q. Hortensius mox cos. desiguatus susceperat. Iam Verres eiusque amici quum sibi a M'. Glabrionis ceterorumque iudicum severitate timerent, efficere studebant, ut causa in sequentem annum duceretur, et apud alios iudices ageretur. Cicero sibi CX dies petierat, quibus in Sicilia testimonia, tabulas literasque conquireret; Verres invenit aliquem, qui quum praetorem Achaiae repetundarum reum fecisset, sibi biduo breviorem diem h. e. CVIII dies postularet, ut si citius rediisset, prius quam Cicero causam agere posset. Ille Achaicus inquisitor ne Brundisium quidem pervenit; Cicero autem totam Siciliam L diebus sic obiit, ut omnium populorum privatorumque literas iniuriasque cognosceret. Iam vero Cicero intelligere coepit, Verrem eiusque amicos nova ratione efficere studere, ut res in annum proxime sequentem duceretur. Nonae Sextiles erant, quibus Cicero primam actionem instituit. Isti videbant decem dies esse ante ludos votivos quos Cn. Pompeius facturus esset; his ludis ablatum iri quindecim dies; deinde continuo ludos romanos consequuturos, ita prope XL interpositis tum denique se ad Ciceronis accusationem responsuros, deinde se ducturos et dicendo et excusando facile ad ludos Victoriae; cum his plebeios esse coniunctos, secundum quos aut nulli aut pauci dies ad agendum essent futuri. Ita defessa ac refrigerata accusatione sperabant rem integram ad M. Metellum praetorem Verri amicissimum esse venturam. Quod ne fieret, Cicero rem ita instituit, ut longis et continuis orationibus abstineret, ac tantum breviter singula crimina explicaret, tum ubi ea interrogando, argumentis atque oratione firmavisset, testes ad ea accommodaret. Haec igitur erat prima actio, cuius quasi prooemium s. principium est brevis oratio quae sequitur.

In quo primum ostendit, ad invidiam ordinis senatorii, penes quem tum iudicia erant, infamiamque iudiciorum sedandam ma-

xime pertinere, ne reus omnium iam opinione damnatus absolvatur; c. 1. Verrem enim omnem spem salutis in spe vel eludendi vel corrumpendi iudicii ponere, c. 2, 3, etsi vita eius tot vitiis flagitiisque convicta sit, ut nemo eum aliqua ex parte defendere possit; c. 4, 5. Tum narrantur, quae Verres machinatus sit atque etiam nunc moliatur, ut huius praetoris horumque iudicum severitatem effugiat, et ut res ita ducatur, ut anno proximo apud M. Metellum praetorem sibi faventem caussa dicatur; c. 6–10. Cui rationi satis astutae ut occurrat, Hortensio denuntiat se consilium cepisse necessarium, ut perpetuam orationem in alia tempora reservet, uno autem Verrem tabulis, testibus, privatis publicisque literis auctoritatibusque accuset. Hortensii rationem esse, ut secundum binos ludos sibi respondere incipiat, suam, ut reum ante primos ludos comperendinet, h. e. eum in diem perendinum adesse iubeat, ad caussam iterum dicendam; cap. 11. Omnino autem sibi propositum esse, anno proximo, quo aedilis futurus erat, iis hominibus resistere, quorum improbitate et audacia senatorius ordo prematur et urgeatur infamia iudiciorum; c. 12, 13. Tantum abesse ut in hoc ipso iudicio aliquid committi patiatur, quod malam hominum existimationem de senatorum iudiciis, praesertim ubi de pecuniis repetundis agatur, confirmare possit; c. 14. Postremo iudices ad severitatem excitat, in primis praetorem M'. Acilium Glabrionem rogat, ut in hoc iudicio caussam severitatis, integritatis, fidei, religionis, caussam denique senatus suscipiat, c. 15-17; iterumque denuntiat se prima actione hoc acturum, ut omissa perpetua oratione, breviter explicatis criminibus, singula statim interrogando, argumentis atque oratione firmet, ad eaque testes accommodet; cap. 18.

I.

Quod erat optandum maxime, iudices, et quod unum ad invidiam vestri ordinis, infamiamque iudi-

ASCONII PEDIANI, ET ANONYMI VETVSTI NOTAE

CAP. I. *Quod erat optandum maxime*) Attentum facit auditorem et benivolum, dicendo, oblatam esse rem, quae possit invidiam ordinis purgare. An-

Quod erat optandum maxime iudices) Primum M'. Acilium Glabrionem praetorem, cui forte quaestio de pecuniis repetundis obvenerat: tum

ciorum sedandam, maxime pertinebat; id non humano consilio, sed prope divinitus datum atque oblatum vobis summo rei publicae tempore videtur. Inveteravit enim iam opinio perniciosa rei publicae, nobisque periculosa, quae non modo Romae, sed et apud exteras nationes, omnium sermone percrebruit, his iudiciis, quae nunc sint, pecuniosum hominem, quamvis sit nocens, neminem posse damnari. Nunc,

gusto enim mense causa est coepta. Condemnat Verrem ante accusationem, dicendo, hoc solum ad infamiam iudiciorum pertinere sedandam, si Verres esset damnatus. Actionem quidam ideo dictam hanc orationem arbitrantur, quia haec tantummodo dicta est in iudicio. Ceterae vero orationes postea scriptae sunt. Ad ordinem senatorium maxime pertinebat, ut idoneis hominibus accusantibus nocentes rei convicti damnarentur. ANON. — *Divinitus damnatum*) Sive quod gratum sit, quod numina concesserunt, sive quia tam grande est, ut tantum a numinibus possit concedi. *Datur* quod petitur; *offertur*, quod ultro praestatur. ID. — *Summo rei publicae tempore*) *Summo* nunc *periculoso*; ut Virg. Aen. II, 324: *Venit summa dies et ineluctabile tempus*. Periculosum autem ideo, quia Aurelius Cotta legem tolerat, ut equites cum senatoribus iudicarent, assistente Quintio tribuno plebis vel Palicano. ID. — *Nobisque periculosa*) Senatoribus si iudicia transferantur. Nam quum contenditur de transferendis iudiciis, seditio fit, orta vero seditione res publica dispendiis periculisque plurimis afficiatur necesse est. ID. — *Percrebruit his iudiciis — pecuniosum hominem*) Ostendit ipsum ante iudicium pol-

Senatores, qui ei in consilio affuerunt, uti ex iudicum decuria sortitione obvenerant, ab accusatore et reo, ut mos erat, reiecti. Affuerunt designati M. Metellus praetor, M. Caesonius aedilis cum Tullio, Q. Manlius, Q. Cornificius, P. Sulpicius tribunus plebis, M. Creperius, L. Cassius, Cn. Tremellius, tribuni militares, P. Servilius Isauricus, vir clarissimus, maximis rebus gestis, Q. Catulus, is qui Capitolium dedicavit, C. Marcellus qui proconsul in Sicilia fuerat, L. Octavius Balbus, homo iuris et officii peritissimus, Q. Titinius. Acta est in foro, ad aedem Castoris. Agi autem coepit Nonis sextilibus, duravitque ad XIX Kalend. septembr. HOTOMAN.

Vestri ordinis) Marg. ed. Lambin. *nostri ordinis*.

Summo rei publicae tempore) Est, maxime necessario, in quo status reipublicae in discrimen veniebat, seu a quo salus reipublicae pendebat. Sic *summa existimatio* est res, in qua vertitur tota alicuius existimatio. Vide Gronov. ad Livii lib. XXVI, cap. 10. GRAEV.

Nobisque) Sic cod. Franc. 1 ed. Lamb. Graev. Beck. Plerique habent *vobisque*.

in ipso discrimine ordinis iudiciorumque vestrorum, quum sint parati, qui concionibus et legibus hanc invidiam senatus inflammare conentur, reus in iudicium adductus est C. Verres, homo vita atque factis omnium iam opinione damnatus, pecuniae magnitudine, sua spe ac praedicatione, absolutus. Huic ego causae, iudices, cum summa voluntate et exspectatione populi romani actor accessi, non ut augerem invidiam ordinis, sed ut infamiae communi succurrerem. Adduxi enim hominem, in quo reconciliare existimationem iudiciorum amissam, redire in gratiam cum populo romano, satisfacere exteris nationibus possetis; depeculatorem aerarii, vexatorem

licitum se posse absolvi. Id. — *Quum sint parati*) Palicanus enim tres ordines iudicare debere dicebat, senatores, aquites romauos, et tribuuos aerarios. Id. — *Vita atque factis — damnatus*) Quomodo ante gesta obiieiuntur? Interdum ante acta vita praeseus crimen defendit. Id. — *Qui concionibus et lege, vita atque factis*) Alii Quintium tribunum plebis significari dicunt, qui Oppianicum defenderat reum veneficii, Cluentio accusante, et damnato Oppianico. Rumor enim factus est, quod corruptis iudiciis damnatus esset Oppianicus; quam damnationem Quintius apud populum frequenter nominare solebat. Id. — *Qui concionibus et legibus*) *Concionibus* Quintium dieit tribunum plebis, qui veneficii reum Oppianicum Cluentio accusatore defendens, vietus erat illo damuato. *Legibus* autem L. Aurelium Cottam Praetorem significat, qui legem promulgarat, de restituendis iudieiis equestri ordini. Asc. — *Sua spe ac praedicatione*) Bene addit *sua spe*, quia iniuriam iudieibus faciebat, si nocentissimum hominem in pecunia spem habere dixisset. Anon. — *Praedicatione*) Commemoratione vel rumore amicorum suorum. Id. — *Augerem invidiam ordinis*) Dicendo, quod senatoria iudieia corrumpuntur. Id. — *Adduxi enim hominem*) Benivolos facit iudiees. Et haec cum superioribus iunguntur, ubi dixit: *inveteravit enim iam opinio*. Id. — *Reconciliare*) Reducere ad amieitiam pristinam. Id. — *Depeculatorem aerarii*) Publicae pecuniae, quam furatus est, quum quaestor esset Carbonis C. Verres, qui Marianus fuit. Dum erat consul in Hispania (1), quaestor fuit, et sublata pecunia publica suum consulem deseruit, et ad Sullanas transiit partes. Victoria Sulla

Ordinis) Quum ordo vester adductus esset in discrimen, manerent ne penes eum iudicia, an alio transferrentur. Ipse Verr. VII: *At quo tempore futurum est? Nempe eo, quum populus romanus aliud genus hominum, atque alium ordinem ad res iudicandas requirit*. Hotoman.

Asiae atque Pamphyliae, praedonem iuris urbani, labem atque perniciem provinciae Siciliae. De quo si vos severe religioseque iudicaveritis: auctoritas ea, quae in vobis remanere debet, haerebit; sin istius ingentes divitiae iudiciorum religionem veritatemque perfregerint: ego hoc tamen assequar, ut iudicium potius rei publicae, quam aut reus iudicibus, aut accusator reo defuisse videatur.

II. Equidem, ut de me confitear, iudices, quum multae mihi a C. Verre insidiae terra marique factae sint, quas partim mea diligentia devitarim, partim

potitus pecuniam surreptam non requisivit. Vide autem quemadmodum per ordinem anteactae vitae crimina describit. In hoc autem loco omnium Verrinarum facit partitionem. ID. — *Depeculatorem aerarii*) Sub Carbone consule, quum quaestor esset. Peculator autem, qui furtum facit pecuniae publicae. ASC. — *Vexatorem Asiae*) Post quaesturam enim legatus est factus Dolabellae, et hanc multis affecit incommodis. ANON. — *Vexatorem Asiae atque Pamphyliae*) Sub Dolabella, quum legatus ei et pro quaestore esset, mortuo Malleolo. ASC. — *Praedonem iuris urbani*) In praetura urbana, quam Siciliensis sequuta est, de qua nunc accusatur. ID. — *Praedonem iuris urbani*) In praetura urbana, in qua ius vendidit, sarta tecta exegit. ANON. — *Perniciem p. S.*) Provinciae, non unius civitatis, et vide quemadmodum in quatuor partes totam accusationem divisit. ID. — *De quo si severe religioseque*) *Severe* hic ad vindictam pertinet. Sed quid si innocens sit reus? loco religionem addidit. Verum est enim omne, quod est religioni permixtum. *Religiose* nimirum vere, ne crimina digna supplicio leviore iudicetis, sed cum timore religionis, quoniam iurati iudicabant. ID. — *Iudiciorum religionem veritatemque*) Non dixit *iudicum*, sed *iudiciorum*, ut et admoneret simul, et offensionem vitare videretur. ID. — *Veritatemque perfregerint*) Bene. Magnitudo enim solet frangere id quod obstat. Quia ergo *ingentes divitias* dixit, intulit *perfregerint*. ID. — *Aut accusator reo defuisse*) Vult ostendere Verrem corruptionem iudicum cogitantem. ID.

CAP. II. *Quum multae mihi a C. Verre terra marique*) Alias significat insidias, quae vitae eius factae sint, alias quae integritati et existimationi. Nam *uno tempore mihi* vult intelligi etiam praemia sibi praevaricationis ostentavisse Verrem: sed *terra marique* insidias factas suae vitae significat. ASC. — *Quum multae mihi — insidiae — factae sint*) Eunti in Siciliam propter cri-

Veritatemque) *Severitatemque*, Ms. Iannoct. Idem coniecerant Manut. et Lamb.

Iudicibus) Codd. Pall. duo et edd. vett. *iudiciis*.

amicorum studio officioque repulerim: nunquam tamen neque tantum periculum mihi adire visus sum, neque tantopere pertimui, ut nunc in ipso iudicio. Neque tantum me exspectatio accusationis meae, concursusque tantae multitudinis, quibus ego rebus vehementissime perturbor, commovet, quantum istius insidiae nefariae, quas uno tempore mihi, vobis, M'. Glabrioni praetori, sociis, exteris nationibus, ordini, nomini denique senatorio facere conatur: qui ita dictitat, iis esse metuendum, qui, quod ipsis solis satis esset, surripuissent: se tantum rapuisse, ut id multis satis esse possit: nihil esse tam sanctum, quod non violari, nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia possit. Quod si, quam audax est ad conandum, tam esset obscurus in agendo: fortasse aliqua in re nos aliquando fefellisset. Verum hoc adhuc

mina requirenda, reo redemti. ANON. — *Tantum periculum mihi adire visus sum*) Ne corrupto iudicio ego invidiam subeam. ID. — *Glabrioni praetori*) Qui praeerat in iudicio aliquo, quaesituri. ID. — *Sociis*) Id est, Siculis. ID. — *Ordini, nomini denique senatorio*) Ordini insidiatur, ne dignitas indicandi ordinem sequatur (detectis in corpore iudicationibus) (2); nomini, ne senatorium nomen honori sit, sed potius ignominiae. *Senatorio* enim bis subauditor, et senatorio ordini et nomini senatorio. ASC. — *Sed tantum eripuisse* (3). *Subripit*, qui clam aliquid tollit; *eripit*, qui palam et per dies. In aliis ergo *subripuisse* dixit; de Verre *eripuisse*. ANON. — *Nihil esse tam sanctum*) Ad iudices retulit, quoniam iurati iudicabant, *sanctum*. *Munitum* ad leges, quae poenam habent pro commissu. Virg. Aen. III, 56: *quid non mortalia pectora cogis*. ID. — *Quod si quam audax est*) Hoc dixit, ne obiiceretor illi: unde scis hoc Verrem cogitare? ID. — *Audax*) promptus. ID. — *Ad conandum*) ad faciendum. ID. — *In agendo*) In cogitando de corruptione iudicum. ID. — *Fortassa*) Dicendo *fortasse*, laudat latenter diligentiam suam. ID. — *Aliquando fefellisset*) Quasi sapiens obscure egit. ID. —

Mihi, vobis) *Vobis*, quod abest in Pall. duobus, Franc. 1 edd. plerisque, legitur in codd. Pariss. restitutum a Lall. Ern. Beck.

Nihil tam munitum) Alludit ad Philippi dictum: *Nullum esse oppidum tam munitum, quod expugnari non possit, modo asellus auro onustus posset in illud ascendere*. Sic enim hic noster ad Atticum scribens testatur. HOTOMAN.

percommode cadit, quod cum incredibili eius audacia singularis stultitia coniuncta est. Nam ut apertus in corripiendis pecuniis fuit, sic in spe corrumpendi iudicii perspicua sua consilia conatusque omnibus fecit. Semel, ait, se in vita pertimuisse, tum quum primum reus a me factus sit; quod quum e provincia recens esset, invidiaque et infamia non recenti, sed vetere ac diuturna flagraret, tum ad iudicium corrumpendum tempus alienum offenderet. Itaque quum ego diem in Sicilia inquirendi perexiguam postula-

Commode cavit) Optime cavit. ID. — *Audacia singularis stultitiae coniuncta est*) Ostendit ipsum nihil posse latenter agere, quasi sapientem, sed omnia audacia, quod proprium est stulti. ID. — *Nam ut apertius in corripiendis*) Quo enim modo aperte rapuit pecunias; simili modo et corruptionem iudicum, quam sperabat efficere, palam omnibus fecit stultitia sua. ID. — *Sua consilia conatusque*) Quibus vult corrumpere iudices. ID. — *Semel ait in vita se pertimuisse*) Omnis enim novitas habet timorem. ID. — *Semel ait se in vita pertimuisse*) Contumaciam Verris praecipitem. Nam *semel* est vicinum ad *paene nunquam*. Ex eodem sensu est, quod semel in vita risisse Crassum scribit Lucilius. Vnde Virgilius mihi videtur dixisse, Aen. VIII, 222: *Tum primum nostri Cacum videre timentem*. Asc. — *Tum quum a me reus factus sit*) Quid est reum fieri, nisi apud Praetorem legibus interrogari? Quum enim in ius ventum esset, dicebat accusator apud Praetorem reo: Ain te Siculos spoliasse: si tacuisset, lis ei aestimabatur, ut victo; si negasset petebatur a magistrato dies inquirendorum eius criminum, et instituebatur accusatio. ID. — *Quum primum reus a me factus sit*) Quando venit de provincia. ANON. — *E provinciis recessisset*) Solet enim odium minuere absentia. Sed hic similiter odio laborabat etiam post absentiam; ideo fortiter timebat. ID. — *Diuturna flagraret*) Dicebat enim semper se flagrare invidia pristina. ID. — *Ad iudicium corrumpendum*) Quia iudices eo tempore de Iuniano consilio damnati fuerant; quod exemplum dicens, valde iudices perterrebat. ID. — *Tempus alienum offenderet*) Quia non poterat corrumpere propter angustias temporis. ID. — *Itaque quum ego diem requirendi*) Bene tempus dicitur dies. Quia secundum Philosophos dies non finitur, quum sol reversione (4) nobis non videtur, sed apud antipodas lucet. ID. — *Diem*) dies feminino genere tempus; et idem diminutive diecula dicitur breve tempus et mora. Dies horarum XII generis masculini est, unde *hodie* dicimus, quasi hoc die. Petiit autem Tullius C et X dies; Rupilius sive Oppius

In Sicilia) Vulgo *in Siciliam*; sed Ernestius e cod. Gu. edidit, *in Sicilia*, quia additur *inquirendi*.

vissem, invenit iste, qui sibi in Achaiam biduo breviorem diem postularet: non ut is idem conficeret diligentia et industria sua, quod ego meo labore et vigiliis consequutus sum. Etenim ille Achaicus inquisitor ne Brundisium quidem pervenit; ego Siciliam totam quinquaginta diebus sic obii, ut omnium populorum privatorumque literas iniuriasque cognoscerem: ut perspicuum cuivis esse posset, hominem ab isto quaesitum esse, non qui reum suum adduceret, sed qui meum tempus obsideret.

III. Nunc homo audacissimus atque amentissimus hoc cogitat. Intelligit, me ita paratum atque instructum in iudicium venire, ut non modo in auribus vestris, sed in oculis omnium sua furta atque flagitia defixurus sim. Videt, senatores multos esse testes audaciae suae; videt multos equites romanos, fre-

suppositus a Verre C et VIII petiit. Asc. — *Invenit iste, qui sibi in Achaiam*) Alii hunc Rupilium, alii Oppium putant. Sunt qui Rupilium dicunt accusatorem, Oppium reum. Alii Quintum Metellum Nepotem accusatorem, Curionem reum. Moris autem fuerat, ut agendi dies priori prior ordinaretur. Itaque si omni tempore postulato usus esset ad inquisitionem Tullius, futurum erat, ut prior locus ad agendum daretur ei, qui biduo breviorem diem postulaverat. Cuius accusationis interposita de industria mora, eam Verres ad alios consules distulisset. Id. — *Breviorem diem postularet*) Suppositus accusator. Anon. — *Etenim ille Achaicus*) Quidam Dasianum, alii Pisonem dicunt. Id. — *Diebus quinquaginta obii*) Ne propter festinationem negligenter egisse videretur, hoc ideo addit. Praetor Achaicus Opimius dictus est. Id. — *Privatorumque*) In quibus crimina Verris fuere conscripta. Id. — *Tempus obsideret*) Occuparet vel observaret. Id.

Non ut is idem) Sic Lambinus; *idem* Ern. invenit in Ms. Gu. Vulgo *non ut idem*.

Cuivis esse posset) *Possit* ed. Ven. Naug. Lambin. Manut.

Non qui reum suum adduceret) *Adduci* intelligo non ex Achaia; nam cum Romae reum fecerat: sed in iudicium, ut paulo supra, *Adductus est in iudicium C. Verres*. Hotom.

Meum tempus obsideret) Id est, obsisteret, atque impediret, ne ego ante ad agendam causam possem accedere, quam illi centum et octo dies, ab ipso in Achaiam postulati, omnes praeteriissent. Manut.

quentes praeterea cives atque socios, quibus ipse insignes iniurias fecerit. Videt etiam tot tam graves ab amicissimis civitatibus legationes cum publicis auctoritatibus ac testimoniis convenisse. Quae quum ita sint, usque eo de omnibus bonis male existimat; usque eo senatoria iudicia perdita profligataque esse arbitratur, ut hoc palam dictitet, non sine causa se cupidum pecuniae fuisse, quoniam tantum in pecunia praesidium experiatur esse: sese (id quod difficillimum fuerit) tempus ipsum emisse iudicii sui, quo cetera facilius emere posset; ut, quoniam criminum vim subterfugere nullo modo poterat, procellam temporis devitaret. Quod si non modo in causa, verum in aliquo honesto praesidio, aut alicuius eloquentia, aut

Cap. III. *Quibus ipse insignes*) *Insignis* medium est; perfectam enim vel malam rem, vel bonam significat. Anon. — *Tot tam graves*) Ad numerum *tot*, ad qualitatem *tam*. Id. — *Cum publicis auctoritatibus*) Publicis literis. Asc. — *Auctoritatibus*) Quia missi sunt a civitatibus. Anon. — *Haec quum ita sint*) Quum videt multos testes esse contra se paratos. Id. — *De omnibus bonis*) Qui oderunt ipsum, quorum vita integra est. Id. — *Senatoria iudicia perdita*) Ita ut nulla sint. *Profligata* autem violata, addicta. Id. — *Perdita profligataque*) Prius voluit esse *profligata* quam *perdita*. Est enim *perditum*, quod inveniri non potest, *profligatum*, quod potest. Asc. — *Tempus emisse*) Id est dilationem temporis impetrasse. Iudicium autem *suum* debemus intelligere *sibi aptum*; et e contrario ait, *alienum tempus offenderat*. Id. — *Tempus ipsum emisse*) Ne posset ante Kal. Ian. accusari submisso accusatore. Anon. — *Iudicii sui*) Certe enim per illum Achaicum inquisitorem tempus emit iudicii sui. Id. — *Emere postea posset*) Consulibus iam creatis Hortensio et Metello. Id. — *Criminum vim subterfugere*) In quo accusabatur a me. Id. — *Procellam*) impetum. Id. — *Temporis*) Ante Kal. Ianuarias. *Procellam* autem dixit tempus, et non periculosum. Id. — *Quod si non modo in causa*) Hic omnia enumerat et pecuniam tacet, propter iudicum offensionem. Nam si nihil de his est, de quibus enumerat, in quo confidit? In pecunia sperat, id est, si vel causae merito confisus esset, vel eloquentiae patronorum, id est, si profiteretur quidem se crimina commisisse, speraret autem vel per defensionem patronorum, vel per suae vitae pristinae merita posse se liberare. Id. — *Quod si non modo in causa*) Per innocentiam. Asc. — *Honesto praesidio*) Per compensationem criminum auctoritate dicentis. Id. — *Aut in alicuius elo-*

Tam graves) Particulam *tam* habent codd. Gu. et Pariss. eamque asciverunt Lamb. Graev. Lall. Beck. In plerisque aliis omittitur.

gratia, spem aliquam collocasset: profecto non haec omnia colligeret atque aucuparetur: non usque eo despiceret contemneretque ordinem senatorium, ut arbitratu eius deligeretur ex senatu, qui reus fieret; qui, dum hic, quae opus essent, compararet, causam interea ante eum diceret. Quibus ego rebus quid iste speret, et quo animum intendat, facile perspicio. Quamobrem vero se confidat aliquid perficere posse, hoc praetore, et hoc consilio, intelligere non possum. Vnum illud intelligo, quod populus Rom. in reiectione iudicum iudicavit, ea spe istum fuisse

quentia) Accrbe in Hurtensium, quem corruptione indicum non cloquentia sua dicit esse confisum. In. — *Gratia*) Amicorum plurimorum, quibus defeusoribus uteretur. Id. — *Haec omnia colligeret, atque aucuparetur*) Ex Verris persona plerosque (5) iudices dicit essc corruptos; nc ipse in eorum offensionem incurrat. Anon. — *Aucuparetur*) captaret. Id. — *Non usque eo despiceret*) *Despicimus* inferiores, *contemnimus* aequales, aut *despicimus* vultu, *contemnimus* animo. In. — *Vt arbitratu eius deligeretur*) Oppium significat expraetorem (6) Achaiae. Cuius accusatorem subditum esse dixit a Verre. Bene autem ad invidiam eum Cicero perducit senatorum, dicendo clectum esse cx Senatu, qui reus ficret. In. — *Deligeretur ex senatu, qui reus fieret*) Oppius vel Curio. Asc. — *Quibus ego rebus*) Qua comperendinatione. Anon. — *Et quo animum intendat*) Id est ad iudieum corruptionem; qua spe illectus verum putavit se possc declinare. Id. — *Facile perspicio*) Qui sperabat corrumpere iudices. Id. — *Quamobrem vero se confidat*) Hic iam recuperatio corum, quae supra in iudices dicta sunt. *Proficere* autem, id est, cvitare perieulum. In. — *Hoc praetore Glabrione et hoc consilio intelligere non possum*) Quia hi indices integre indicaturi sunt, non possum intelligere quare putarit se posse corrumpere talem praetorem ct tales indices. In. — *Hoc praetore*) Glabrione scilicet. Asc. Hinc patet, *Glabriune* esse glossema. Retineri tamen voluit Gruterus, quod hic, inquit, haberet nesciu quam cmphasim. Faec. — *Hoc consilio*) Lectissimorum ex omni numcro senatus iudicum. Asc. — *Quod populus Rom. in reiectione iudicum iudicavit*) Ex iis, quos tenuit, intellectum est, eos indices babere velle, quos corrumpi posse confideret. Id. — *In reiectione iudicum*) i. c. quo

Hoc praetore) Vulgo ante *praeture* legitur *Glabrione* sine dubio e glossemate natum. Asconius et cod. unus Paris. id omittunt.

Populus Rom.) Sic edidit Ernestius cnm Graevio pro *Praetor*, quod natum est e compendio *P. R.* quod est in cudd. Pariss. ct Gu. Primus explanate *praetor* dedit Aldus. Veritatem lectionis *Populus Romanus* confirmat Asconii nota ad cap. 6.

praeditum, ut omnem rationem salutis in pecunia poneret; hoc erepto praesidio, ut nullam sibi rem adiumento fore arbitraretur.

IV. Etenim quod est ingenium tantum, quae tanta facultas dicendi et copia, quae istius vitam, tot vitiis flagitiisque convictam, iam pridem omnium voluntate iudicioque damnatam, aliqua ex parte possit defendere? Cuius ut adolescentiae maculas ignominiasque praeteream; quaestura, primus gradus honoris, quidnam habet aliud in se, nisi Cn. Carbonem spoliatum a quaestore suo pecunia publica? nudatum, inquam, a quaestore et quaestura proditum consulem? desertum exercitum? relictam provinciam? sortis necessitudinem religionemque violatam? cuius legatio exitium fuit Asiae totius et Pamphyliae:

tempore ego iudices reiiciebam; nam tunc Praetor intellexit, omuem spem esse Verris in corruptione indicum. In reiectione autem prior accusator reiiciebal; et hine defensor vel reus. ANON. — *Salutis in pecunia*) Cicero non facit iniuriam iudicibus, qui populi dicil opinionem. ID. — *Hoc erepto praesidio*) A me, qui malos reieci. ID.

CAP. IV. *Tonta facultas*) *Facultas* ad celerilatem, *copio* ad longitudinem orationis. ID. — *Cuius ut adolescentiae*) Καταδρομὴ violentissima. ID. — *Praetereamque*) Carbonis. ID. — *Nisi Cn. Corbonem*) Carbo, Marianae partis dux, denique consul, deserlus Arimini esl a quaeslore suo Verre, spoliatus pecunia publica, quam quaestor in exercilu de aerario sumpserat, quum ad Sullam ille trausiret prodilor partium Marianarum. ASC. — *Pecunia publica nudatum*) Nam spoliato aerario confugit ad Sullam. Qui spoliatur, quodcumque babel (7), qui nudatur, nihil retinet. ANON. — *Relictam provinciam*) Galliam. ID. — *Sortis necessitudinem*) Quia filii loco esse debet quaeslor consuli vel praetori. Vide αὔξησιν per omnia. ID. — *Cuius legatio exitium fuit Asiae*) Post quaesturam legatio; Dolabellae enim fuit legatus, imperatoris Ciliciae. ID. — *Cuius legatio*) Legatus per has provincias Dolabellae proconsulis fuit, et pro quaestore, Malleolo mortuo; eiusdemque in

Convictom) Ed. Ven. coniunctam. Lambin. coni. *coinquinatam* s. *inquinatam*, Gruter. *commistam*. Vnice tamen verum *convictam*.

Quaesturo — proditum consulem?) Recepi lectionem h. l. ap. Diomedem (p. 463 ed. Putsch.) Vulgo edebatur: *quaestura; primus gradus honoris, quid olind habet in se, nisi Cn. Corbonem spoliotum a quaestore suo pecunia publica? Nudotum et proditum consulem? etc.* Graevio placebat iulerpunctio, quam velus anonymus iulerpres sequulus videtur: *spo-*

quibus in provinciis urbes multas, domos plurimas, omnia fana depeculatus est, quum in Cn. Dolabellam scelus suum illud pristinum renovavit et instauravit quaestorium; quum eum, cui legatus et pro quaestore fuisset, et in invidiam suis maleficiis adduxit, et in ipsis periculis non solum deseruit, sed etiam oppugnavit ac prodidit; cuius praetura urbana aedium sacrarum fuit publicorumque operum depeculatio; simul in iure dicundo, bonorum possessionumque, contra omnium instituta, addictio et condonatio.

iodicio, quum accusaretur, proditor foit. Asc. — *In provinciis multas domus*) Quas traoscundo ad Ciliciam vastavit. αὔξησις a privatis (8) ad sacra nnam provitam ante houores adipiscendus (9). Anon. — *Fana depeculatus est*) Sigoa enim de templis abstulit. Id. — *Suum scelus illud pristinum*) Non quia et Cn. Dolabellam deseruit, sicuti Carbooem, sed quia et hunc laesit, contra eum testimonium dicendo. Id. — *Pro quaestore fuisset*) Nam Dolabella, mortuo quaestore suo Malleolo, fecit Verrem etiam vicem quaestoria agere. Id. — *In invidiam suis maleficiis adduxit*) Propter sua scelera, inquit, tum fecit iovidiosom reum. Asc. — *Non sulum deseruit, sed etiam oppugnavit*) Scaurus accusator Dolabellae omoia peccata Verris, quaecumque commiserat in legatiooe, coacta in unom libellum ipsi obtulit Verri, dicens: quod si vis his tot criminibus liberari, confitere mihi omnia facinora Dolabellae. Hioc Verres conscientia stimulatus omnia consilia Dolabellae patefecit, et delicta, et testimonium etiam in eum dicere est ausus. Anon. — *Sed etiam oppugnavit ac perdidit*) Vt similitudinem Carboniani criminis faceret, metaphora usus est proelii. Testimonium enim dixit contra (10) ipsum. Id. — *Oppugnavit et prodidit*) Prius *prodere*, quam *oppugnare*; propterea quod *oppugnare* inimici et hostis officiom est; *prodere* gravius, quum ad eos, qui amici esse debent, referatur hoc verbom. Asc. — *Cuius praetura urbana aedium sacrarum*) Quemadmodum hic dicit, sic divisa sunt crimina huius praeturae urbauae, scilicet iuris dicuodi, sartorumque tectorum. Id. — *Aedium sacrarum*) Sigoificat templom Castoris propter sarta tecta. Anon. — *In iure dicendo*) Id est iudicando. Id. — *Contra omnium instituta addictio*)

liatum a quaestore suo? Nudatum et proditum consulem? Ernestius malebat: *spoliatum a quaestore suo pecunia publica et nudatum; proditum consulem.*

Vrbes multas, domos plurimas) Recte sic ordinanda esse verba censuit Lambious, quae vulgo hoc ordioe procedebaot, *multas domos, plurimas urbes.*

Depeculatus) Nonnulli libri teste Lambioo hic et iofra *depopulatus.*

Operum depeculatio) Sic Lambin. Vulg. *depopulatio.*

V. Iam vero omnium vitiorum suorum plurima et maxima constituit monumenta et indicia in provincia Sicilia; quam iste per triennium ita vexavit ac perdidit, ut ea restitui in antiquum statum nullo modo possit, vix autem per multos annos, innocentesque praetores aliqua ex parte recreari aliquando posse videatur. Hoc praetore Siculi neque suas leges, neque nostra senatus consulta, neque communia iura tenuerunt. Tantum quisque habet in Sicilia, quantum hominis avarissimi et libidinosissimi aut imprudentiam subterfugit, aut satietati superfuit. Nulla res per triennium, nisi ad nutum istius, iudicata est: nulla res tam patria cuiusquam atque avita fuit, quae non ab eo, imperio istius, abiudicaretur. Innumerabiles pecuniae ex aratorum bonis novo nefarioque instituto coactae; socii

Addictio interdum potest iure fieri; ideoque ut iniquitatem ostenderet addidit *et condonatio*. Προσχύρωσις est verbi addictio (11). Id. — *Contra omnium instituta*) Qui praetores urbani ante se fuerunt. Sunt autem instituta praetorum in decretis interponendis, diiudicandisque causis. Asc.

Cap. V. *Iam vero omnium vitiorum suorum*) Αὔξησις, id est, tanta fecit in Sicilia, ut pristina crimina eius ante oculos omnium verterentur. Anon. — *Monumenta et indicia*) Omnia monumenta dicuntur, quae faciunt alicuius rei recordationem, ut Virgilius Aen. V, 538: *ferre sui dederat monumentum et pignus amoris*. Id. — *Ita vexavit ac perdidit*) Nimirum *vexavit*, ingentis calamitatis usum significat. Nam et ipse supra sic ait: *Populatae, vexatae, funditus eversae provinciae.* Virgilius Ecl. VI, 75: *Candida succinctam latrantibus inguina monstris Dulichias vexasse rates.* Asc. — *Praetores aliqua ex parte creari*) Ὑπερβολικῶς. Nec partem dixit posse recreari; tantum laesit huius improbitas, ut vix per istos aliqua ex parte possit sanari. Anon. — *Suas leges*) Regis Hieronis. Omne enim ius aut commune (12) est, aut quod proprium est civitatis; aut civium romanorum, quod a populo romano suscipit provincia (13). Praeterea iura gentium sunt. Id. — *Neque communia iura*) Populi romani. Nam hic inter decem legatos missus est, qui ex senatus consulto iura Siculis constitueret. Id. — *Hominis avarissimi et libidinosissimi*) Libidinosus omnia perscrutatur, avarus nunquam satietate vincitur. Quum ergo haec vitia habuerit Verres, constat esse Siculos spoliatos. Id. — *Aut satietati superfuit*) Ergo nihil habent, quia avaritia nunquam satietate vincitur. Id. — *Nulla res tam patria*) Tunc enim maxime dolemus, quando maioribus traditam possessionem amiserimus. Id. — *Ex aratorum bonis*) Aratores frumenti decimam dare populo romano solent. Hos non una atque altera, sed tribus amplius decimis per

fidelissimi in hostium numero existimati; cives romani servilem in modum cruciati et necati; homines nocentissimi propter pecunias iudicio liberati, honestissimi atque integerrimi, absentes rei facti, indicta causa damnati et eiecti; portus munitissimi, maximae tutissimaeque urbes piratis praedonibusque patefactae; nautae militesque Siculorum, socii nostri atque amici, fame necati; classes optimae atque opportunissimae cum magna ignominia populi romani amissae et perditae. Idem iste praetor monumenta antiquissima partim regum locupletissimorum, quae illi ornamento urbibus esse voluerunt, partim etiam nostrorum imperatorum, quae victores civitatibus siculis aut dederunt aut reddiderunt, spoliavit nudavitque omnia. Neque

mancipes a se subornatos, id est, publicanos, qui decumani vocantur, Verres exhausit. Asc. — *Innumerabiles pecuniae*) Quae in Frumentaria dixit. Anon. — *Instituto*) invento. Id. — *Socii fidelissimi in hostium numero existimati*) Hic locus crimina continet exposita in ea oratione, quae inscribitur de suppliciis. Asc. — *Cives romani*) De Suppliciis. Anon. — *Absentes rei facti*) Vt Sthenius, et Heraclius. Asc. — *Indicta causa damnati et eiecti*) Prohibiti in suam venire civitatem. Anon. — *Maximae tutissimaeque urbes*) Syracusanam significat. Nam minus naves instructas Verres contra piratas misit; ideoque piratae victores naves usque ad portum persequuti sunt Syracusanum, ibique classem populi romani incenderunt. Id. — *Optimae atque opportunissimae*) *Optimae* bene fabricatae, aut bene armatae aut aedificatae. Et hoc ad ignaviam pertinet periisse classem P. R. *Opportunissimae* in necessariis locis constitutas (14). Id. — *Ignominia P. R.*) i. e. quia et fugientem incenderunt classem P. R. piratae, quum mediocre esset malum si vel resistentem. Id. — *Idem iste praetor*) De signis. Id. — *Monumenta*) Statuas et imagines. Id. — *Antiquissima regum locupletissimorum*) Hieronem, Agathoclem, Dionysium, Phalarim significat. Id. — *Partim regum locupletissimorum*) Agathoclis, aut Hieronis Siciliae regum. Asc. — *Nostrorum imperatorum*) Scipionis et Marcelli; dedit Marcellus; reddidit ex Africa Scipio. Id. — *Victores civitatibus Siculis aut dederunt, aut reddiderunt*) Marcellus subacta Syracusana civitate nihil abstulit. Scipio reddidit Africanus, quia quae Afri rapuerunt de Sicilia, post victoriam reportavit. Anon. — *Aut dederunt*) Id est donaverunt, quae nunquam debuerant. Id. —

Ornamento) Franc. 1 *ornamenta*. *Spoliavit, nudavitque*) Ms. Pal. *connudavitque* —; *nudavit* recte sic explicatur ab Ernestio, quod Verres

hoc solum in statuis ornamentisque publicis fecit, sed etiam delubra omnia, sanctissimis religionibus consecrata, depeculatus est; deum denique nullum Siculis, qui ei paulo magis affabre atque antiquo artificio factus videretur, reliquit. In stupris vero et flagitiis nefarias eius libidines commemorare, pudore deterreor, simul illorum calamitatem commemorando augere nolo, quibus liberos coniugesque suas integras ab istius petulantia conservare non licitum est. At enim haec ita commissa sunt ab isto, ut non cognita sint ab omnibus. Hominem esse arbitror neminem, qui nomen istius audierit, quin facta quoque eius nefaria commemorare possit; ut mihi magis timendum sit, ne multa crimina praetermittere, quam ne qua in istum fingere existimer. Neque enim mihi videtur haec multitudo, quae ad audiendum convenit, cognoscere ex me causam voluisse, sed ea, quae scit, mecum recognoscere.

VI. Quae quum ita sint, iste homo amens ac perditus alia mecum ratione pugnat. Non id agit, ut alicuius eloquentiam mihi opponat, non gratia, non auctoritate cuiusquam, non potentia nititur. Simulat his se rebus confidere; sed video, quid agat (neque enim agit occultissime); proponit inania mihi nobilitatis, hoc est, hominum arrogantium nomina;

Affabre) eleganter. Id. — *In stupris vero et flagitiis*) De Cleomenis uxore dicit. Asc. — *Liberos*) pro filiabus. Anon. — *Petulantia*) temeritate. Id. — *Mecum recognosce*) Cognoscimus nova, recognoscimus vetera. Id.

Cap. VI. *Iste homo amens ac perditus*) Perditus qui periit totus; amens qui occultare nescit. Id. — *Alia mecum ratione pugnat*) Temporis comperendinatione ad corrumpendum iudicium. Id. — *Proponit inania mihi nobilitatis*) Vt Curionis, et Metellorum trium, Hortensii et Scipionis. Hi enim Verri palam suffragabantur. Asc. — *Arrogantium nomina*) Horten-

in aliis bases nudas reliquerit, aliis detraxerit quae manu gestabant, ut statuae Cereris, simulacrum Victoriae IV, 49.

qui non tam me impediunt, quod nobiles sunt, quam adiuvant, quod noti sunt. Simulat se eorum praesidio confidere, quum interea aliud quiddam iam diu machinetur. Quam spem nunc habeat in manibus, et quid moliatur, breviter iam, iudices, exponam. Sed prius, ut ab initio res ab eo constituta sit, quaeso, cognoscite. Vt primum e provincia rediit, redemptio est huius iudicii facta grandi pecunia. Ea mansit in conditione atque pacto usque ad eum finem, dum iudices reiecti sunt. Posteaquam reiectio iudicum facta

sium, Scipionem, Sisennam significat, Verris dafensores. Anon. — *Nobiles sunt*) Nobiles semper ad bonam paene partem pertinent. Notus autem maxime inclinat ad malum, quemadmodum in Caeciliana: *mulier non solum nobilis sed etiam nota.* Id. — *Quam adiuvant, quod noti sunt*) Ac per hoc invidia laborabunt, si quid ausi fuerint contra ius facere. Id. — *Noti sunt*) Id est ab omnibus observantur. Id. — *Aliud quiddam diu machinetur*) dilationem accusationis, et corruptionem iudicii. Asc. — *Iam diu machinetur*) Id est corrumpere iudices. Anon. — *Redemptio est huius iudicii facta*) Id est, data est quibusdam pecunia qui se corrupturos esse iudices promittebant. Id. — *Redemptio est huius iudicii facta*) Sic quidam accipiat, quasi hoc dicat Cicero: corrupti sunt isti iudices. Non hoc dicit, sed ait artifices quosdam corrumpendorum iudicum pactos esse cum Verre, et redemisse semel omnem procurationem iudicii corrumpendi suo periculo absolutionisque praestandae. Asc. — *Ea mansit in conditione atque pacto*) Hic est sensus: de pacto, inquit, et promissione corrumpendorum iudicum non est recessum. Sed postquam reiecti sunt iudices, displicuit totum negotium redemptoribus, et resilierunt a conditione ac pacto. Id. — *Ea mansit in conditione*) Vt si non corruperimus aut eaudem pecuniam aut ampliorem recipias. Anon. — *Iudices reiecti sunt*) In quibus spes erat indicii corrum-

Aliud quiddam iam diu) Ascon. *aliud quiddam diu*; Ernestius maluit *aliud quid iam diu.*

Vt primum e provincia rediit) Graev. e cod. Franc. 1: *primum ut e provincia rediit.*

Redemptio est huius iudicii facta) Translatum a redemptionibus operis faciendi. Nam qui certo pretio opus aliquod faciendum suo periculo conduxit, *redemptor* dicitur: et qui locat, *venditor*. Opus vero ipsum, *redemptoris bona*. Et contumeliose ducta similitudo ab operariis et fabris, qui vulgo suas operas locant, quasi hi quoque artem corrumpendorum iudiciorum vulgo, mercede proposita, exercerent. Hotom.

Ea mansit) Sic Ascon. et Schol. anonymus. In multis cdd. abest *ea.*

Vsque ad eum finem) suspectum fuit Grutero.

est: quod et in sortitione istius spem fortuna populi romani, et in reiiciendis iudicibus mea diligentia istorum impudentiam vicerat, renuntiata est tota conditio. Praeclare se res habebat. Libelli nominum vestrorum consiliique huius in manibus erant omnium.

pendi. In. — * * * postea dicit sortitionem factam, quia prius reiiciuntur iudices, sic sortiuntur. Accusatores ante sortiuntur et sic eliguntur. In. — *Quod et in sortitione istius spem*) Nam iudices semper sortiebantur et sortitione facta non omnes iudicabant, sed electio fiebat, et eiiciebantur ab utraque parte usque ad certum numerum imparem. Hoc ergo dixit: quod ut ex sorte veri iudices venirent, fortuna fecit populi romani. In reiectione vero, ut severi non reiicerentur, mea industria. Per decurias erat senatus divisus; unam decuriam PR. dabat, ut ex hac iudices reiicerentur. Ergo fortuna quidem populi romani fecit, ut ea decuria daretur a PR., quae paucos habuit malos; mea autem diligentia fecit, ut meliores eligerentur. In. — *Spem populi romani fortuna perfregerat*) In sortem mittebant, qui praesentibus iudicibus accusarent. Curtius exierat, amicus Verris. Cicero illum de sorte reiecit, vel quia illa decuria exierat, in qua non erant corrupti nisi pauci. In. — *Meo diligentia*) Quia malos tenebant. In. — *Renuntiata est tota conductio*) Redemptio corruptelae, id est, equestres pecunias reddiderunt. In. — *Renuntiata*) Repudiata, vel negata. In. — *Renuntiota est tota conditio*) Renuntiatio dicitur recusatio eius rei, quae in pactum et promissionem venerat. Asc. — *Conductio*) Redemptio. Anon. — *Praeclare se res*) Bene, commode. In. — *Libelli nominum vestrorum*) Nomina iudicum in albo publice sustinebantur, qui in eo essent iudicio futuri iudices. Ex eo albo, quibus erat curae de integritate iudicii nomina transscribebant, et apud se tenebant, ut possent nosse, quid aequo negotio iudicarent. Dicit itaque huius consilii iudicum nomina in omnium manibus retenta bene scientibus approbata ne possint aliqua ratione mutari. In. — *Libelli nominum vestrorum*) Moris erat celebrata iudicum reiectione, et haberi in officio (15) Praetoris et in arca reponi nomina iudicum selectorum. Reiectio autem idcirco dicitur, quia, quum multi iudices in consilio cum Praetore suo iudicaturi essent, qui quaesitor fuisset in publica causa, verbi gratia repetundarum, ambitus, maiestatis, necesse fuerat eos primum de decuria senatoria conscribi, quum senatus iudicaret, deinde in urnam sortito mitti, ut de pluribus necessarius numerus confici posset; tertio id est post urnam, per-

Fortuna populi Romoni) Hotom. Lamb. *fortuna rei publicae.* Sed *fortuna populi Romoni*, quae formula fere in hac re sollemnis est, legitur in plerisque codd. Post *Romani* Schol. Anon. in codice suo legit *perfregerat.*

Conditio) In plerisque codd. Mss. legitur *conductio.* At Ascon. habet *conditio*, quod Camerar. aliique receperunt et probavit Gronov. de Pec. vet. et Ernestius. Sane hic eodem verbo opus esse videtur, quo ante usus erat in verbis *ea mansit in conditione.*

Nulla nota, nullus color, nullae sordes videbantur his sententiis allini posse: quum iste repente ex alacri atque laeto sic erat humilis atque demissus, ut non modo populo romano, sed etiam sibi ipsi condemnatus videretur.

VII. Ecce autem, his diebus paucis, comitjis con-

mitli accusatori ac reo, ut ex illo numero reiiciant, quos putaverint sibi aut iniquos, aut ex aliqua re incommodos fore. Solet autem ex moribus ac fama iudicum illorum, quos aut reiiciebaot, aut retinebent, voluntatis cooiectoram facere popolus, qui causae suae confidere, qui corrumpere iudices vellet. Reiectione celebrata, in eorum locum, qui reiecti fuerant, subsortiebatur Praetor slios, quibus ille iodicum legitimus numerus complerstur. Prima enim sortitio dicebatur. His perfectis iurabaut in leges indices, ut obstricti religiooe iudicarent. Quum iurassent omnes praeter ipsum Praetorem, nomina eorum in libellis, ut sopra diximus, continebantur et ubique habebaotur (16), ne pro selectis iudicibus, ut fit in multitudine, aliqui suppositi corruptissima iudicarent, itaque ad Praetoris tribunal considerent, ut iudicatori cum Praetore suo. — *Nulla nota, nullus color, nullae sordes*) Etsi baec Cicero quia contra Hortensium prosunt, saepissime repetat, tamen in qua causa, et a quo, et quomodo haec facta sint, meminimus in divinatiooe narrasse. Illud factum tamen aniomadvertendum, quod allini sordes non tabulis, sed sententiis, figurate dixit. Asc. — *Nulla nota*) Id est varia cera. Fecit autem corrupti indicii meotionem ab Hortensio, quod supra memoravit. Anon. — *Nullus color, nullae sordes*) Figuram fecit in Horteosiom de Varronis iudicio consobrini eius, quod discoloribus ceris iudicium corrupit. In. — *Allini posse*) Induci, inhaerere, conglutinari. Mos erat iudicom nomina libellis scribi, et dari per singulas tribus, ut scirent iudicaturos. Hoc autem ad iotegritatem iudicum fieri solebat, qoi metu populi corrumpi minime audebant. Id. — *Ex alacri atque laeto*) Laetus, auimo; alacer, motu corporis. Qoi ambulaodo manus iactat alarum in modum, ille proprie alacer dicitur. Id. — *Ex alacri atque laeto*) Alacris, siva alacer (utrumque enim dicimus) dicitur is, qui iotentus est sensibus universis, quod est indicium erecti animi atque sublimis. Nam e contrario lacer dicitur ampotatis a corpore sensuum membris, hoc est auribus ocolisve, quae significatio ad animum saepe transfertor. Vt enim plerumque afflicto animo sensibus non utimor erectis, sic alacer dicitur is, cui omnes sensus in loco quisque suo vegeti sunt, et iotenti. Laeti vero, qui cultu iudicant adesse animum sincerum (17) seosibus suis; qua re cognita illud quoque intelligitur, aliud esse alacrem, aliud laetum. Sunt qui *alacrem* festinantem et properum dici putaot, quasi *aliis aciem*. Asc. — *Repente ex alacri*) Alacer tam fortis, quam velox, ut ille: Virg. XII, 337: *equos alacres media inter proelia Turnus*. Anon. — *Atque humilis animo*) Quia reddita ei pecunia fuerat. Id. —

Ecce autem) Vulgo *Ecce autem repente*. Gulielmio glossema visum est repente. Attamen etiam Verr. V, 34 occurrit *ecce autem repente*, et in Orat.

sularibus factis, eadem illa vetera consilia pecunia maiore repetuntur, eaedemque vestrae famae fortunisque omnium insidiae per eosdem homines comparantur. Quae res primo, iudices, pertenui nobis argumento indicioque patefacta est: post aperto suspicionis introitu ad omnia intima istorum consilia sine ullo errore pervenimus. Nam ut Hortensius consul designatus, domum reducebatur e campo, cum maxima frequentia ac multitudine: fit obviam casu ei multitudini C. Curio; quem ego hominem, honoris potius quam contumeliae causa, nominatum volo.

CAP. VII. *Ecce autem*) Post reiectionem iudicum et consulum comitia, quando consules declarabantur. Et bene *consularibus*, quia sunt et praetoria comitia. ID. — *Ecce autem*) Proprium hoc Ciceronis est in rebus improvisis. Quod cum cura Virgilius et legit et transtulit ut Aen. II, 203: *Ecce autem gemini a Tenedo*. ASC. — *Comitiis consularibus*) Sunt etiam aedilitia, et praetoria, et tribunitia comitia. ID. — *Eadem illa vetera consilia*) Corrumpendi iudicii. ID. — *Pecunia maiore repetuntur*) Ideo maiore, quia antea populum corruperat, ut consul Hortensius declararetur. ID. — *Pecunia maiore*) Bene, *maiore*, quoniam certus erat de iudiciis corrumpendis; et primo parvam pecuniam dedit, quoniam incertum exitum sortis acceperat per eosdem corruptores. ID. — *Insidiae per eosdem homines*) Caecilium et Hortensium significat. ID. — *Per eosdem*) Per supra dictos redemptores, conductoresque facinoris istius. ASC. — *Quae res primo iudices*) Corruptionis apparatio. ANON. — *Vt namque Hortensius*) Hic vult ostendere, unde post desperationem corrumpendi iudicii spem ceperit Verres; nam dicit Hortensio consule designato Curionem quendam gaudentem dixisse Verri, eum absolutionem sperare debere, quod patronus eius consul est factus. ID. — *C. Curio quem ego*) Quaeri solet, cur hoc de Hortensio, cur de aliis non dicat, quia nemo solebat precari veniam apud veteres de eorum compellatione nuda, quos negotium tangeret. Curionem autem patrem dicit. ASC. — *Quem ego hominem honoris*) Dicturus eum dixisse rem turpem, honoris causa illum se dicit nominare; ut et amicitiae illius. Et in hoc illum laedit, quum se dicit parcere et quum propter amicitiam quae dici

pro Caecina c. 30 *subito ecce* componuntur. Quia tamen paulo ante positum est *repente*, et multis locis simpliciter *ecce* ponitur in re inopinata, illud h. l. delendum putavi.

Domum reducebatur) *Deducebatur* coni. Ern.

Ac multitudine) *A multitudine* codd. Pall. ed. Vict. Grut.

Etenim ea dicam, quae ille, si commemorari noluisset, non tanto in conventu, tam aperte palamque dixisset. Quae tamen a me pedetentim cauteque dicentur; ut et amicitiae nostrae, et dignitatis illius habita ratio esse intelligatur. Videt ad ipsum fornicem Fabianum in turba Verrem. Appellat hominem, et ei voce maxima gratulatur victoriam. Ipsi Hortensio, qui consul erat factus, propinquis necessariisque eius, qui tum aderant, verbum nullum facit: cum hoc consistit, hunc amplexatur, hunc iubet sine cura esse. « Renuntio, inquit, tibi, te hodiernis comitiis esse absolutum ». Quod quum tam multi homines honestissimi audissent, statim ad me defertur; immo vero, ut quis-

non debeant. Anon. — *Quae ille si commemorare noluisset*) Ostendit eum stultum fuisse, qui ea, quae celauda erant, palam dixit. Id. — *Tam aperte palamque dixisset*) *Aperte* ad verba pertinet non obscura; *palam* ad praesentium multitudinem et qualitatem frequentis loci. Asc. — *A me pedetentim*) Summatim, paulatim. *Pedentim* autem proprie dicimus quando per loca lubrica incedentes tentamus utrum sit firmus incessus suspauso pede. Anon. — *Illius habita ratio*) Ne videar quasi inimicus. Id. — *Vidit ad ipsum fornicem Fabianum*) Sacram ingredientibus viam post templum Castoris, in quo eius familiae nomen inscriptum est: *Fabi tu maximus ille es* Arcus latinum non est. — *Ad ipsum fornicem Fabianum*) Fornix Fabianus, arcus est iuxta Regiam in Sacra via, a Fabio censore constructus, qui a devictis Allobrogibus Allobrox cognominatus est, ibique statua eius posita propterea est. Asc. — *Propinquis necessariisque*) Atqui si Hortensio amicus erat, ei magis quam Verri gratulari debuerat, qui summum honorem fuerat consequutus. Sed forte non poterat, quia turba erat circa ipsum. Quid? quod nec necessariis eius gratulatus est, quod est consuetudinis, ut vel per alios nostrum votum nuntiemus? Ostendit ergo nihil ob hoc nisi de Verris absolutione cogitari, qui et amicos in felicitate positos condemnabat (18) Id. — *Verbum nullum facit*) Tanta est amicitia praelatus, ut perdat officium. Id. — *Quod quum tam multi homines*) Dixi signum verum. Signa possunt derivari ad alteram partem suam. Hoc signum conatur auferre; et argumento dat rumorem populi scilicet, quod quum tam multi audissent, aliis ridiculum videretur. Id. — *Quod quum tam multi*) Et si quis quaerat auctorem, a multis auditum dicit (19), quod in utrumque prodest. Et populus non ponitur testis; et firmius est, quod a pluribus causatur auditum. Ra-

Victoriam) Abest MS. Cuiac. Gu.

que me viderat, narrabat. Aliis illud indignum, aliis ridiculum videbatur; ridiculum iis, qui istius causam in testium fide, in criminum ratione, in iudicum potestate, non in comitiis consularibus positam arbitrabantur; indignum his, qui altius perspiciebant, et hanc gratulationem ad iudicium corrumpendum spectare arbitrabantur. Etenim sic ratiocinabantur, sic honestissimi homines inter se mecum loquebantur: « Aperte iam ac perspicue nulla esse iudicia. Qui reus pridie iam ipse se condemnatum putabat, is, posteaquam defensor eius consul est factus, absolvitur ». — Quid igitur? quod tota Sicilia, quod omnes Siculi, omnes negotiatores, omnes publicae privataeque literae Romae sunt, nihilne id valebit? — « Nihil, invito consule designato ». — Quid? iudices non crimina, non testes, non existimationem populi romani sequentur? — « Non. Omnia in unius potestate ac moderatione vertentur ». Vere loquar, iudices. Vehementer me haec

tiocinari prudentium est. Id. — *Ridiculum*) Quod dixit Curio. Id. — *Altius perspiciebant*) Interius, acutius, melius. Id. — *Etenim sic ratiocinabantur*) qui intelligebant illam vocem ad corruptionem pertinere. Id. — *Loquebantur aperte*) *Apertum* est, quod non latet. *Perspicuum*, quod omnibus notum est. Id. — *Aperte iam ac perspicue nulla*) Non ex sua persona hoc dicit Tullius, nam esset offensum. Anon. — *Nulla esse iudicia*) Iam quasi tractantium allocutionem inducit. Id. — *Pridie iam ipse se condemnatum putabat*) Vna die dicit, quod ab absolutione reo patronus * * * Id. — *Quid igitur*) Obiectio. Id. — *Quod tota Sicilia, omnes negotiatores*) Ἐπεξήγησις, ut quidquid subiectum est, intelligatur eius esse, quod dixit tota Sicilia. Asc. — *Quid iudices*) Iterum interrogatio. Anon. — *Non crimina, non testes*) Quia populus romanus vult damnari nocentes. Id. — *Non*) Responsio. Id. — *In unius potestate*) Hortensii scilicet. Asc. — *Iste quidem ubi eri-*

Indignum his) Sic MS. Guelf. Vulgo *iis*.

Arbitrabantur) Pro *arbitrabantur* Lambin. coni. legendum *videbant*. Sed quia sic existit clausula hexametri, aptius esset *intelligebant*. Certe bis in clausula duorum membrorum positum *arbitrabantur*, non est Ciceronianum.

Quid? iudices) Vulgo interpungitur *Quid iudices?* Melius autem distinguitur ab Oxx. *Quid? iudices*, probante Beckio.

res commovebat. Optimus enim quisque ita loquebatur: «Iste quidem tibi eripietur; sed nos non tenebimus iudicia diutius. Etenim quis poterit, Verre absoluto, de transferendis iudiciis recusare?» Erat omnibus molestum: neque eos tam istius hominis perditi subita laetitia, quam hominis amplissimi nova gratulatio commovebat. Cupiebam dissimulare me id moleste ferre; cupiebam animi dolorem vultu tegere, et taciturnitate celare.

VIII. Ecce autem illis ipsis diebus, quum praetores designati sortirentur, et M. Metello obtigisset, ut is de pecuniis repetundis quaereret: nuntiatur mihi, tantam isti gratulationem esse factam, ut is quoque domum mitteret, qui uxori suae nuntiarent. Sane

pietur) Verba optimorum virorum, qui mecum loquebantur. Anon. — *Sed nos*) Id est senatores. Id. — *Non tenebimus iudicia*) Finxit senatores dicere, non tenebimus iudicia, mollius scilicet, quam si populares fingeret dicentes: auferemus a senatu iudicia. Asc. — *De transferendis*) ad equites. Anon. — *Neque eos tam istius hominis*) Non commovebat spes Verris senatores, quia sperabat absolvi, sed gratulatio Curionis. Id. — *Istius perditi laetitia*) Verris. Asc. — *Hominis amplissimi gratulatio*) C. Curionis. Id. — *Non gratulatio commovebat*) Bene addidit *nova*, quod consuli designato Hortensio coepit gratulari. Anon. — *Moleste ferre*) Gratulationem Curionis. Id. — *Cupiebam animi dolorem vultu tegere*) Quod in mediocri metu fieri potest; nam in maiore dixit: *nam etiam toto corpore perhorresco.* Id. — *Tegere*) celare. Id.

Cap. VIII. *His diebus paucis* (20) *quum Praetores designati sortirentur*) Accusatio coepta est Nonis augusti (21), et comitia consularia fuerunt VI. Kal. Augusti. Nec multo post sortitio praetorum fuit, celebratis eorundem comitiis. Asc. — *Quum praetores designati sortirentur*) Ex sorte enim accipiebant provincias. Anon. — Et *M. Metello obtigisset, ut is de pecuniis repetundis*) Metelli tres fuerunt fratres, unus qui prae * * * Id. — *Et M. Metello obtigisset, ut is de pecuniis repetundis*) Sorte obveniebat unicuique Praetori.

Hominis perditi) *Hominis* ante *perditi* omiserunt Hotom. Manut. Naug. probante Gulielmio. Recte vero Ern. servandum illud esse statuit, quia opponitur *hominis amplissimi.* Et Agroetius (p. 2272 Grammatt. Putsch.) habet *hominis perditi:* at paulo post *huius hominis amplissimi.*

Domum mitteret) Vulgo *pueros domum mitteret*, abest autem *pueros* codd. Holoman. Manul. Iaunocl. Ita-

ne haec quidem res mihi placebat; neque tamen, quid tantopere in hac sorte metuendum mihi esset, intelligebam. Vnum illud ex hominibus certis, ex quibus omnia comperi, reperiebam: fiscos complures cum pecunia Siciliensi a quodam senatore ad equitem romanum esse translatos; ex his quasi X fiscos ad senatorem illum relictos esse, comitiorum meorum nomine; divisores omnium tribuum noctu ad istum vocatos. Ex quibus quidam, qui se omnia mea causa debere arbitrabatur, eadem illa nocte ad me venit:

Hic ergu M. Metellus amicus Verris successurus Glabrioni fuerat. Asc. — *Fiscos complures*) Sportae, sportulae, sportellae nummorum sunt receptacula; et sacci, ssculi, sacceili, et crumenae, et vellereae, et scorteae, et manticae, et marsupia, ita fisci, fiscinae, fiscellae, spartea sunt uteusilia ad maioris summae pecuniss capiendas. Vnde quia maiur summs est pecuniae puhlicae, quam privatae, ut pro censu privato loculus et arcam et saccellos dicimus, sic pro publico thesauro aerarii dicitur fiscus. Id. — *A quodam senatore ad equitem Rom.*) Horum nomina quidam inepte quaerunt, quasi certum sit, quod dicitur, et non de industria fingatur a Tulliu ad invidiam adversariorum et sui defensionem, quia cogitur nuvo modo causam agere, horis brevioribus, quam mos est accusatoribus; itaque suspicantur senatorem alii Crassum, alii Hortensium. Id. — *Equitem Romanum*) Alii neminem proferunt, alii Publicium quendam temporibusillis in dividenda pecunia populo famosissimum. Pecunia Siciliensis est ex Siciliae praedationibus capta. Id. — *Comitiorum meorum nomine*) Vt egu aedilitate deiicerer, quam petebam. Pust cunsularia enim et praeturia comitia aedilitia sequebantur. *Cumitiorum* autem *meorum nomine* addidit, ut ostenderet excepta hac pecunia totam ad corruptiunem iudicii destinatam esse. Id. — *Divisores omnium tribuum*) Vtrum legitimos habent omnes tribus divisores suos, quos Plautus magistros curiarum in Aulularia, Act. I, sc. 1, v. 29, vocat his verbis: *Nam noster, nostrae qui est magister curiae, Dividere argenti nummos dixit in viros*; an *divisores* criminis numen est? sed si hoc esset, non sibi unum ex iis carum esse dixisset (22). Id. — *Qui se omnia mea causa debere arbitrabatur*) Locutiu pro plena habetur, sed si quaeras, quod integrum est, deest *facere*, ut sit *omnia* que post Hotom. et Manut. Ernestius illud delevit.

Translatus) *Delatus* MS. Vrsin. *relatos* cod. Iaunoct.

Cumitiorum meorum) Addidit Ern. ex Asconio et MS. Gu. ut ante P. Manutius et Graevius fecerant. Significantur comitia aedilitia.

Mea causa debere) Olim in multis edd. erat *mea causa facere debere*. Recte tamen auctore Ascuniu Manutius umisit verbum *facere*, idque imitati sunt Graev. Ern. alii.

demonstrat, qua iste oratione usus esset: commemorasse istum, quam liberaliter eos tractasset etiam antea, quum ipse praeturam petisset, et proximis consularibus praetoriisque comitiis: deinde continuo esse pollicitum quantam vellent pecuniam, si me aedilitate deiecissent. Hic alios negasse se audere; alios respondisse, non putare id perfici posse; inventum tamen esse fortem amicum, ex eadem familia Q. Verrem, Romilia, ex optima divisorum disciplina, patris istius discipulum atque amicum, qui, HS quingentis millibus depositis, id se perfecturum polliceretur; et fuisse tamen nonnullos, qui se una facturos esse dicerent. Quae quum ita essent, sane benivolo animo me, ut magnopere caverem, praemonebat.

IX. Sollicitabar rebus maximis uno atque eo perexiguo tempore; urgebant comitia: et in his ipsis oppugnabar grandi pecunia. Instabat iudicium; ei quo-

facere; et bene omnia protulit, ut haec proditio secreto actae rei propter amicitiam videatur esse suscepta. Id. — *Quum ipse praeturam petisset*) Ostendit Verrem non gratis factum fuisse praetorem urbanum, et alterum Metellum, scilicet praetorem, pecunia Verris similiter meruisse Praeturam (23). Id. — *C. Verrem Romilia*) C. Verrem nomen est proprium, *Romilia* nomen est tribus, ablativi casus, ut sit ex Romilia. Tribus enim urbanae rusticaeque omnes XXXV numerantur; ex quibus aliquam necesse est, cuiusque ordinis fuerit civis Romanus, obtineat. Moris autem fuit, ut quum aliquis civis romanus ostendendus esset, significaretur aut a praenomine suo, aut a nomine, aut a cognomine, aut a cognatione, aut a tribu in qua censeretur, aut a curia, aut a censu, ut si erat senator, equesve Romanus. Sic alibi ait *L. Claudium Palatina*. Id. — *Ex optima*) Ironia est. Id. — *Patris istius discipulum*) Tanquam divisorum magistri. Id. — *Istius*) Verris scilicet. Id.

Cap. IX. *Vrgebant comitia*) Hae sunt res maximae. Id. — *Vrgebant comi-*

Quantam vellent pecuniam) Manut. Victor. alii, *quantum vellent pecuniae*.

Negasse se audere) Ita Lambin. Alii omittunt pronomen *se*.

Et fuisse tamen nonnullos) Lambinus edidit *tandem* e coniectura Hotomanni.

In his ipsis) Vulgo *his ipsis* omissa praepositione, quam adduut cod. Gu. Lambin. Ern.

que negotio fisci sicilienses minabantur. Agere, quae ad iudicium pertinebant, libere, comitiorum metu deterrebar; petitioni toto animo servire, propter iudicium, non licebat. Minari denique divisoribus ratio non erat, propterea quod eos intelligere videbam, me hoc iudicio districtum atque obligatum futurum. Atque hoc ipso tempore Siculis denuntiatum esse audio, primum ab Hortensio, domum ad illum ut venirent; Siculos in eo sane liberos, quum, quamobrem arcesserentur, intelligerent, non venisse. Interea comitia nostra, quorum iste se, ut ceterorum hoc anno comitiorum dominum esse arbitrabatur, haberi coepta sunt. Cursare iste, homo potens, cum filio blando et gratioso, circum tribus; paternos amicos, hoc est divisores, appellare omnes et convenire. Quod quum esset intellectum et animadversum: fecit animo liben-

tia; instabat iudicium; fisci — minabantur) Exquisite dictum. Id. — *Agere quod ad iudicium pertinebat libere*) Vel occupatione in petendo honore; vel quia accusatio libertatem et minas exigat; petitio blandimenta et preces. Id. — *Minari denique divisoribus ratio non erat*) Cur enim minarer, inquit, corruptoribus vel divisoribus, quos accusatione Verris impeditus accusare non possem, id ipsumque illi callidi homines intelligerent? Id. — *Districtum atque obligatum*) *Districtus* potest et sine vinculis in diversum manu ducentium ferri; *obligatus* etiam nodis vinculorum in loco intelligitur (24). Plus est ergo obligatum esse, quam districtum. Id. — *Qui quamobrem arcesserentur*) Bene interposuit haec ad causam non veniendi. Nam sine hoc ad designatum consulem Siculos non venisse, contumaciae videatur. Sane et hic et in primo capite Verrinarum animadvertitur inconsequens locutio, similisque soloecismi, si quidem *non venisse* legeris; nam si *non venissent* legeris, error non erit. Id. — *Ceterorum hoc anno*) Criminose ut supra diximus, in Hortensium Metellosque. Id. — *Cum filio blando et gratioso*) Feminis ac maxime meretricibus blanditiae conveniunt; gratia vero quae potest in adolescentibus esse sine infamia? Gratiam enim amicorum copiam modo dicit. Id. — *Appellare*) Quasi familiares. Id. — *Et convenire*) Quasi de promissorum debito. Id. — *Intellectum et animadversum*) Intelligitur aliquid argumentis,

Siculos — non venisse) Ita hunc locum constitui, qui vulgo sic legitur: *Siculos sane in eo liberos fuisse, qui quamobrem arcesserunt, quum intelligerent, non venisse.* Gronovius obss. l. XII, ita scribi voluit: *Sicu-*

tissimo populus romanus, ut cuius divitiae me de fide deducere non potuissent, ne eiusdem pecuniae de honore deiicerent. Posteaquam illa petitionis magna cura liberatus sum, animo coepi multo magis vacuo ac soluto, nihil aliud, nisi de iudicio, agere et cogitare. Reperio, iudices, haec ab istis consilia inita et constituta, ut, quacumque opus esset ratione, res ita duceretur, ut apud M. Metellum praetorem causa diceretur. In eo esse haec commoda: primum M. Metellum, amicissimum; deinde Hortensium consulem non solum, sed etiam Q. Metellum; qui quam isti sit amicus, attendite. Dedit enim praerogativam

animadvertitur sensibus praesenti animo utentibus; plerumque enim animadvertimus rem aliquam oculis, aut quovis sensu corporis sine animi intentione; ergo plus est animadversum quam intellectum; an ab aliis intellectum, ab aliis animadversum intelligi possit? quod si est, rursus plus erit quam intelligere animadvertere. Id. — *Vt cuius divitiae me*) Magna emphasi divitias dixit, et significat breviter etiam si praemia praevaricationis oblata sed frustra. Id. — *Vt apud M. Metellum causa diceretur*) Prima confessio Verris. Innocens iudicium non fugit. Anon. — *M. Metellum*) Hic Metellus est, qui praesente Sulla et audiente de proscriptorum ardore, et labe temporum dixit, et ideo stultus putabatur. De huius familia omnes consules facti sunt. Hic a Kal. Ianuariis de pecuniis repetundis fuerat quaesiturus. Id. — *Sed etiam Q. Metellum*) Subaudi consulem (25). Et ne error sit in nominibus, tenere vos oportet, tres Metellos esse, unum consulem cum Hortensio, alterum in urbe quaesitorem de pecuniis repetundis, tertium Siciliae praetorem. Asc. — *Dedit enim praerogativam suae voluntatis eiusmodi*) Dilogia dicitur figura, quum ambiguum dictum duas res significat. Nam praerogativa, praeter iustum integrumque beneficium, aut dictum aut factum aliquid significat liberalius ab eo, qui nobis benefacturus est; et rursus *praerogativae* sunt tribus, quae primae suffragium ferunt ante *iure vocatas*. Mos enim fuerat, quo facilius in comitiis concordia populi firmaretur, bina omnino de iisdem candidatis comitia fieri; quorum tribus primae *praerogativae* dicebantur, quod primo rogarentur, quos vellent consules fieri: secundae *iure vocatae* quod in his, sequente populo, et saepe contigit, praerogativarum voluntatem, iure omnia complerentur (26). Hoc igitur dicit Cicero, Metellum vocando ad se

los in ea re sane liberos fuisse, quamobrem arcesserentur quum intelligerent, non venisse.

De honore deiicerent) Sic e Franc. 1 edd. pr. ediderunt Graev. Ern. Alii *pecunias de honore deiicerer*; cod. Guelf. *pecunia d. h. deiicerer.*

suae voluntatis eiusmodi, ut isti pro praerogativis eam reddidisse videatur. An me taciturum tantis de rebus existimavistis? et, in tanto rei publicae existimationisque meae periculo, cuiquam consulturum potius, quam officio et dignitati meae? Arcessit alter consul designatus Siculos; veniunt nonnulli, propterea quod L. Metellus esset praetor in Sicilia. Cum iis ita loquitur: se consulem esse; fratrem suum alterum Siciliam provinciam obtinere, alterum esse quaesiturum de pecuniis repetundis; Verri ne noceri possit, multis rationibus esse provisum.

X. Quid est, quaeso, Metelle, iudicium corrumpere, si hoc non est? testes, praesertim Siculos, timidos homines et afflictos, non solum auctoritate deterrere, sed etiam consulari metu, et duorum praetorum potestate? Quid faceres pro homine innocente et propinquo, quum propter hominem perditissimum

Siculos et eos minis deterrendo ab accusatione Verris prope omne beneficium corruptarum a se tribuum Verris pecunia persolvisse. Vult enim illum Verris pecunia consulem factum intelligi. Id. — *Dedit enim praerogativam*) Ne quaereretur a Tullio, unde hoc sciret, ideo hoc dicit: *dedit enim praerogativam.* Duo genera sunt populi, *praerogativum* primum, deinde iure vocatum. Prima pars praerogativi generis quidquid sensisset, iure vocata firmabat. Ergo si quis honores petere voluisset, praerogativam classem corrumpebat. Dicitur praerogativa et signum voluntatis futurae. Ergo hic sensus est: quemadmodum quando Metellus honores petivit, Verris praerogativam corrupit, sic modo Metellus absolutionem Verri pro illo vult reddere beneficio. Et hoc quasi secretum prodit Cicero. Anon. — *An me taciturum*) Est hic epitherapeusis, ubi non emendatio dicti atrocissimi, sed confirmatio ponitur recte dixisse, causa subiecta cum quadam acrimonia. Asc. — *Arcessit alter consul Siculos*) Haec est praerogativa, quam Metellus consul pro praerogativis reddidit; nam huius rei fuerat dilata narratio. Id. — *Arcessit alter consul*) Siculi minae sequuti sunt consulis, non voluntatem vocantis. Anon. — *Provisum*) Quomodo si comitiorum sors atque fortuna est? Sed vult totum pecunia Siciliensi, hoc est corruptis a Verre tribubus, esse confectum. Asc. —

Cap. X. *Quid est quaeso, Metelle*) Invectio ad Metellum consulem designatum. Dicit hoc esse iudicium corrumpere si accusatores ob intentione revocaris. Anon. — *Timidos homines et afflictos*) Duplicavit timorem, quum dixit causam timoris. Id. — *Duorum praetorum potestate*) Potestatem ma-

atque alienissimum, de officio ac dignitate decedis; et committis, ut quod ille dictitat, alicui, qui te ignorat, verum esse videatur? Nam hoc Verrem dicere aiebant, te non fato, ut ceteros ex vestra familia, sed opera sua, consulem factum. Duo igitur consules et quaesitor erunt ex illius voluntate. « Non solum effugiemus, inquit, hominem in quaerendo nimium diligentem, nimium servientem populi existimationi, M'. Glabrionem: accedet nobis etiam illud. Iudex est M. Caesonius, collega nostri accusatoris, homo in rebus iudicandis spectatus et cognitus; quem minime expediat esse in eo consilio, quod conemur aliqua ratione corrumpere; propterea quod iam antea, quum iudex in Iuniano consilio fuisset, turpissimum illud

gis ideo posuit, ut esset pro terroris nomine, non pro hominis dignitate. Id. — *De officio et dignitate decedis*) Officium est actus conveniens uniuscuiusque personae. Dignitas autem meritum senatoris. Id. — *Ut quod ille dictitat*) Invisum Verrem omnibus facit. Id. — *Aiebant*) Bene ad omnes contulit, ne interrogaretur, a quo esset dictum, in ore est omni populo. Id. — *Te non fato, ut ceteros ex vestra familia*) Dictum facete et contumeliose in Metellos. Antiquum Naevii est: *Fato Metelli Romae fiunt consules*; cui tunc Metellus consul iratus versu responderat senario hypercatalecto, qui et Saturnius dicitur: *Dabunt malum Metelli Naevio poëtae*; de qua parodia subtiliter Cicero dixit: *Te non fato ut ceteros ex vestra familia* etc. Asc. — *Quaesitor*) Praetor de pecuniis repetundis quaestionem exercens, nam proprie quaesitores dicuntur criminalium quaestionum, ut Virg. Aen. VI, 432: *Quaesitor Minos urnam movet.* Id. — *Quaesitor*) M. Metellus. Id. — *Duo consules*) Q. Hortensius, Q. Metellus. Id. — *Quod igitur Hortensius et Metellus*) Hic reddit, quam spem nunc habeat in manibus, et quid moliatur. Et est quaestio: an possit reus iudicio absolvi. Anon. — *In quaerendo nimium diligentem*) Hic invisum facit Verrem, a quo repudiatos nominat iudices. Non est enim innocens, qui gravem iudicem fugit. Id. — *Nimium diligentem*) Haec est artificiosa laudatio iudicis sine suspicione assentationis, et tamen efficax ad benivolentiam; qui autem diligentem vituperare non poterat, pro crimine addidit *nimium*. Terent. *ne quid nimis*. Asc. — *M. Caesonius*) Designatus aedilis cum Tullio, et ideo non iudicaturus, quia et aedilis et iudicis partes sustinere non poterat uno tempore; ut autem sagacem integritatem eius ostenderet, non dixit *quod corrumpamus*, sed *conemur corrumpere*, et non aperta et plana corruptione, sed *aliqua*, id est vel exigua. Id. — *Quem minime expedit esse*) Probabimus te, Caesoni, integrum, quum displices Verri. Anon. — *Quod in Iuniano consilio*) Cui Iunius praefuit. Id. — *Iuniano consilio*)

facinus non solum graviter tulit, sed etiam in medium protulit. Hunc iudicem ex Kal. Ianuar. non habebimus. Q. Manlium et Q. Cornificium, duos severissimos atque integerrimos iudices, quod tribuni plebis tum erunt, iudices non habebimus. P. Sulpicius, iudex tristis et integer, magistratum ineat necesse est Nonis Decembr. M. Crepereius, ex acerrima illa equestri familia et disciplina; L. Cassius ex familia, tum ad ceteras res, tum ad iudicandum severissima; Cn. Tremellius, homo summa religione et diligentia: tres hi homines veteres tribuni

Iunius quaesitor fuit in Cluentii causa, Verre praetore, in qua, quum Oppianicus damnatus esset, defensor Oppianici, tribunus plebis Quintius, rem in invidiam adduxit, quum diceret, pecuniam in iudicio fuisse versatam, et quum incertum esset, ex qua parte esset profecta, populus romanus non credidit ab Oppianico datam, quia damnatus erat, et errore multorum in falso crimine Cluentius fuit: hic ergo Caesonius, damnatis aliis iudicibus non modo innocens pronuntiatus est, sed etiam ex iis fuit, qui illa crimina Staleni, et Balbi et Guttae, et ceterorum iudicum detexerunt, quum Verres quoque turbatus subiectos iudices esse diceret, et interpolatos libellos sortitionis iudicum, quos libellos ipse obsignaverat. Asc. — *Et turpissimum facinus*) Quum Oppianicum veneficii Cluentius accusaret, dedit maiorem pecuniam, et damnavit illum. Hoc Caesonius prodidit, et Iunium praepositum Quintius accusavit, contra Pisone Frugi posito. Nam quod dixit *turpissimum*, ceram tangit infamem. Anon. — *Non habebimus*) Quia aedilis futurus est. Id. — *Homo tristis*) Quod hi tribuni plebis * * * Id. — *Magistratum ineat necesse est Nonis Decembribus*) Eo die tribunus plebis futurus. Asc. — *Ineat — nonis Decembris*) Quaesturam intelligimus. Nam omnes ceteri magistratus Kal. Ian. procedebant soli vero quaestores Nonis Decembris. Anon. — *Ex acerrima equestri illa familia*) Novo modo laudem ab ignobilitate quaesivit, more suo laudans equites romanos, et maxime, quia quum iudicarent, sine infamia se gesserunt. Asc. — *Acerrima*) Fortissima, integerrima, severissima. Anon. — *L. Cassius*) Cassiana familia ideo severissima ad iudicandum existimata est, quia sic iudicabat: cui bonum fuit, ut quaeratur, si ei prodesse poterat factum, non utrum fecerit necne. Id. — *L. Cassius quum ad ceteras res*) Inde sunt leges Cassiae tabellariae de suffragiis libere ferendis non voce sed tabula; ille Cassius, qui cognoscendis criminalibus causis in primis quaerendum esse dicebat *cui bono fuisset*. Id. — *Tres hi homines*) Optimi, integerrimi, antiquae nobilitatis. Anon. — *Homines veteres*) Graves et severi: et vide figurate singulis additam laudem ex ore adversarii, veluti ostendentis, cur sibi isti omnes displiceant. Asc. — *Tribuni*

Magistratum ineat necesse est) *Magistratum* (scil. tribunatum plebis) *ineat oportet* Lambin.

militares sunt designati; ex Kal. Ianuar. non iudicabunt. Subsortiemur etiam in M. Metelli locum, quoniam is huic ipsi quaestioni praefuturus est. Ita secundum Kalendas Ianuar. et praetore, et prope toto consilio commutato, magnas accusatoris minas, magnamque iudicii exspectationem ad nostrum arbitrium libidinemque eludemus». Nonae sunt hodie Sextiles. Hora nona convenire coepistis. Hunc diem iam ne numerant quidem. Decem dies sunt ante ludos votivos, quos Cn. Pompeius facturus est. Hi ludi dies quindecim auferent; deinde continuo Romani consequentur. Ita prope XL diebus interpositis, tum denique se ad ea, quae a nobis dicta erunt, responsuros esse arbitrantur; deinde se ducturos et dicendo, et

militares) Tribunorum militarium duo sunt genera, primum eorum, qui Rofuli dicuntur; hi in exercitu creari solent; alii sunt Comitiati, qui Romae comitiis designantur. Io. — *Subsortiemur etiam*) Mire ostendit securitatem rei, tanquam ipse sit omnia facturus. Id. — *Secundum Kal.*) Iuxta vel post. Vnde *secundum cras* dicimus. Anon. — *Nonae sunt Sextil.*) Hic iam ex sua persona loquitur. Io. — *Nonae Sextiles*) Sextiles, Augustae, Quinctiles, Iuliae; nondum enim nomina de Imperatoribus sumpserant; propter quam mutationem nominum Virgilius Ecl. IV, 12 ait: *et incipient magni procedere menses.* Hac tota argumentatione significat Cicero (27) accusare se non posse, si accusandi consuetudinem servare voluerit (28), non servire brevitati. Asc. — *Diem iam ne numerant quidem*) Id est adversarii. Anon. — *Ante ludos votivos*) De victoria Sertoriana (29), aut Mithridatica, aut piratica. Id. — *Ludos votivos*) Hos Pompeius voverat, si Sertorium superasset. Asc. — *Deinde continuo Romani consequentur*) *Romani ludi* sub regibus instituti sunt *magni*que appellati, quod magnis impensis dati sunt; tunc enim primum ludis impensa sunt ducenta millia nummum; alii ideo magnos ludos dictos putant, quod Conso, consiliorum secretorum deo, id est, Neptuno laticum regi, et rerum conditarum et diis magnis id est laribus urbis Romae dati sunt; quibus aiunt raptas Sabinas esse, ut videatur propter hoc dicere Virg. Aen. VIII, 636: *magnis Circensibus actis.* Nam et *Magni* et *Circenses* iidem sunt. Id. — *Continuo Romani*) Id est ludi. Fiunt autem mense Septembre. Anon. — *Ita prope XL*) Quia non dixit quot dierum Romani, addidit *prope.* Io. — *Deinde se ducturos*) Ὑφ' ἓν legendum est, id est tracturos tempus, *dicendo* respondendo, *excusando* causas occupationum fingendo. Id. — *Deinde se ducturos*) Dilaturos, moram facturos. Asc. —

excusando, facile ad ludos Victoriae. Cum his plebeios esse coniunctos; secundum quos aut nulli, aut pauci dies ad agendum futuri sunt. Ita defessa ac refrigerata accusatione, rem integram ad M. Metellum praetorem esse venturam. Quem ego hominem, si eius fidei diffisus essem, iudicem non retinuissem. Nunc tamen eo animo sum, ut eo iudice, quam praetore, hanc rem transigi malim; et iurato suam, quam iniurato aliorum tabellas committere.

XI. Non ego, iudices, iam vos consulo, quid mihi faciendum putetis. Id enim consilii mihi profecto taciti dabitis, quod egomet mihi necessario capiendum

Dicendo) Longa oratione. Id. — *Excusando*) Cur interdum non dicant; admittebantur enim excusationes multae etiam pro reo, aut occupationis alicuius, aut malae valitudinis. Id. — *Ad ludos Victoriae*) Quos Sulla constituit post victoriam Marianam. Anon. — *Cum his plebeios esse*) Voluptarios. Id. — *Secundum quos*) Plebeius ludos, quos exactibus regibus, pro libertate plebis fecerunt, aut pro reconciliatione plebis post secessionem in Aventinum. Asc. — *Ad agendum*) Ad iudicandum; postea enim feriae sunt. Anon. — *Refrigerata*) Id est omni calore accusationis exstincto. Id. — *Quem ego hominem*) Υποφορὰ πείσεως; id sst, reiecissem sicut alios suspectos iudices. Id. — *Quem ego hominem*) M. Metellum scilicet, in cuius locum subsortiendum iudicem ex persona Verris supra dixerat, qui Praetor futurus sit ex Kal. Ian. qui nunc in iudicum numero est. Asc. — *Malim; et iurato suam*) Quum iudex sit Metellus, tabellam iudiciariam iuratus accipiet; quum Praetor fuerit, et non iurabit, quia non est moris; et in potestate habebit tabellas omnium iudicum. Id. — *Tabellas committere*) Non quia mos erat dare iudicis Praetori tabellas, sed quia poterat iubere, ut iudices absolverent Verrem. Anon. — *Ego vos consulo*) Vtrum perpetua debeam uti oratione, id est continue, an per singula crimina debeam testes producere. Id.

Cap. XI. *Id enim consilii mihi profecto taciti dabitis*) Sermocinatio ista non decet iudicum gravitatem; ideo *taciti* dixit; sic agit autem, ut ostendat se non debere horis legitimis abuti ad his accusandum Verrem; quum possit pro una actione testimoniis uti tantum. Asc. — *Mihi profecto taciti dabitis*) Bene comparticipes sui consilii facit iudices, ne arroganter agere videatur.

Et excusando) Veluti valitudinem. Lambinus dedit *recusando* non bene. MS. Gu. *accusando*. Ern.

Non ego) Recte sic Ernestius pro vulg. *nunc* ego rescribendum censuit. Non enim consulit iudices, sed potius eos consulere supervacuum iudicat. Id subiecta ratio docet, quum dicit: Id ENIM etc.

intelligo. Si utar ad dicendum meo legitimo tempore, mei laboris, industriae diligentiaeque capiam fructum, et accusatione perficiam, ut nemo unquam post hominum memoriam paratior, vigilantior, compositior ad iudicium venisse videatur. Sed in hac laude industriae meae, reus ne elabatur, summum periculum est. Quid est igitur, quod fieri possit? Non obscurum, opinor, neque absconditum. Fructum istum laudis, qui ex perpetua oratione percipi potuit, in alia tempora reservemus: nunc hominem tabulis, testibus privatis publicisque literis auctoritatibusque accusemus. Res omnis mihi tecum erit, Hortensi. Dicam aperte. Si te mecum dicendo ac diluendis criminibus in hac causa contendere putarem: ego quoque

ANON. — *Perficiam ut nemo*) Nunc illud est, quod postea dicat: *et ne aliter quam ego velim, meum laudet ingenium.* ASC. — *Meo legitimo tempore*) Aut perpetua oratione aut ex lege constituto, quia horis certis dicebant accusatores, sive defensores per clepsydram. Centum et decem dies legitimum tempus erat (30). ANON. — *Mei laboris industriae diligentiaeque*) Industria, qua invenimus; diligentia, qua inventum perficimus; alii dicunt industriam segnitiae contrariam, aut quae in persequendo officio et labore non deficit. ID. — *Pacatior*) Pacatus accusator est, qui multa crimina obiecturus est reo. *Vigilantior*, qui omnia circumspicit ne reus evadat. *Copiosior* ad varietatem dicendi retulit. ID. — *Elabatur*) evadat, effugiat. ID. — *Obscurum*) *Obscurum* est, quod difficile invenitur; *absconditum*, quod penitus ignoratur. ID. — *In alia tempora reservemus*) In secundam actionem. ASC. — *Nunc hominem tabulis*) Nam si voluerimus perpetua oratione uti, quantum quidem ad eloquentiae os * * * * * * fuisset susceptam. ANON. — *Similiter*) Quemadmodum in Septimio senatore pr. urbis. ID. — *Auctorita-*

Meo legitimo tempore) Viginti diebus, hi enim dabantur ad accusandom legitimi, totidemque defensori ad respondendum. Ascon. Verr. 3. HOTOM.

Et accusatione) Vulgo *et ex accusatione*. Praepositionem h. l. non de latina consuetudine additam auctore Ernestio delevi.

Paratior, vigilantior, compositior) Vetus anonymus interpres. «*Paratus* inquit, accusator est, qui multa crimina obiecturus est reo. *Vigilantior* qui omnia circumspicit ne reus evadat. *Copiosior* ad varietatem dicendi retulit.» Ergo ille *copiosior* in suo codice legit pro *compositior*. Hoc tamen servandum puto, ut referatur ad oratoriam in componendis argumentis diligentiam.

bidinis infamiaeque suae neque pudeat, neque taedeat; qui quasi de industria in odium offensionemque populi romani irruere videantur: hoc me profiteor suscepisse magnum fortasse onus, et mihi periculosum, verumtamen dignum, in quo omnes nervos aetatis industriaeque meae contenderem. Quoniam totus ordo paucorum improbitate et audacia premitur, et urgetur infamia iudiciorum: profiteor, huic generi hominum me inimicum, accusatorem odiosum, assiduum, acerbum adversarium. Hoc mihi sumo, hoc mihi deposco, quod agam in magistratu, quod agam ex eo loco, ex quo me populus romanus ex Kal. Ianuar. secum agere de re publica ac de hominibus improbis voluit: hoc munus aedilitatis meae populo romano amplissimum pulcherrimumque polliceor. Moneo, praedico, ante denuntio: qui aut deponere, aut recipere, aut accipere, aut polliceri, aut sequestres, aut interpretes corrumpendi iudicii solent esse, quique ad hanc rem aut potentiam, aut impudentiam suam professi sunt, abstineant in hoc iudicio manus animosque ab hoc scelere nefario.

XIII. Erit tum consul Hortensius cum summo imperio et potestate; ego autem aedilis, hoc est paulo amplius quam privatus: tamen haec huiusmodi res

elusit nobiles pueros. Id. — *Assiduum*) Molestum, addictum. Id. — *Ex eo loco ex quo*) De Rostris scilicet. Id. — *Hoc munus aedilitatis*) Allusit ad ambiguitatem muneris, et Verris nomen bestiam praeferentis (32). Id. — *Qui aut deponere*) *Deponitur* in sequestri; *accipitur* ab eo, qui corrumpitur; *recipitur* i. e. promittitur ab eo, qui pro iudicaturo spondet; *pollicetur*, qui apud se dicit aut praemium aut sententiae potestatem esse; *sequestres* sunt, apud quos pecunia deponitur; *interpretes*, per quos inducitur pactio. Id.

Accusatorem odiosum, assiduum) Memmius haec verba sic transponebat, probantibus Lambino et Fabricio: *inimicum odiosum, accusatorem assiduum.*

Paulo amplius quam privatus)

est, quam me acturum esse polliceor, ita populo romano grata atque iucunda, ut ipse consul in hac causa prae me minus etiam, si fieri possit, quam privatus esse videatur. Omnia non modo commemorabuntur, sed etiam, expositis certis rebus, agentur, quae inter decem annos, posteaquam iudicia ad senatum translata sunt, in rebus iudicandis nefarie flagitioseque facta sunt. Cognoscet ex me populus romanus, quid sit, quamobrem, quum equester ordo iudicaret, annos prope quinquaginta continuos, nulla ne tenuissima quidem suspicio acceptae pecuniae ob rem iudicandam constituta sit: quid sit, quod iudiciis ad senatorium ordinem translatis, sublataque populi romani in unumquemque nostrum potestate, Q. Calidius damnatus dixerit, minoris HS tricies praetorium

Cap. XIII. *Inter decem annos*) Recte dicit; hoc enim tempus, quo senatus iudicat victore Sulla ab ordine equitum transferente iudicia. Id. — *Annos prope quinquaginta*) Tanto enim fere tempore equester ordo iudicavit lege Sempronia. Id. — *Sublata populi romani potestate*) Scilicet sublata provocatione ad populum h. e. ad tribunos plebis. Id. — *Q. Calidius damnatus dixerit*) L. Calidius, M. Calidii oratoris pater ex praetura Hispaniensi accusatus a Gallio, pro quo postea Cicero dixit, atque damnatus, quum sensisset iudicibus pecuniam contra se datam, in eos iudices, qui parvo pretio corrupti se damnaverant, exclamavit: vel idoneam, inquit, mercedem pro meo capite pacisci debuistis; hoc saltem honestatis esset in vobis, ut hominem praetorium non vili pretio venderetis; et *honeste* ironice dictum est. Id. —

Nam aedilitas primus est magistratus curulis, isque ad honoris amplioris gradum primus ascensus erat, et ex minoribus erat magistratibus, id est, ex iis, qui minoribus auspiciis creabantur: sellam tamen curulem, et iudicia, et antiquiorem in senatu sententiae dicendae locum habebant. *Privatus* autem a Latinis ei qui cum imperio est, opponitur: quasi in publico, et iam in re publica, non privata versanti. Hotom.

Inter decem annos) Edd. ante Ald. *intra decem annos*. Volgatum *inter decem annos* iam Asconius habet, praeterea MSS. Hotom. Cuiac. Pall. Guelf.

Continuos) In codd. adhuc collatis omnibus et edd. vett. adduntur verba: *nullo iudice equite Romano iudicante*, quae manifesta interpolata sunt. Itaque ea iam a Graevio damnata, ab Ernestio et Beckio uncis inclusa, e textu eieci; et ante verba *ne tenuissimo quidem* auctore Graevio praeposui *nulla*, e quo, quum glos-

hominem honeste non posse damnari: quid sit, quod, P. Septimio senatore damnato, Q. Hortensio praetore, de pecuniis repetundis, lis aestimata sit eo nomine, quod ille ob rem iudicandam pecuniam accepisset; quod in C. Herennio, quod in C. Popillio, senatoribus, qui ambo peculatus damnati sunt; quod in M. Attilio, qui de maiestate damnatus est, hoc planum factum sit, eos pecuniam ob rem iudicandam accepisse; quod inventi sint senatores, qui C. Verre praetore urbano sortiente, exirent in eum reum, quem inco-

Lis aestimata sit) Hoc est pecunia, do qua lis fuil, et proptsr quam condemnatus est, in summam redacta, quae de eius rebus exigeretur. Doae res enim consequebantur damnationem; altera redditio pecuniae iis ad quos pertinebat, iu quo vel simpli, vel dupli, vel quadrupli ralio ducebatur, altera exsilium. Id. — *Qui ambo peculatus damnati sunt*) Quid hoc, inquiet quispiam, ad iudiciom corruplum pertinet? Respoudebimus, litis aestimationem fieri uon solum ex titulo propositi criminis, sed eliam ex aliis probationibus, quae ex ante actis rebus apud iudices constiterint; hi peculatus crimine proposito, atiam quas iudicando pecunias ceperant, reddiderunt. Similiter absolvitur atiam illud, quod supra da pecuniis repetundis positom est. Id. — *Qui C. Verre praetore urbano sortiente*) Sic hoc criminose dicit, quemadmodum supra, Hortensio praetore, el totum boc magis invidiose, quam vere, dicitur; nam ipse Varres pro testimonio dixit, in Iuniano iudicio adulteratas fuissa tabellas suas, in quibus suppositi iudices essent ad sententiam corruptam farendam. Id. — *Sortienta*) Ex sorte dante, quia ipso quasi praetor indicea dabal. Anon. — *In eum reum*) Oppianicum significat. Id. — *Quem inco-*

sema illud in textum immigrasset, factum asl *nullo*.

Minoris tricies) Sic Ascon. Hotom. Lamb. alii. Ed. Ven. aliaeque vett. *HS*. XXX.

Q. Hortensio praetore, de pecuniis repetundis) Ordo est, P. Septimio damnato de pecuniis repetundis, praetore Q. Hortensio. Haec enim Q. Hortensio praetori sors obtigit, ut de repetundis pecuniis quaereret; sicuti constat ex libro de clar. Orat. Sed cur nominatim Q. Hortensio, praetore? An criminose hoc dictum est in Hortensium, ut Asconius interpretatur? Mihi quidem minime videtur; praesertim quum damnatum dicat Sulpicium. An igitur ut rem nemini dubiam, sed manifestam, at vel ipsius adversarii ocolis testatam prolaturum se ostendat? Opinor, haec potius causa est. Hotom.

Inventi sint) Vulgo *factum est — inventi sunt*. Coniunctivum postulat antecedens *quid sit?*

Exirent in eum reum) Non ex urna, ul sit, *eorum nomina ex urna ducerentur*: sicuti nonnulli existimant. Non enim ex urna nomeu Falculae exierat: sed *irent* simpliciter

gnita causa condemnarent; quod inventus senator, qui quum iudex esset, in eodem iudicio et ab reo pecuniam acciperet, quam iudicibus divideret, et ab accusatore, ut reum damnaret. Iam vero quomodo illam labem, ignominiam, calamitatemque totius ordinis conquerar? hoc factum esse in hac civitate, quum senatorius ordo iudicaret, ut discoloribus signis iuratorum hominum sententiae notarentur? Haec omnia me diligenter severeque acturum esse polliceor.

XIV. Quo me tandem animo fore putatis, si quid in hoc ipso iudicio intellexero simili aliqua ratione

gnita causa condemnarent) Quum causam ante non audissent; significat autem C. Fidiculanium Falculam, qui ad complendam Oppianici damnationem dicebatur esse suppositus. Asc. — *Quod inventus est senator*) Stalenum dicit ab utraque parte fuisse corruptum; quod adversus eum recitatum postea in Cluentiana oratione vix purgat, ubi dicit a solo Oppianico sestertium DCXL C. Aelio Staleno iudici date pro numero iudicum qui corrumpendi essent. Id. — *In eodem iudicio*) Quum consuetudo fuerit, ut viginti et septem diebus iudex audiret, Fidiculanius Falcula non audivit a principio, sed triduo, quia forte subrogatus est, et sic Oppianicum damnavit. Ergo hic oratorie agit; nam quum unus index corruptus sit, augendi criminis causa omnes iudices pecuniam accepisse dicuntur. Anon. — *Iam vero quomodo illam labem, ignominiam*) Tangit iterum iudicium, in quo Hortensium dixit iudicibus imperasse propter rei absolutionem. Id. — *Totius ordinis conquerar hoc factum esse*) Cum indignatione *hoc* est pronuntiandum; id est tantum malum. Id. — *Vt discoloribus signis*) Post omnia crimina venit ad Hortensii facinus, ut cunctis peius esse ostendat. Id. — *Vt discoloribus signis*) Iam supra dictum est. Signa autem alii ceratas diverso colore tabulas, alii ab iudicibus appositas tabulis ceras diversi coloris aiunt, ut hoc signum esset ad voluntatem rei sententiae scriptae. Asc. — *Iuratorum hominum*) iudicum scilicet, qui in leges ante, quam iudicarent, iurare consueverant. Id. — *Quum haec omnia a me diligenter*) *Diligenter* ad inquirendum retulit. Anon. — *Severe*) Cum gravibus sententiis et omnem misericordiam excludentibus. Id.

Cap. XIV. *Alia ratione esse violatum atque commissum*) Id est quomodo tunc quum diversis coloribus tabulae erant notatae, et perverse dixit. Nam primum committitur, et sic violatur aliquid sine commisso; verbi causa si accipio, quasi dictum sit: Adirent ad illud iudicium, et praetori assiderent. Hotom.

Quod inventus) Post *inventus* auctore Ernestio delevi *est*. Certe, ut antea, *sit* legendum esset.

Putatis) Sic Lamb. Vulgo *putetis*.

esse violatum atque commissum? Quum praesertim planum facere multis testibus possim, C. Verrem in Sicilia, multis audientibus, saepe dixisse, « se habere hominem potentem, cuius fiducia provinciam spoliaret; neque sibi soli pecuniam quaerere, sed ita triennium illud praeturae siciliensis distributum habere, ut secum praeclare agi diceret, si unius anni quaestum in rem suam converteret; alterum patronis et defensoribus suis traderet; tertium illum uberrimum quaestuosissimumque annum totum iudicibus reservaret ». Ex quo mihi venit in mentem illud dicere, quod apud M'. Glabrionem nuper, quum in reiiciendis iudicibus commemorassem, intellexi, vehementer populum romanum commoveri: me arbitrari, fore, uti nationes exterae legatos ad populum romanum mitterent, ut lex de pecuniis repetundis iudiciumque tolleretur. Si enim iudicia nulla sint, tantum unumquemque ablaturum putant, quantum sibi ac liberis suis satis esse arbitrentur; nunc, quod eiusmodi iudicia sint, tantum unumquemque auferre, quantum sibi, patronis, advocatis, praetori, iudicibus satis futurum sit: hoc profecto infinitum esse;

cogitaverit quis sacrilegium facere, et non fecerit. Id. — *Se habere hominem potentem*) Hortensium vult intelligi; scit enim hoc nimis valere ad minuendam eius auctoritatem. Asc. — *Praeclare*) Id est, bene, commode. Id. — *Quartum lucrum iudicio reservant*) A persona iudicum odii comparatio. Id. — *Ex quo mihi in mentem venit*) Ex his scilicet, quae Verrem audivi dixisse. Id. — *Apud M'. Glabrionem*) Praetorem praesentis anni, quique praeesset

Iudiciumque tolleretur) *Mitteret— tolleretur* pendet *a commemorassem*. Itaque non est corrigendum *mittant— tollatur*, etsi Ernestius negat, si quis hoc malit, se repugnaturum. Similis forma constructionis est Orat. II, 86, *sic fore ut ordinem rerum, locorum ordo conservaret*, ubi praecedit *invenisse*.

Praetori) Vulgo. *praetoribus*. Melius Lambin. Ern. *praetori*.

se avarissimi hominis cupiditati satisfacere posse, nocentissimae victoriae non posse. O commemoranda iudicia, praeclaramque existimationem nostri ordinis! quum socii populi romani iudicia de pecuniis repetundis fieri nolunt, quae a maioribus nostris sociorum causa comparata sunt. An iste unquam de se bonam spem habuisset, nisi de vobis malam opinionem animo imbibisset? Quo maiore etiam, si fieri potest, apud vos odio esse debet, quam est apud populum romanum, quum in avaritia, scelere, periurio vos sui similes esse arbitretur.

XV. Cui loco, per deos immortales, iudices, consulite ac providete. Moneo praedicoque id, quod intelligo, tempus opportunissimum vobis hoc divinitus datum esse, ut odio, invidia, infamia, turpitudine totum ordinem liberetis. Nulla in iudiciis severitas, nulla religio, nulla denique iam existimantur esse iudicia. Itaque a populo romano contemnimus, despicimur: gravi diuturnaque iam flagramus infamia. Neque enim ullam aliam ob causam populus romanus tribuniciam potestatem tanto studio requisivit: quam quum poscebat, verbo illam poscere videbatur,

huic iodicio. Asc. — *Satisfacere posse, nocentissimae victoriae non posse*) Haec me dicente populus commotus est, quod de tollendo iudiciu repetundarum loquutus fueram. Anon. — *Malam opinionem animu imbibisset*) Quia scilicet iudicium corrupturum esse speravit; *imbibisset*, percepisset. Id. — *Apud vos odio esse*) Quia scilicet tales vos speravit esse futuros. Id.

Cap. XV. *Quu l(c)co*) Hoc est, opiuioni vestrae. Id. — *Nulla in iudiciis severitas*) Quia nocentes subtrahuntur. Id. — *Religiu nulla*) Quia peieratur. Id. — *Despicimur*) Despicimur vollu, verbo, simulatione. Id. — *Neque enim ullam aliam ob causam populus Romanus*) Per annos continuos tres

Opportunissimum) Deest in codd. vel. Lambin. et Guelf. Omiserunt Lambin. et Ernestius. Et hic quidem eam ob causam, quod verbum *opportunus* requirat vel *quo* (scil. *tempore*) vel genitivum ut h. l. *liberandi ordinis*; non autem eo posito sequatur *ut*. Recte autem monuit Beckius verba *ut liberetis* hoc loco pendere a *datum esse*.

re vera iudicia poscebat. Neque hoc Q. Catulum, hominem sapientissimum atque amplissimum, fugit, qui Cn. Pompeio, viro fortissimo et clarissimo, de tribunicia potestate referente, quum esset sententiam rogatus, hoc initio est summa cum auctoritate usus: «Patres conscriptos iudicia male et flagitiose tueri; quod si in rebus iudicandis populi romani existimationi satisfacere voluissent, non tantopere homines fuisse tribuniciam potestatem desideraturos». Ipse denique Cn. Pompeius, quum primum concionem ad urbem consul designatus habuit; ubi (id quod maxime exspectari videbatur) ostendit, se tribuniciam potestatem restituturum, factus est in eo strepitus, et grata concionis admurmuratio. Idem in eadem concione quum dixisset: «populatas vexatasque esse provincias; iudicia autem turpia et flagitiosa fieri; ei rei se providere ac consulere velle»: tum vero non strepitu, sed maximo clamore suam populus romanus significavit voluntatem.

XVI. Nunc autem homines in speculis sunt: obser-

populus Romanus illo tempore tribunitiam potestatem flagitabat: hoc Cicero utitur ad invidiam iudiciorum et infamiam senatu iudicante. Asc. — *Neque hoc Q. Catulum fugit*) Propter iudiciorum iniquitatem quod populus romanus tribunitiam potestatem reposcebat. Anon. — *Qui Cn. Pompeio*) In invidia tunc Pompeius fuit, quod consul redderet populo tribunitiam potestatem; sed totum Tullius ad sui temporis commodum refert, ut etiam Catuli sententiam in senatu demonstret. Asc. — *Pompeio viro fortissimo*) Pompeio enim et Crasso coss. reddita est tribunitia potestas. Anon. — *Patres conscriptos iudicia*) Ideo populus romanus tribunitiam desiderabat potestatem. Id. — *Quum primum concionem ad urbem consul designatus*) *Ad urbem*, in urbe (33); et sic dici solet de iis, qui cum potestate provinciali aut nuper e provincia revertissent aut nondum in provinciam profecti essent. Pompeius autem pro consule de Hispania, Sertorio victo, nuper venerat, et statim habuerat concionem de restituenda tribunitia potestate Palicano tribuno plebis. Asc. — *Ad urbem Cos. designatus*) In urbe, vel prope urbem, quoniam interdum extra urbem consulea concio * * * * * * * * * Anon.

Cetera Anonymi desunt.

Cap. XVI. *Homines in speculis sunt*) Scilicet equester ordo, et urbana

vant, quemadmodum sese unusquisque vestrum gerat in retinenda religione, conservandisque legibus. Vident adhuc post legem tribuniciam unum senatorem vel tenuissimum esse damnatum. Quod tametsi non reprehendunt, tamen magnopere, quod laudent, non habent. Nulla est enim laus, ibi esse integrum, ubi nemo est, qui aut possit, aut conetur corrumpere. Hoc est iudicium, in quo vos de reo, populus romanus de vobis iudicabit. In hoc homine statuetur, possitne, senatoribus iudicantibus, homo nocentissimus pecuniosissimusque damnari. Deinde est huiusmodi reus, in quo nihil sit, praeter summa peccata, maximamque pecuniam; ut, si liberatus sit, nulla alia suspicio, nisi ea, quae turpissima est, residere possit; non gratia, non cognatione, non aliis recte factis, non denique aliquo mediocri vitio, tot tantaque eius vitia sublevata esse existimabuntur.

plebs, et omnes, qui favent tribunitiae potestati. Ascon. et sic deinceps. — *Observant*) Modo *speculantur*, alias *venerantur*. Virgilius (*G. IV*, 211):

> *Praeterea regem non sic Aegyptus et ingens*
> *Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus Hydaspes*
> *Observant.*

Post legem tribunitiam) Ex quo lex fertur de tribunitia potestate restituenda. — *Vnum hominem vel tenuissimum*) Pauperem, qui unde iudices corrumperet, non haberet; Dolabellam autem significat. — *Quod tametsi non reprehendunt*) Potuit enim dici: quid ergo? Noxius si pauper est, non est damnandus? — *Non gratia*) Non vult amicum videri Hortensii Verrem, sed tantummodo praedae participatione sociatum. — *Non cognatione*) Hoc ad Metellum collegam Hortensii pertinet, qui illum, tanquam si sit cognatus, defendit. — *Mediocri vitio*) Mediocria vitia sustinebit, si quis nimia servi-

In quo nihil sit) Post *quo* vulgo additur *homine*. Heretius vel *homine* delendum, vel omnino substituendum censuit. Prior ratio verior.

Non aliis recte factis) Lambinus legendum censebat *non ullis recte factis*, quod iure repudiavit Gruterus. Saepe enim in deprecatione *alia* reorum *recte facta* in iudicio proferebantur. Conf. Inv. II, c. 34, ubi in exemplo deprecationis reus dicitur *multorum suorum recte factorum causa ut uni delicto ignoscatur* postulare.

Aliquo mediocri vitio) scil. iudicum in re iudicanda.

Postremo ego causam sic agam, iudices: eiusmodi res, ita notas, ita testatas, ita magnas, ita manifestas proferam, ut nemo a vobis, ut istum absolvatis, per gratiam conetur contendere. Habeo autem certam viam atque rationem, qua omnes illorum conatus investigare et consequi possim. Ita res a me agetur, ut in eorum consiliis omnibus non modo aures hominum, sed etiam oculi populi romani interesse videantur. Vos aliquot iam per annos conceptam huic ordini turpitudinem atque infamiam delere ac tollere potestis. Constat inter omnes, post haec iudicia, quibus nunc utimur, nullum hoc splendore atque hac dignitate consilium fuisse. Hic si quid erit offensum, omnes homines non iam ex eodem ordine alios magis idoneos, quod fieri non potest, sed alium omnino ordinem ad res iudicandas quaerendum arbitrabuntur.

XVII. Quapropter primum ab diis immortalibus, quod sperare mihi videor, hoc idem, iudices, peto, ut in hoc iudicio nemo improbus, praeter eum, qui iampridem inventus est, reperiatur: deinde, si plures improbi fuerint, hoc vobis, hoc populo romano,

lute patrocinium meruerit, aut assentatione aliqua defendi meruerit. — *Investigore*) ratione. — *Consequi*) via. Hoc totum ad terrendos a corruptione iudices dicitur. — *Post haec constituta iudicia*) Senatoria iudicia dicit, per hos X annos Sullae legibus coostituta.

Cap. XVII. *Qui iam pridem inventus est*) Verrem dicit. — *Quo loco sis*)

Ac tollere potestis) *ac tollere* in Franc. 1 Oxono. et aliquot edd. pr. omissum. Graevio noo videbatur a Tullio profectom. Idem tamen or. pro Quinl. c. 31 coniunxit *tolli funditus ac deleri*. Et servanda esse verba *ac tollere* bene monuil Ernesl. primum quod iis sublalis orialur clausula hexametri, deinde quia tollatur aequalitas s. paritas membrorum hac scil. clausula ad illam *investigore et consequi possim*, relata.

Post haec iudicia) Vulgo *p. h. constituta iudicia*. Et sic Ascoo. At in MSS. et edd. vett. abest *constituta*, sane elegaotius.

Iudices, peto) Lambin. a MSS. *opto*. Idem sine caosa post *sperare* inculcavit *debere*. Nam et alibi *sperare videor* occurrit.

iudices, confirmo, vitam mehercule mihi prius, quam vim, perseverantiamque ad illorum improbitatem persequendam defuturam. Verum quod ego laboribus, periculis, inimicitiisque meis tum, quum admissum erit, dedecus, severe me persequuturum esse polliceor, id ne accidat, tu tua sapientia, auctoritate, diligentia, M'. Glabrio, potes providere. Suscipe causam iudiciorum; suscipe causam severitatis, integritatis, fidei, religionis; suscipe causam senatus, ut is hoc iudicio probatus, cum populo romano et in laude et in gratia esse possit. Cogita, qui sis, quo loco sis, quid dare populo romano, quid reddere maioribus tuis debeas: fac tibi paternae legis Aciliae veniat in mentem, qua lege populus romanus de pecuniis repetundis optimis iudiciis severissimisque iudicibus usus est. Circumstant te summae auctoritates, quae te oblivisci laudis domesticae non sinant; quae te dies noctesque commoneant, fortissimum tibi patrem, sapientissimum avum, gravissimum socerum fuisse. Quare si Glabrionis patris vim et acrimoniam ceperis ad resistendum hominibus audacissimis; si avi Scaevolae prudentiam ad prospiciendas insidias, quae tuae atque horum famae comparantur; si soceri

In tribunali. — *Fac tibi paternae legis Aciliae*) M.' Acilius Glabrio legem Aciliam tulit de pecuniis repetundis severissimam, ut qua ne comperendinari quidem liceret reum. — *Fortissimum patrem*) M'. Acilium Glabrionem. — *Sapientissimum avum*) Scaevolam dicit, iuris peritissimum, qui cum Cn. Pisone consul fuit, quo anno Tib. Gracchus occisus est. — *Gravissimum*

Cogita, qui sis, quo loco sis) *qui sis* refertur ad Glabrionis animum et virtutem, *quo loco* ad praeturam; itaque, etsi in aliquot edd. et MSS. deest *qui sis*, non tamen arbitror insititium esse.

Legis Aciliae) Significatur *lex de repetundis* lata a M' Acilio Glabrione trib. pl., huius Glabrionis, qui in causa Verrina quaesitor fuit, patre. Ea lex fuit severior antecedentibus Calpurnia et Iunia; instituit enim hoc, ut liceret semel dicta causa reum condemnare aut absolvere, nisi ampliarent iudices.

Scauri constantiam, ut ne quis te de vera et certa possit sententia demovere: intelliget populus romanus, integerrimo atque honestissimo praetore, delectoque consilio, nocenti reo magnitudinem pecuniae plus habuisse momenti ad suspicionem criminis, quam ad rationem salutis.

XVIII. Mihi certum est, non committere, ut in hac causa praetor nobis consiliumque mutetur. Non patiar rem in id tempus duci, ut Siculi, quos adhuc servi designatorum consulum non moverunt, quum eos novo exemplo universos arcesserent, eos tum lictores consulum vocent; ut homines miseri, antea socii atque amici populi romani, nunc servi ac supplices, non modo ius suum fortunasque omnes eorum imperio amittant, verum etiam deplorandi iuris sui potestatem non habeant. Non sinam profecto, causa a me perorata, quadraginta diebus interpositis, tum nobis denique respondeant, quum accusatio nostra in oblivionem diuturnitate adducta sit; non commit-

socerum fuisse) Scaurum significat. — *Scauri constantiam*) Inde subiecit, quid sit constantis; et animadvertendum, hanc esse artificiosam laudationem iudicum ad benivolentiam, quae tamen ab assentationis suspicione semota est. — *Ad suspicionem criminis*) Quod multum rapuit. — *Ad rationem salutis*) Vt corruptis iudiciis reus reservetur.

CAP. XVIII. *Servi designatorum consulum*) Mentionem facit illius rei, quam de Metello supra monstraverat; quod Siculos domum arcessitos iam ante conterruit. — *Quadraginta diebus interpositis*) Iis qui sunt per binos

Sententia demovere) in edd. vett. *dimovere.*

Delectoque consilio) *dilectoque consilio* Lambin. Est autem *delectum consilium* quod Ern. monuit, quando in reiectione iudicum post primam sortitionem ab accusatore iusta diligentia et severitas adhibita est.

Non patiar rem in id tempus duci) Sic Ern. ex emendatione Gronovii Obss. I, 12. Vulgatum *adduci* nuper servavit Beckius. At saepius in his orationibus *duci* est protrahi s. differri; nec *adduci* de re futura et remota usurpari memini.

Oblivionem diuturnitate) *oblivionem diuturnitatis* edd. pr. cod. Gu. Franc. 1. Probavit Camerar. Ern. et nuper restituit Beckius. Ego vero Hotomannum sequor, qui hanc lectio-

tam, ut tum res iudicetur, quum haec frequentia totius Italiae Roma discesserit; quae convenit uno tempore undique, comitiorum, ludorum, censendique causa. Huius iudicii et laudis fructum, et offensionis periculum, vestrum; laborem, sollicitudinemque, nostram; scientiam, quid agatur, memoriamque, quid a quoque dictum sit, omnium puto esse oportere. Faciam hoc non novum, sed ab iis, qui nunc principes nostrae civitatis sunt, ante factum, ut testibus utar statim: illud a me novum, iudices, cognoscetis, quod ita testes constituam, ut crimen totum explicem; ubi id interrogando, argumentis atque oratione firmavero, tum testes ad crimen accommodem; ut nihil inter illam usitatam accusationem, atque hanc novam intersit, nisi quod in illa tunc, quum omnia dicta sunt, testes dantur, hic in singulas res dabuntur; ut illis quoque eadem interrogandi facultas, argumentandi dicendique sit. Si quis

ludos, Votivos atque Romanos; quos alii bini consequuturi erant, Victoriae atque plebeii. — *Quum dati frequentia totius Italiae Roma discesserit*) Frequentiam dicit plebis rusticae, cui voluit iudicii exitu notam esse integritatem suam. Convenerat autem ex municipiis uniuscumque modi multitudo, aut propter comitia suffragiorum causa, aut ludorum votivorum, Romanorum, Victoriae, plebeiorum, aut ut censerentur apud Censores Gellium et Lentulum, qui tunc erant. — *Huius iudicii et laudis fructum et offensionis periculum vestrum*) Figura zeugma; ad singula enim subaudiendum est, puto esse oportere. — *Faciam hoc non novum, sed ab iis, qui nunc principes nostrae civitatis sunt, ante factum*) Verum dicit. Etenim L. Licinius et item M. Licinius, ambo consulares; Marcus vero etiam triumphalis fuit. Hi quum accusarent L. Cottam, non usi sunt oratione perpetua; sed interrogatione testium causam peregerunt. — *Illud a me novum cognoscetis*) In eo se dicit novi aliquid allaturum, in quo diligentius crimen expositurus est, quam qui antes breviter accusaverunt. — *Ut ubi id interrogando*) Apparet ex hoc dicto testes suos etiam ipsum accusatorem interrogare consuesse. — *Argumen-*

nem prorsus aspernatur: nec arbitror Ciceronem *oblivionem diuturnitatis* pro *oblivione* quam *diuturnitas* temporis efficit, scripsisse.

Ludorum) *ludorum* recte est apud Ascon. idque optimi fere editores tenuerunt. Male quidam *iudiciorum*.

erit, qui perpetuam orationem accusationemque desideret, altera actione audiet; nunc id, quod facimus ea ratione, ut malitiae illorum consilio nostro occurramus, necessario fieri intelligat. Haec primae actionis erit accusatio. Dicimus, C. Verrem, quum multa libidinose, multa crudeliter in cives romanos atque in socios, multa in deos hominesque nefarie fecerit, tum praeterea quadringenties sestertium ex Sicilia contra leges abstulisse. Hoc testibus, hoc tabulis privatis, publicisque auctoritatibus, ita vobis planum

tandi dicendique sit) *Argumentari* est argumentis uti ad rem probandam; *dicere* amplificatione uti ad rem dilatandam et ad delectandum commovendumque auditorem oratione perpetua. — *Si quis erit qui perpetuam orationem*) Vides, quod argumentis se usurum non negat iam modo, quamquam perpetuam orationem se neget habiturum in hac actione, quae prima est. — *Perpetuam orationem accusationemque*) Bene haec separavit, ut ostenderet etiam sine perpetua oratione accusationem tamen esse, et ut intelligi posset, ut res non una sed ut duae sint. — *Nunc id quod facimus, ea ratione facimus*) Inconsequens locutio, et obscura non minus est, quam illa in fine orationis pro Ligario; nisi forte *facimus* semel ponitur. — *Quum multa libidinose, multa crudeliter in cives atque socios*) A specie coepit, et subiunxit genus dicendo postea *in deos atque homines*; sed non est vitium, quod pro auxesi positum, non pro ratiocinatione est. — *Sestertium quadringenties*) Diximus de hac quaestione summae varise. In Divinatione enim sestertium millies dixit; quod solvimus, quod adhuc non erat insinuata criminum ratio Ciceroni; et quod ex persona Siciliae loquebatur, augere voluit veritatem; et quoniam ipse spe dupli vel quadrupli repetitionis, quantumvis accusatori progredi licuit. Nam quamvis sestertium octingenties dupli nomine exigi usus est, sestertium tamen quadringenties tantummodo repetitum est; ad gratiamne Hortensii, an suam, an etiam conniventia Ciceronis ipsius, parum comperimus. — *Dixi*) Moris veterum fuit, quum satis visum esset fluxisse verborum hanc sibi necessitatem finiendae orationis imponere, ut dicerent ad ultimum: *dixi*; quod etiam, ab utraque parte oratione consumpta, ut in consilium dimitterentur (34), praetor solebat pronuntiare: *dixerunt*; bene ergo Tullius denuntians adversariis compendium brevitatis hoc verbo usus est, *dixi*. Non autem ibi finitur prima actio; inducentur enim dehinc a Tullio testes, quorum verba in oratione conscribere, nullius elegantiae fuit. Multis autem diebus prima actio celebrata est, dum testes Verris producun-

Nunc id, quod facimus ea ratione) Vulgo sic legitur *nunc id, quod facimus* (*ea ratione facimus*, ut *malitiae illorum consilio nostro occurramus*) *necessario fieri intelligat.*

faciemus, ut hoc statuatis, etiamsi spatium ad dicendum nostro commodo, vacuosque dies habuissemus, tamen oratione longa nihil opus fuisse.

tur, criminum diversorum, dum recitantur publicae privetaeque literae; quibus rebus edeo stupefactus Hortensius dicitur, ut rationem defensionis omitteret; adeo perculsus Verres, ut in exsilium ebiret sua sponte; nec quid amplius in iudicio gestum est, nisi quod Tullius metuens, ne tantum negotium paene tacitum praeteriret, finxit Verrem comperendinationi praesto fuisse, ut bis defensus accusaretur iterum. Et quemadmodum victoriae consuluerat brevitate dicendi, ita laudem eloquentiae tanquam repetita accusatione est consequutus, reliquorum conscriptione librorum, qui ceteros consequuntur.

ACTIONIS SECVNDAE

IN C. VERREM

LIBER PRIMVS

DE

PRAETVRA VRBANA

ACTIONIS SECVNDAE

IN C. VERREM

LIBER PRIMVS

SVMMARIVM

Quum Cicero actione prima tabulis ac testibus Verrem HS quadringenties contra leges abstulisse docuisset, Hortensius patrocinium eius abiecit, Verres ipse ante quam ex comperendinatione causa iterum agi posset, in exsilium abiit.

Cicero autem perpetuam conscripsit actionem secundam, libris quinque divisam, in qua fingit Verrem comperendinatum in iudicio adesse, respondere, et defendi.

Ac primus quidem liber vulgo inscribitur de Praetura urbana; quum tamen in eo non de illa solum, verum etiam de quaestura in Gallia et legatione Asiatica agatur. Fuerunt olim, qui septem orationes Verrinas numerarent continuas; ita quidem ut primam appellarent Divinationem in Q. Caecilium, secundam Actionis primae prooemium. Cicero tamen ipse accusationis in Verrem quinque libros numerat Orat. c. 29. Idem faciunt alii veteres, ut Quintilianus XI, 11. Gellius Noct. Att. I, 7; XIII, 13. Auctor dialogi de oratoribus cap. 20. Iulius Rufinianus de figuris sent. c. 20.

Iam in primo actionis secundae (quam Cicero habitam esse fingit) libro ea Verris crimina pertractantur, quae commissa sunt ante praeturam Siciliensem.

In exordio Cicero mentionem facit opinionis, quae per hos dies sermone vulgi percrebruerit: Verrem altera actione responsurum non esse, neque ad iudicium affuturum; attamen eum adeo impudentem esse, ut praesto sit, ad audiendum et respondendum paratus. Hoc Cicero negat se moleste ferre, quia sic ipse laboris sui, iudices virtutis et severitatis maiorem fructum

latori sint. Se enim accessisse ad invidiam iudiciorum levandam ideoque reum nocentissimum accusare, qui si absolvatur, recusari non posse de iudiciis a senatu ad alium ordinem transferendis. Absolutionem vero eius nec ipsum sperare, nec populum romanum metuere; esse tamen qui de impudentia eius, quod adsit, quod respondeat, mirentur. Hoc autem fieri, quod scelerum suorum poenis agitetur, et a mente consilioque deducatur; c. 1—3. Etenim si vel ex hoc iudicio repetundarum emerserit, alia tamen ei pericula impendere, quum peculatus, aut maiestatis accusatus fuerit; c. 4, 5. Tum exponit orator, quid adhuc in accusando Verre egerit, quid a iudicibus speret, et quam rationem accusandi in hac altera actione sequuturus sit; c. 6—11.

Totius autem causae partitionem hanc facit, ut omissis pueritiae et adolescentiae Verris flagitiis, primum se de eius quaestura in Gallia, deinde de legatione Asiatica, tum de praetura urbana, postremo de praetura Siciliensi acturum denuntiet; c. 12.

Primo igitur actionis secundae libro tria priora capita pertractantur.

Ac primum quidem agitur de eius quaestura in Gallia. Quum enim quaestor ex SCto provinciam sortitus esset consularem, additusque esset consuli Cn. Papirio Carboni A. V. C. 669, venit in Galliam ad exercitum consularem cum pecunia publica, quam prima occasione data avertit, et consulem, exercitum, sortem provinciamque deseruit; rationes male reddidit. Et postea, quum eum Cn. Dolabella, C. Malleolo occiso, pro quaestore haberet, quae in ipsum valebant crimina, in illum contulit, et in eum inimicissimum atque improbissimum testimonium dixit; c. 13—16.

Secundo loco agitur de legatione eius Asiatica. Quum enim Cn. Dolabellae provincia Cilicia obtigisset, Verres legationem sibi apud eum cupidissime expugnavit. Qua in legatione quae furta fecerit in Achaia, Deli, in Asia narratur; c. 17—23. Deinde quae fuerint eius flagitia in libidinibus et stupris exponitur, inprimis insigne facinus Lampsacenum. Quum enim Lampsaci devertisset ad Philodamum hominem nobilem, filiae eius vim inferre voluit, et quum Lampsaceni Philodamo eiusque filio ita succurrerent, ut Verres ipse vix salvus evaderet, per Dolabellam apud C. Neronem Asiae praetorem effecit, ut Philodamus eiusque filius damnarentur, et securi percuterentur; c. 24—33. Sequitur

avaritiae exemplum apud Milesios, quibus praeter lanam publicam ablatam, iniquos sumptus in adventum, contumelias et iniurias in magistratum Milesium, myopanorem pulcherrimum abstulit et vendidit; c. 34, 35. C. Malleolo, quaestore Cn. Dolabellae occiso, a Dolabella proquaestor iussus est esse; simulque pupilli Malleoli tutor factus, in eius bona scelestissime impetum fecit, et quum HS vicies quinquies redegisse constaret, ut Romam rediit, nullam libellam pupillo, nullam matri eius, nullam tutoribus reddidit; c. 36, 37. Pro quaestore vero Milyadum, Lyciam, Pamphyliam, Pisidiam, Phrygiamque frumento imperando, aestimando, aliisque rationibus pecuniam exigendo vexavit; c. 38, 39.

Postremo loco crimina a Verre in praetura urbana commissa pertractantur, ubi primum docetur, qualis in edicto constituendo fuerit, exemplis edictorum de mulierum hereditatibus, c. 40—44, et de hereditatum possessionibus, c. 45, 46; deinde quae eius crudelitas et superbia in plebem romanam fuerit, quae decretorum novitas et iniquitas, c. 47, 48; tum quomodo in sartis tectis exigendis versatus sit, c. 49, inprimis in aede Castoris, quam quum tuendam habuisset P. Iunius, post eius mortem filium impuberem nova locatione omnibus bonis patriis exuit; c. 50—59. Denique quomodo publicum iudicium exercuerit; c. 60 sqq. Verum huius partis pleraque una cum ceteris usque ad finem libri primi interciderunt.

I.

Neminem vestrum ignorare arbitror, iudices, hunc per hosce dies sermonem vulgi, atque hanc opinionem populi romani fuisse, C. Verrem altera actione

Asconii Pediani, et Anonymi vetusti notae

Cap. I. *Neminem vestrum ignorare arbitror*) Hoc totum figmentum est Ciceronis, ut sequentium librorum vera actio videatur. Nam Verres iam sua sponte elegit exsilium. Asc. — *Neminem vestrum*) Genus causae anceps. Propositio. Anon. — *Hunc per hosce dies*) Qui fuerunt post primam actionem usque ad principium secundae. Id. — *Sermonem vulgi*) Vulgus est

Opinionem populi) Nonnulli libri vett., teste Hotomanno, *vulgo et populo*. At Quintilian. IX, 4 cum vulgata consentit.

responsurum non esse, neque ad iudicium affuturum. Quae fama non idcirco solum emanarat, quod iste certo statuerat ac deliberaverat non adesse: verum etiam, qúod nemo quemquam tam audacem, tam amentem, tam impudentem fore arbitrabatur, qui tam nefariis criminibus, tam multis testibus convictus, ora iudicum adspicere, aut os suum populo romano ostendere auderet. Est idem Verres, qui fuit semper; ut ad audendum proiectus, sic paratus ad audiendum. Praesto est; respondet; defenditur. Ne hoc quidem sibi reliqui facit, ut in rebus turpissi-

extrema pars populi. In populo etiam boni continentur. Singulis ergo propria dedit: vulgo sermonem, popolo opinionem. Inest enim in opinione auctoritas. Nam vulgus loquitur, populus opinatur legem condendo. Id. — *Responsurum*) Fingit illum praesentem esse, ille autem exierat. Id. — *Ad iudicium affuturum*) Bene dixit, *affuturum*, quia poterat adesse, et non respondere. Id. — *Emanarat*) Effluxerat. Metaphora ab aquis. Id. — *Quod iste certo statuerat*) Statuere est aliquid proponere, de quo deliberetur. Quum ergo aut subito aliquid facimus aut consilio habito. Ostendit Verrem consilio habito fugam cogitasse. Deliberatio est statutae causae et propositae plena perfectio. Id. — *Convictus ora iudicum aspiceret*) Quasi sententiam ferentium, quod iudices attendunt litigatorum (causas) dicentes sententiam. Id. — *Populo romano ostendere auderet*) Impudens esset, si tantummodo venisset; impudentior nunc est, qoia et loqui voluit. Id. — *Proiectus*) Facilis, pronus. Id. — *Sic paratus ad audiendum*) Vt et de eo audiatur, et ut ipse de alio audiat, sed hic *ad audiendum* dixit, id est ut audiator de eo. Id. — *Respondet*) Recte dictum est *respondet*, nam apod veteres et iodices et rei accusatores, et defensores citabantur a praecone praetoris. Asc. — *Defenditur*) Patronorum impudentia notator, quia tam nocentem defendunt. Anon.

Certo) Volgo *certe.*

Tam multis testibus convictus) Sic est ap. Schol. Anon. Priscian. P. II, 55, ed. Putsch. MSS. Cuiac. et Guelf. et recepit Lambinus. Codd. Pall. al. *evictus*, quod hoc sensu alibi apud Cic. non occurrit; defenditur tamen ab Ernestio et Beckio, ut exquisitius.

Sic paratus) Cuiacii liber non agnoscit vocem *paratus*, quae Grutero videbatur abesse posse, ut subintelligatur *proiectus*. Eum recte refutavit Graevius, quia *proiectus ad audendum* est homo *proiectae audaciae*; *proiectus ad audiendum* nemo dixerit; *paratus* vero *ad audiendum* h. l. est, qui promptus est ad quidvis probrom audiendom; qui nullo pudore probrorum sibi obiectorum suffunditur.

mis, quum manifesto teneatur, si reticeat, et absit, tamen impudentiae suae pudentem exitum quaesisse videatur. Patior, iudices, et non moleste fero, me laboris mei, vos virtutis vestrae fructum esse laturos. Nam si iste id fecisset, quod primo statuerat, ut non adesset: minus aliquanto, quam mihi opus esset, cognosceretur, quid ego in hac accusatione comparanda constituendaque elaborassem; vestra vero laus tenuis plane atque obscura, iudices, esset. Neque enim hoc a vobis populus romanus exspectat, neque eo potest esse contentus, si condemnatus sit is, qui adesse noluerit; et si fortes fueritis in eo, quem nemo sit ausus defendere. Immo vero adsit, respondeat; summis opibus, summo studio potentissimorum hominum defendatur; certet mea diligentia cum illo-

— *Si reticeat et absit*) Si tacendo in exsilium isset spontaneum. Id. — *Patior iudices et non moleste fero*) Moraliter (1) loquutus est; nam nemo est qui moleste ferat fructum laboris sui. Id. — *Patior iudices*) Quum dolere debuerit, resisti sibi, pati et aequo animo ferre dicit, ut pugnam victoria consequatur. Asc. — *Virtutis vestrae fructum esse laturos*) Nam fructus accusatoris erit, si optimus videatur accusator; iudicum, si non corruptionis notentur infamia. Anon. — *Minus aliquanto quam mihi opus esset*) Ad fructum consequendum, id est, ad bonam opinionem comparandam. Id. — *In hac accusatione comparanda*) Quando crimina colligebam. Omnes enim ex hac accusatione cognoscunt, quod improbos omnes, non solum Verrem odio habeo; quod minima fuisset, si Verres abesset. Id. — *Constituenda*) Quando incipiat accusatio; quando dies petitur ad accusationem, ut praesens condamnetur. Id. — *Tenuis plane atque obscura, iudices, esset*) si absens condemnatus esset, *tenuis* res vel videtur ex parte, *obscura* non videtur. Ergo per αὔξησιν dicit *tenuis atque obscura*. Id. — *In eo quem nemo sit ausus defendere*) Ideo *in eo* dixit, et non *in eum*, quia hoc in utrumque casum profertur; sicut Virgilius: *Talis in hoste fuit*; quum *in hostem* Priamum dicere debuit. Nam si praesenti repugnetis et condemnetis eum, ubi omnia comprobatur integritas, nam absens ideo potest videri condemnatus quia se redimere noluit. Id. — *Potentissimorum hominum defendatur*) Optat contendere cum adversariis, ut ex maiore certamine gloriosam victoriam sortiatur. Id. — *Cum illorum omnium cupiditate*) Id est, qui volunt illum

Quod primo statuerat) *prius* Lamb.

rum omnium cupiditate; vestra integritas cum istius pecunia; testium constantia cum illius patronorum minis atque potentia. Tum demum illa victa videbuntur, quum in contentionem certamenque venerint. Absens si iste esset damnatus, non tam ipse sibi consuluisse, quam invidisse vestrae laudi videretur. Neque enim salus ulla rei publicae maior hoc tempore reperiri potest, quam populum romanum intelligere, diligenter reiectis ab accusatore iudicibus, socios, leges, rem publicam, senatorio consilio maxime posse defendi: neque tanta fortunis omnium pernicies potest accidere, quam opinione populi romani rationem veritatis, integritatis, fidei, religionis, ab hoc ordine abiudicari.

II. Itaque mihi videor, iudices, magnam et maxime aegram, et prope depositam rei publicae partem

absolvi. Id. — *Cum istius pecunia*) Corrupto iudicio, quia conatur corrumpere iudices. Id. — *Patronorum minis*) *Minae* defensiones, *potentia* pecunia. Id. — *In contentionem certamenque*) Quod sine certamine gloria non potest comparari. Id. — *Sibi consuluisse*) Quod impudentem exitum quaesierit. Id. — *Neque enim salus ulla rei publicae*) Conclusio. Id.

Cap. II. *Neque enim salus ulla rei publicae maior est*) Eadem repetit, quae in prima actione dicta sunt, e re publica esse damnari Verrem. Asc. — *Hoc tempore reperiri*) Quod dixit iudicia non integra celebrari. Anon. — *Diligenter reiectis*) Reiectos iudices pro electis intelligi convenit. Ibi enim reiectio iudicum, ubi et retentio continetur. In reiectione autem accusatoris vel fides accusationis vel praevaricationis perfidia, ut supra dixi, apparet. Asc. — *Pernicies ulla*) Ideo pernicies omnium; quasi haec suspicio iudiciorum sublata fuerit. Incipit populus de transferendis iudiciis contendere, contradicentibus senatoribus. Necesse est oriatur seditio. Anon. — *Veritati*) Iustitiae. Id. — *Integritatis*) Propter corruptionem. Id. — *Fidei, religioni*) Quia iurabant. Id. — *Hoc ordine abiudicari*) Notandum est, quod ubi est vituperatio, *ordinem* dixit, ubi laus *iudices*, ne eorum offensionem incidat. Simul hoc quod noluit dicere transferri iudicia quasi omen fugiens, iudicio abalienari, quod est, abiudicari. Id. — *Itaque mihi videor*) Secundum prooemium. Id. — *Et prope depositam*) In ultimo positam, desperatam, ut re-

Potest accidere) Recte sic corr. Ruhnk. ad Rutil. Lup. p. 3. Vulgo *accedere*.

Iudices) Vulgo omittitur; auctoritate Nonii Marcelli verb. *deponere* restituerunt Lamb., Beck.

suscepisse; neque in eo magis meae, quam vestrae laudi existimationique servisse. Accessi enim ad invidiam iudiciorum levandam, vituperationemque tollendam: ut, quum haec res pro voluntate populi romani esset iudicata, aliqua ex parte mea diligentia constituta auctoritas iudiciorum videretur: postremo, utut esset hoc iudicatum, ut finis aliquando iudiciariae controversiae constitueretur. Etenim sine dubio, iudices, in hac causa ea res in discrimen adducitur. Reus est enim nocentissimus: qui si condemnatur, desinent homines dicere, his iudiciis pecuniam plurimum posse; sin absolvitur, desinemus nos de iudiciis transferendis recusare.

III. Tametsi de absolutione istius neque ipse iam sperat, nec populus romanus metuit; de impudentia singulari, quod adest, quod respondet, sunt qui mirentur; mihi, pro cetera eius audacia atque amentia, ne hoc quidem mirandum videtur. Multa enim et in deos et in homines impie nefarieque com-

creari non possit. Virgilius Aen. XII, 395: *ille ut depositi deferret fata parentis.* Id. — *Partem*) Iudiciorum scilicet. Id.

Desunt multa in Anonymo.

Postremo ut esset hoc iudicatum) Subauditur *accessi*, ἀπὸ κοινοῦ, ad omnia, quibus hoc verbum in hac sententia convenit. Ascon. — *Homo est enim nocentissimus*) Terentius Eun. V, 8, 48: *et habet, quod det, et dat nemo largius*; et de persona: *fatuus, insulsus, tardus stertit*, Eun. V, 8, 49.

Cap. III. *Impie nefarieque commisit*) Nefandum est non fandum; nefarium, quod sacra polluit ferrepio solita celebrari. Ergo neferii sacrilegi.

Vtut esset hoc iudicatum) Lamb. placebat *quum esset hoc iudicatum*. Mureto *utut esset h. i.* Sed Gronovius Obss. III, 6 docuit, *ut* saepe idem esse ac *utut* sive *utcunque*. Quod, etsi verissimum est, tamen h. l. obscuritatem parit *ut esset*, quia particula *ut* paulo ante, et statim alio sensu ponitur. Pro *ut finis* Ern. coni. *ita finis*, ut sensus sit: prout causa Verris iudicaretur, ita res de iudiciis decerneretur. Equidem Mureto obsequutus sum. Sensus est: *denique ut brevi omnia complectar, utcunque hoc esset iudicatum, ut finis aliquando iudiciariae controversiae constitueretur*, h. e. ut *haud amplius disceptaretur utrum iudicia sint a senatu ad alium*

misit: quorum scelerum poenis agitatur, et a mente consilioque deducitur. Agunt eum praecipitem poenae civium romanorum: quos partim securi percussit, partim in vinculis necavit, partim implorantes iura libertatis et civitatis in crucem sustulit. Rapiunt eum ad supplicium dii patrii: quod iste unus inventus est, qui e complexu parentum abreptos filios ad necem duceret, et parentes pretium pro sepultura liberum posceret. Religiones vero caerimoniaeque omnium sacrorum fanorumque violatae, simulacraque deorum, quae non modo ex suis templis ablata sunt, sed etiam iacent in tenebris, ab isto retrusa atque abdita, consistere eius animum sine furore atque amentia non sinunt. Neque iste mihi videtur se ad damnationem offerre solum, neque hoc avaritiae supplicio communi, qui se tot sceleribus obstrinxerit, contentus esse; singularem quandam poenam istius immanis atque importuna natura desiderat.

— *Agunt eum praecipitem*) Proprium Ciceronis et in orationibus et in dialogis, et in epistolis saepius eandem sententiam dicere, et uti eloquentiae (2) diversis modis in iisdem sententiis, tamen ab aliqua occasione repetitis. Nam et hic repetitio furoris, in qua videtur insaniae Verris causam velle demonstrare. Est enim hic locus de suppliciis irrogatis; ubi ostendit cives Romanos Verrem pro praedonibus occidisse. — *Religiones vero caeremoniaeque*) De signis et furtis tacet modo, quasi minus idoneos ad furorem avaritiae. — *Supplicio communi*) Aestimatione litis et exsilio. — *Cui da-*

ordinem transferenda. Sic *postremo* ap. Terent. Eun. II, 2, 21.

Ea res in discrimen adducitur) sc. an iudicia penes ordinem senatorium manere debeant, necne.

Desinent homines dicere) Ita MS. Gu. Franc. 1 edd. pr. At Lambin., Grut. *omnes*, minus bene.

Poenis agitatur) Dorvillius apud Burm. ad Virg. Aen. IV, 471, *poenas* hic accipiebat pro *Furiis*. Sane paulo post *Poenae civium Romanorum* sic possent intelligi, quia deinde sequitur: *Rapiunt eum ad supplicium dii patrii.* Attamen, quia vix uno loco in Pison. c. 37, poena sic usurpatur ap. Ciceronem, praestat a vulgari significatione haud discedere.

Quod iste unus inventus est) Vulg. omittitur *unus*. Addiderunt Lamb. et Beck. auctoritate Prisciani p. 742 et 1155.

Qui e complexu) *qui et e complexu* Priscian. p. 1155, quod recepit Beck.

Non id solum quaeritur, ut, isto damnato, bona restituantur iis, quibus erepta sunt: sed et religiones deorum immortalium expiandae, et civium romanorum cruciatus, multorumque innocentium sanguis, istius supplicio luendus est. Non enim furem, sed ereptorem; non adulterum, sed expugnatorem pudicitiae; non sacrilegum, sed hostem sacrorum religionumque; non sicarium, sed crudelissimum carnificem civium sociorumque, in vestrum iudicium adduximus: ut ego hunc unum eiusmodi reum post hominum memoriam fuisse arbitrer, cui damnari expediret.

IV. Nam quis hoc non intelligit, istum absolutum, diis hominibusque invitis, tamen ex manibus populi romani eripi nullo modo posse? Quis hoc non perspicit, praeclare nobiscum actum iri, si populus romanus istius unius supplicio contentus fuerit, ac non sic statuerit, non istum maius in sese scelus concepisse, quum fana spoliarit, quum tot homines innocentes necarit, quum cives romanos morte, cruciatu, cruce affecerit; quum praedonum duces, accepta pecunia, dimiserit; quam eos, si qui istum,

mnari expediret) Quia minor in damnatione (ex iudicio de repetundis) poena, quam in concione populi romani, et in eorum animadversione.

Cap. IV. *Non istum maius in sese scelus*) Non istum modo terret, sed subtiliter etiam iudicibus comminatur. — Nam si absolvitur a vobis, ad populi iudicium adducetur, morte multandus propter ius libertatis et civitatis civium Romanorum nece imminutum. Observabitis, *primo*, populi solius potestatem fuisse civem morte damnandi. *Secundo*, ubi multatio bonorum

Sed ereptorem) *raptorem* Quintil. Inst. or. VIII, 4, ubi tamen quidam codd. habent *ereptorem*. Et alibi *ereptor* ap. Cic. occurrit, ut pro Quint. c. 8.

Contentus fuerit) *fuerit* recte reposuit Ern. auctoritate MS. Gu. et Priscian. lib. 19, p. 1155, ed. Putsch pro vulg. *erit*. Sequitur enim *statuerit*.

tot, tantis, tam nefariis sceleribus coopertum, iurati sententia sua liberarint? Non est, non est in hoc homine cuiquam peccandi locus, iudices: non is est reus, non id tempus, non id consilium, (metuo ne quid arrogantius apud tales viros videar dicere) ne actor quidem est is, cui reus tam nocens, tam perditus, tam victus, aut occulte surripi, aut impune eripi possit. His ego iudicibus non probabo, C. Verrem contra leges pecunias cepisse? sustinebunt tales viri, se tot senatoribus, tot equitibus romanis, tot civitatibus, tot hominibus honestissimis ex tam illustri provincia, tot populorum privatorumque literis non credidisse? tantae populi romani voluntati restitisse? Sustineant. Reperiemus, si istum vivum ad aliud iudicium perducere poterimus, quibus probemus, istum in quaestura pecuniam publicam, Cn. Carboni consuli datam, avertisse: quibus persuadeamus, istum alieno nomine a quaestoribus urbanis, quod priore actione didicistis, pecuniam abstulisse. Erunt, qui et in eo quoque audaciam eius reprehendant, quod aliquot nomini-

erat, supplicium in corpus irrogari non solere. Hortens. — *Non is reus*) qui est nocentissimus. — *Non id tempus*) Quod invidiosum senatui est. — *Non id consilium*) Quod ex optimis viris tale est, ut si quid in ipso culpae fuerit, sperari melius ex senatu non possit. — *Ne actor quidem*) Tullius scilicet, in quo omnia ad vincendum parata. — *Ad aliud iudicium*) Populi scilicet et equitum Romanorum. — *Alieno nomine a quaestoribus urbanis*) Quaestores urbani aerarium curabant, eiusque pecunias expensas et acceptas in tabulas publicas referre consueverant. *Alieno* autem *nomine* dicit, Carbonis nomine et exercitus eius; nam consulis et militum eius nomine pecunias ex aerario sumptas avertit, conversus ad Sullam bellis civilibus. Vel *alieno*

Alieno nomine) I. Gronovius corrigendum putabat *empti frumenti nomine*; frustra. Non enim haec pertinent ad praeturam Siciliensem, sed ad illud tempus, quo Cn. Carboni proquaestor Verres additus erat, et ad aversam pecuniam publicam, de qua agitur infra c. 14; *alieno nomine* est *falso*. Nam in rationibus relatis falsis nominibus expensae pecuniae publicae usus erat.

bus de capite, quantum commodum fuerit, frumenti decumani detraxerit. Erunt etiam fortasse, iudices, qui illum eius peculatum vel acerrime vindicandum putent, quod iste M. Marcelli et P. Africani monumenta, quae nomine illorum, re vera populi romani et erant, et habebantur, ex fanis religiosissimis, ex urbibus sociorum atque amicorum non dubitaverit auferre.

V. Emerserit ex peculatus etiam iudicio: meditetur de ducibus hostium, quos accepta pecunia liberavit; videat, quid de illis respondeat, quos in eorum locum subditos domi suae reservavit. Quaerat non solum, quemadmodum nostro crimini, verum etiam quo pacto suae confessioni possit mederi. Meminerit, se priore actione, clamore populi romani infesto atque inimico excitatum, confessum esse, duces a se praedonum securi non esse percussos; se iam tum esse veritum, ne sibi crimini daretur, eos ab se pecunia liberatos. Fateatur id, quod negari non potest, se, privatum hominem, praedonum duces vivos atque incolumes domi suae, posteaquam Romam redierit,

nomine ad frumenti emptionem, quod Siculis non persolvit (3). — *De capite*) Hoc in Sicilia fecit gratiosus in decumanos, ut frumentum in auctione promissum ab decumanis usibus populi Romani (quum illi freti Verris gratia licerentur quam plurimo) de summa detraxerit, minusque eos inferre passus sit annonae populo Romano, quod illicitum probatur multis documentis. — *M. Marcelli et P. Africani monumenta*) Signa concessa et reportata Siculis a M. Marcello et Scipione Africano. Nam Marcellus donavit, quae victis Siculis ademerant Poeni.

CAP. V. *Meditetur de ducibus hostium*) Hic crimen de suppliciis esse cognoscitur; in hoc enim libro haec latius explicantur. — *Alios in eorum locum subditos*) Captis praedonum ducibus Verres illos quidem remisit accepto pretio; pro illis autem mercatores innocentissimos partim trucidavit, partim domi suae privatim reservavit, quod diceret, timuisse se, ne sibi

Ex urbibus) *at ex urbibus* Lamb. — *Reservavit*) *reservarit* idem Lamb.

usque dum per me licuerit, tenuisse. Hoc, in illo maiestatis iudicio si licuisse sibi ostenderit, ego oportuisse concedam. Ex hoc quoque evaserit: proficiscar eo, quo me iampridem vocat populus romanus. De iure enim libertatis et civitatis suum putat esse iudicium; et recte putat. Confringat iste sane vi sua consilia senatoria; quaestiones omnium perrumpat; evolet ex vestra severitate: mihi credite, arctioribus apud populum romanum laqueis tenebitur. Credet iis equitibus romanis populus romanus, qui ad vos antea producti testes, ipsis inspectantibus, ab isto civem romanum, qui cognitores homines honestos daret, sublatum esse in crucem dixerunt. Credent omnes v et xxx tribus homini gravissimo atque ornatissimo M. Annio, qui, se praesente, civem romanum securi percussum esse dixit. Audietur a populo romano vir primarius, eques romanus, L. Flavius, qui suum familiarem Herennium, negotiatorem ex Africa, quum eum Syracusis amplius centum cives romani cognoscerent, lacrymantesque defenderent, pro testimonio dixit, securi esse percussum. Probabit fidem,

crimini daretnr, eos ipsos a se pecunis liberstos esse. — *Vsque dum per me licuerit*) Quantum iu ipso fuerit. Au hoc? Domi suae privatus, quod est msiestatis crimen, hostes pnblicos habere non dubitavit, sed fiuem fecit huius audaeise me cogente, qui instili, ut de eius domo in publicam custodiam ducerentur. — *Quo me iam pridem vocat populus Romanus*) Se dieit, quia aedilis est factus, ut defendat libertatem populi Romani (4). — *Qui cognitores homines*) Hoc genus defensoris in iure *cognitor* dieitur, maxime quum de alicnius statu agitur. Ipse alibi: *cognitorem iuris sui.* — *Quinque et XXX*) Ac per bas totus populus Romsuus. Tribus principio tres fuerunt, Tatiensis una, a Tatio rege, Ramnes (5) altera a Romulo, Luceris altera a Lucumone, sine Lucretino, sive a luco, qnem lucum Asylum vocaverat Romulus. Post de nominibus Sabinarum plures factae, quibus deprecatricibus parentum bellum maritorumque finitum est. Ad postremum XXX et V factae. Obtinuerunt autem nomen aut a tributo dando, aut quia primo tres fuerunt,

Tenuisse) *retinuisse* Lamb.

Qui cognitores homines) *cognitores* sunt, qui homini, si res exigebat, testimonium dabant de eius statu, ac illum nosse. Senecae *notores*. Gr.

et auctoritatem, et religionem suam L. Suetius, homo omnibus ornamentis praeditus, qui iuratus apud vos dixit, multos cives romanos in lautumiis istius imperio crudelissime per vim morte esse multatos. Hanc ego causam quum agam beneficio populi romani, de loco superiore, non vereor, ne aut istum vis ulla ex populi romani suffragiis eripere, aut a me ullum munus aedilitatis amplius aut gratius populo romano esse possit.

VI. Quapropter omnes in hoc iudicio conentur omnia: nihil est iam, quod in hac causa peccare quisquam, iudices, nisi vestro periculo, possit. Mea quidem ratio, quum in praeteritis rebus est cognita, tum in reliquis explorata atque provisa est. Ego meum studium in rem publicam iam illo tempore ostendi, quum longo intervallo veterem consuetudinem retuli, et rogatu sociorum atque amicorum populi romani, meorum autem necessariorum, nomen hominis audacissimi detuli. Quod meum factum lectissimi viri atque ornatissimi (quo in numero e vobis complures fuere) ita probarunt, ut ei, qui istius quaestor fuisset, et ab isto laesus inimicitias iustas perseque-

unde etiam tribuni dicti. — *Religionem*) Quia iurati testes dicebant. — *Latumiis*) Latumiae carcer Syracusis. Latumiae autem lingua Siculorum lapicidinae dicuntur, id est, loca caesia lapidibus execta. — *De loco superiore*) De rostris, quippequi aedilis sum factus.

Cap. VI. *Quo in numero e vobis complures fuerunt*) Alia enim sortitione nunc sedent; alis (6) in divinatione constituendi accusatoris fuit. — *Inimicitias iustas*) Ad aliud argumentum victoriam suam interpretatus, sim-

De loco superiore) nempe ut aedilis, pro Rostris.

Munus aedilitatis) Notata est a vetaribus Grammaticis amphibologis, in qua iocus latet salsissimus. Aediles enim munus edebant, i. e., ludis exhibebant ferarum peregrinarum diversa genera, populo gratiosissimum spectaculum. Aedilis Cicero exhibebit Verrem notissimam feram. Men.

Iam illo tempore) Vrsinus coni. *iam tum illo tempore*, quia in cod. MS. invenerat *tantum illo tempore*.

Vt ei) nempe Caecilio,

retur, non modo deferendi nominis, sed ne subscribendi quidem, quum id postularet, facerent potestatem. In Siciliam sum inquirendi causa profectus. Quo in negotio industriam meam celeritas reditionis, diligentiam multitudo literarum et testium declaravit; pudorem vero ac religionem, quod, quum venissem senator ad socios populi romani, qui in ea provincia quaestor fuissem, ad hospites meos ac necessarios causae communis defensor deverti potius, quam ad eos, qui a me auxilium petivissent. Nemini meus adventus labori, aut sumptui, neque publice, neque privatim, fuit. Vim in inquirendo tantam habui, quantam mihi lex dabat, non quantam habere poteram istorum studio, quos iste vexarat.

VII. Romam ut ex Sicilia redii, quum iste, atque istius amici, homines lauti et urbani, sermones huiuscemodi dissipassent, quo animos testium retardarent, me magna pecunia a vera accusatione esse deductum, tametsi probabatur nemini, quod et ex Sicilia testes erant ii, qui quaestorem me in provincia cognoverant, et hinc homines maxime illustres, qui, ut ipsi noti sunt, sic nostrum unumquemque optime norunt: tamen usque eo timui, ne quis de mea fide atque in-

pliciter fatetur, quod in Divinatione expugnaverat, non idoneam fuisse causam accusandi Verris Caecilio commentitiam simultatem. An *iustas inimicitias* magnas dicit? Vt a contrario Virgilius (*Georg. III*, 347):

Iniusto sub fasce viam dum carpit.

Quum id postularet) Bene addidit, quia in Divinatione huiusce rei mentio facta non erat. — *Vim in inquirendo tantam habui*) Dicit plura crimina inveniri potuisse, quam inventa sunt, si vellet Tullius non ad legem repetundarum inquisitionem facere, sed ad universa, quae commiserat Verres. Nam certe quantum abstulerit ex Sicilia Verres, non quantum flagitii commiserit, dicere accusatorem causa compellit. — *Ne quis de mea fide*) Et

Deverti) Sic Lambin. e codd. Vulg. *diverti*. Lambinum sequuti sunt edd. posteriores.

Tametsi probabatur nemini) Ern. coni. *probabantur*, scil. sermones.

tegritate dubitaret, donec ad reiiciendos iudices venimus. Sciebam in reiiciendis iudicibus nonnullos, memoria nostra, pactionis suspicionem non vitasse, quum ipsa in accusatione eorum industria ac diligentia probaretur. Ita reieci iudices, ut hoc constet, post hunc statum rei publicae, quo nunc utimur, simili splendore et dignitate consilium nullum fuisse. Quam iste laudem communem, ait, sibi esse mecum; qui quum P. Galbam iudicem reiecisset, M. Lucretium retinuit; et, quum eius patronus ex eo quaereret, cur suos familiarissimos, Sex. Peducaeum, Q. Considium, Q. Iunium reiici passus esset: respondit, quod eos in iudicando nimium sui iuris sententiaeque cognosset. Itaque iudicibus reiectis, sperabam, iam onus meum vobiscum esse commune; putabam non solum notis, sed etiam ignotis probatam meam fidem

Verris pecuniosi rapinis invidiosum, et apud iudices plurimum valet; ut non sine causa de constantia Cicero dubitare videatur. Et valet ad suspicionem magnopere, immo opinionem vel potius fidem redempti Hortensii et fautorum Verris ad defensionem eius, quo se quoque e suspicione hominum non excepit Tullius. — *Sciebam in reiiciendis iudicibus*) Multi, inquit, ita subtiles fuerunt praevaricatores, ut in tota actione fideles actores esse viderentur; qui tamen non effugerent suspiciones hominum, quum in reiiciendis iudicibus versarentur. Reiiciens enim malos, et retinens bonos, verus accusator intelligitur. Qui vero contra facit, ut sit impedimento ceteris, et si rem asto legat, facile tamen de hoc intelligitur, quod praevaricator exsistat. Et est bona occasio cum causa laudandi iudices oratoris. — *Post hunc statum rei publicae quo nunc utimur*) Qui est per X annos, ex quo Sulla vicit, ex quo iudicat senatus. — *Quam iste laudem*) Vitat argumentum, quod ipse Rhetoricorum primo reprehendit, et commune appellavit. — *Qui quum P. Galbam iudicem reiecisset*) bonum. — *M. Lucretium retinuit*) malum scilicet. Sed tamen scire vos convenit hunc Lucretium a Cicerone esse reiectum. Neque enim praesentem iudicem vituperare fas fuit. — *Re-*

Ad reiiciendos iudices) *reiiciundos* vet. cod. Lambin.

In reiiciendis) *reiiciundis* editio Graev.

Ita reieci, iudices) Franc. 1 *reiecti.*

Post hunc statum reipublicae) Recte Asconius: *qui est per X annos ex quo Sulla vicit, et quo iudicat Senatus.*

Cognosset) Vulgo *cognosceret*. Re-

esse et diligentiam. Quod me non fefellit. Nam comitiis meis, quum iste infinita largitione contra me uteretur, populus romanus iudicavit, istius pecuniam, quae apud me contra fidem meam nihil potuisset, apud se contra honorem meum nihil posse debere. Quo quidem die primum, iudices, citati in hunc reum consedistis, quis tam inimicus huic ordini fuit, quis tam novarum rerum, iudiciorum iudicumque cupidus, qui non conspectu consessuque vestro commoveretur? Quum in eo vestra mihi dignitas fructum diligentiae referret, id sum assequutus, ut una hora, qua coepi dicere, reo audaci, pecunioso, profuso, perdito, spem iudicii corrumpendi praeciderem; ut primo die testium tanto numero citato populus romanus iudicaret, ipso absoluto rem publicam stare non posse; ut alter dies amicis istius ac defensoribus non modo spem victoriae, sed etiam voluntatem defensionis auferret; ut tertius dies sic hominem prosterneret, ut, morbo simulato, non, quid responderet, sed, quemadmodum non responderet, deliberaret; deinde reliquis diebus, his criminibus, his testibus, et urbanis et provincialibus sic obrutus atque oppressus est, ut his ludorum diebus interpositis, nemo istum comperendinatum, sed condemnatum iudicaret.

VIII. Quapropter ego, quod ad me attinet, iudices, vici: non enim spolia C. Verris, sed existimatio-

iici passus esset) Ac per hoc reiecisset ipse. — *Contra honorem meum nihil posse*) Quia non sum aedilitate deiectus. — *Deinde reliquis diebus*) Apparet, multis diebus prima actione accusatum productis testibus Verrem.
CAP. VIII. *Non enim spolia C. Verris*) Vt quadruplator, qui de condemnati

cte autem Ern. plusquam perfecto opus esse intellexit.
Quis tam inimicus) Nonnulli co- dices, teste Lambino, *iniquus*.
Conspectu) MSS. Lamb. *adspectu*.

nem populi romani concupivi. Meum fuit cum causa accedere ad accusandum: quae causa fuit iustior, quam a tam illustri provincia defensorem constitui et deligi? — rei publicae consulere: — quid iam rei publicae honestius, quam in tanta invidia iudiciorum adducere hominem, cuius damnatione totus ordo cum populo romano et in laude et in gratia possit esse? — ostendere ac persuadere, hominem nocentem adductum esse: — quis est in populo romano, qui hoc non ex priore actione abstulerit, omnium ante damnatorum scelera, furta, flagitia, si in unum locum conferantur, vix cum huius parva parte aequari conferrique posse? Vos, quod ad vestram famam, existimationem, salutemque communem pertinet, iudices, prospicite atque consulite. Splendor vester facit, ut peccare sine summo rei publicae detrimento ac periculo non possitis. Non enim potest sperare populus romanus, esse alios in senatu, qui recte possint iudicare, vos si non potueritis. Necesse est, quum de toto ordine desperarit, aliud genus hominum atque aliam rationem iudiciorum requirat. Hoc si vobis ideo levius videtur, quod putatis onus esse grave et incommodum, iudicare: intelligere debetis primum, interesse, utrum id onus vosmet ipsi reieceritis, an, quod probare populo romano fidem vestram et religionem non potueritis, eo vobis iudicandi potestas

bonis ipse aliquid sumam. — *Sed existimationem*) Vt bonus civis existimarer. — *Cum causa*) Cui rei contrarium est *sine causa*. — *Rei publicae consulere*) Subaudiendum est ad omnia *meum fuit*. — *Abstulerit*) Pro certo

Quae causa fuit iustior) codd. aliquot ut Oxonn. ψ. *illustrior*.

Reipublicae consulere) Graevius in textu posuit *reipublicae consulere?* In notis probat lectionem cod. Franc. 1 *constitui et deligi reipublicaeque consulere*. Recte iam Asconius monuit verba *reipublicae consulere* a superioribus verbis *meum fuit* pendere.

Intelligere debetis primum) Sic

erepta sit. Deinde etiam illud cogitate, quanto periculo venturi simus ad eos iudices, quos propter odium vestri populus romanus de vobis voluerit iudicare. Verum vobis dicam id, quod intellexi, iudices. Homines scitote esse quosdam, quos tantum odium vestri ordinis teneat, ut hoc palam iam dictitent, se istum, quem sciant esse hominem improbissimum, hoc uno nomine absolvi velle, ut ab senatu iudicia per ignominiam turpitudinemque auferantur. Haec me, iudices, pluribus verbis vobiscum agere coëgit non timor meus de vestra fide, sed spes illorum nova, quae quum Verrem a porta subito ad iudicium retraxisset, nonnulli suspicati sunt non sine causa illius consilium tam repente esse mutatum.

IX. Nunc, ne novo querimoniae genere uti possit Hortensius, et ita dicere, opprimi reum, de quo nihil dicat accusator; nihil esse tam periculosum fortunis innocentium, quam tacere adversarios; et ne aliter, quam ego velim, meum laudet ingenium, quum dicat, me, si multa dixissem, sublevaturum fuisse eum, quem contra dicerem; quia non dixerim, perdidisse: morem illi geram; utar oratione perpetua; non quoniam hoc sit necesse, verum ut experiar,

habuerit, persuasum sibi crediderit. — *Quanto periculo venturi simus ad eos iudices*) Vult intelligi, metuendum esse senatui, ne equites Romani iudicent, quos non solum pro integris, sed etiam pro inimicis nobilitatis vult populus Romanus iudices esse. — *A porta subito retraxisset*) Hoc comminiscitur Cicero, ut credamus veram fuisse secundam actionem, quae secundum veram gestorum fidem non dicta sed scripta est. — *Non sine causa*) Corruptis iudicibus scilicet.

Cap. IX. *Nunc ne novo querimoniae genere*) Astutia Ciceronis fuit, utendo testibus, ut nihil reliqui esset Hortensio, nisi ut eos interrogare

interpunxi, quia sequitur *deinde — cogitate*. Vulgo: *intelligere debetis, primum interesse.*

Cogitate) Franc. 1 *cogitare.*

Et ita dicere) *ita* rescripsi ex coniectura Ernestii. Vulg. *ea.*

Non quoniam hoc) *non quod hoc* affertur ex edd. nonnullis ap. Graev.

utrum ille ferat molestius, me tunc tacuisse, an nunc dicere. Hic tu fortasse eris diligens, ne quam ego horam de meis legitimis horis remittam. Nisi omni tempore, quod mihi lege concessum est, abusus ero, querere; deum atque hominum fidem implorabis; circumveniri C. Verrem, quod accusator nolit tamdiu, quamdiu liceat, dicere. Quod mihi lex mea causa dedit, eo mihi non uti non licebit? Nam accusandi mihi tempus mea causa datum est, ut possem oratione mea crimina causamque explicare. Hoc si non utor, non tibi iniuriam facio, sed de meo iure aliquid et commodo detraho. « Causam enim, inquit, cognosci oportet. » Ea re quidem, quod aliter condemnari reus, quamvis sit nocens, non potest. Id igitur tu moleste tulisti, a me aliquid factum esse, quo minus iste condemnari posset? Nam causa cognita multi possunt absolvi: incognita quidem condemnari nemo potest. Adimo enim comperendina-

posset. Dicendi autem facultatem nullam ei dedit, nihil ipse dicendo. Etenim metuebat, ne si locum dicendi invenisset Hortensius, brevitatem temporis longa oratione consumeret; ut secunda actio ad alios iudices, qui corrumpi possent, aliumque praetorem post Kal. Ian. perveniret, consulibus futuris se et Metello, fautoribus Verris. Haec ita sunt, quemadmodum dicimus; sed Cicero sic proponit querelam Hortensii, ut et iniusta et ridicula esse videatur. Et est ordo: nunc ne novo querimoniae genere uti possit Hortensius, morem illi geram. — *Hic tu fortasse eris diligens*) Apostropha ad ipsum Hortensium, qua ostendit, non posse se cogi, uti oratione perpetua, et omnibus horis suis si nolit uti. Et mire horis dixit, quum dies sint plurimi; ut ostendat nimiam diligentiam, et eas horas dicentis dictione esse complendas. Veteres praeterea horas generaliter dicebant more Graecorum. — *Quod mihi lex mea causa dedit*) De commodo proprio licet unicuique detrahere, praesertim quum inde adversario nihil possit esse incommodi. — *Ea re quidem*) Vt quaestionem propositam infirmaret, causam propositionis affinxit, quae sibi solutionem propositi, quam volebat, afferret. — *Adimo enim comperendinatum*) *Comperendinatum* pro compe-

Quod mihi lex mea causa dedit) *dedit* recepi auctoritate Asconii. Vulg. *det*.

Adimo enim comperendinatum) i. e. *At dicis me reo comperendinatum adimere*. Bene enim monuit Ern. verba

tum. Quod habet lex in se molestissimum, bis ut causa dicatur, id aut mea causa potius est constitutum, quam tua, aut nihilo tua potius, quam mea. Nam si bis dicere est commodum, certe utriusque commune est. Si eum, qui posterius dixit, opus est redargui: accusatoris causa, ut bis ageretur, constitutum est. Verum, ut opinor, Glaucia primus tulit, ut comperendinaretur reus: antea vel iudicari primo poterat, vel *amplius* pronuntiari. Vtram igitur

rendiostione posuit; et est sensus: Aufero vobis molestiam bis dicendi. Sed quid? dicet utile esse bis dicere? Et mihi ego deoego hanc ntilitatem, in qua re cur me sccnses non hsbes. Aut enim comperendinatio propter mo magis, quam propter te, est instituta; aut non magis propter te, qnsm propter me. Si enim nomerom diccodi consideres, ex regno res est; si ordinem, ego sum prior et nltimns. Nam simnl accusator dixerit, respoodet prima actione defeosor; et rnrsnm comperendinsto iudicio dicit prior defensor, et defensiooem tanqusm duplicem in medio positam obruit ultimns accusator. — *Gloucia primus tulit*) Aote legem Glaucism de comperendiontione sot statim sententia dicebatur si absolvendus esset reus; aut *omplius* proountiabatur, si videretor esse damnandus, qnum dixissent iodices *non liquet*, hoc est, obscura caosa est. Itaque es pars interposita dilatione dicebat, in coius peroratioue videbatur obscnritss. *Comperendinotio* vero ntriusque partis recitstio est. Alii sic adnotant. *Comperendinotio* est secunds actio. Item *comperendinotio* est ab ntrisque litigatoribus invicem sibi denuntiatio io perendionm diem. Namque quom in rem aliquam agerent litigatores; et poena se sacramenti petereot, poscebaut iudicem, qui dabatur post trigesimum diem; quo dato deiode inter se in perendioum diem, ut ad iudicium venirent, denuntiabaot. Qno quum esset veutum, autequam causa ageretnr, qnasi per iudicem rem expooebaot; quod ipsum dicebatnr *causae coniectio*, qossi cansae suae in breve coactio. Alii sic. Inter comperendinationem et smplistionem hoc interest, quod compereodinstio ex una taotum re dabstnr, quum csusam iudex non iutelligeret. Et omnioo, si videbstur iudicibus bona causa, absolvebant reum; si mala, non statim damnabant, sed hac excusatione parcebant. Nam qnum coodemnaudi nota esset C litera, absolvendi A, ampliaodi signum NL dabant, quo significabant *non liquere*, unde smplistio nascebatur. — *Iudicari*) Dici sententia sbsolutionis. Hoc

adimo enim comperendinatum Horteosii numine dici, quibus deinde respondeat Cicero. Vulgo haec male cooinngebantur cum saqq. *quod habet lex* etc.

Id aut) Vulgo *quod aut*. Recte reposuit Ern. *id aut*. Beckius omisit *quod*.

Glaucia) nempe C. Servilius Glaucia, qui praetor A.V. 653 legem de repetundis tulit.

putas legem molliorem? Opinor illam veterem, qua vel cito absolvi, vel tarde condemnari licebat. Ego tibi illam Aciliam legem restituo, qua lege multi semel accusati, semel dicta causa, semel auditis testibus, condemnati sunt, nequaquam tam manifestis, neque tantis criminibus, quantis tu convinceris. Puta te non hac tam atroci, sed illa lege mitissima causam dicere. Accusabo: respondebis. Testibus editis, ita mittam in consilium, ut, etiamsi lex ampliandi faciat potestatem, tamen isti turpe sibi existiment, non primo iudicare.

X. Verum, si causam cognosci opus est, parumne cognita est? Dissimulamus, Hortensi, quod saepe experti in dicendo sumus. Quis nos magnopere attendit unquam, in hoc quidem genere causarum, ubi aliquid ereptum, aut ablatum a quopiam dicitur? Nonne aut in tabulis, aut in testibus omnis exspectatio iudicum est? Dixi prima actione, me planum esse facturum, C. Verrem HS quadringenties contra legem abstulisse. Quid? hoc planius egissem, si ita narrassem? Dio quidam fuit Halesinus, qui, quum eius filio, praetore C. Sacerdote, hereditas a propinquo permagna venisset, nihil habuit tum neque negotii, neque controversiae. Verres, simulac tetigit provin-

significat id quod sequitur. — *Cito absolvi*) iudicari. — *Tarde condemnari*) ampliari. — *Aciliam legem*) Acilii Glabrionis, patris huiusce Praetoris, de quo etiam supra dixit; quae lex neque comperendinationem neque ampliationem habet. — *Mittam in consilium*) Id est, perorabo. Nam mittere iudices in consilium est dimittere iudices ad sententiam dicendam, ubi allegatis omnibus argumentis orator dixerit, *Dixit*.

CAP. X. *In hoc quidem genere causarum*) Coniecturali scilicet. — *Sestertium quadringenties*) In Divinatione *millies* dixit. Sed cur ita variaverit fidem

Illam veterem) scil. Aciliam de repetundis.

Condemnari licebat) Fiat c. 1, *condemnari poterat.*

ciam, statim Messana literas dedit; Dionem evocavit; calumniatores ex sinu suo apposuit, qui illam hereditatem Veneri Erycinae commissam esse dicerent. Hac de re ostendit se ipsum cogniturum. Possum deinceps totam rem explicare; deinde ad extremum id, quod accidit, dicere. Dionem HS decies centena millia numerasse, ut causam certissimam obtineret; praeterea greges equarum eius istum abigendos curasse; argenti vestisque stragulae quod fuerit, curasse auferendum. Haec neque quum ego dicerem, neque quum tu negares, magni momenti nostra esset oratio. Quo tempore igitur aures iudex erigeret, animumque attenderet? Quum Dio ipse prodiret, quum ceteri, qui tum in Sicilia negotiis Dionis interfuissent; quum per eos ipsos dies, per quos causam Dio diceret, reperiretur pecunias sumpsisse mutuas, nomina sua exegisse, praedia vendidisse; quum tabulae virorum bonorum proferrentur; quum, qui pecuniam Dioni dederunt, dicerent se iam tum audisse, eo nummos sumi, ut Verri darentur; quum amici, hospites, patroni Dionis, homines honestissimi, haec eadem se audisse dicerent. Opinor, quum haec fierent, tum vos audiretis, sicut audistis; tum causa agi videretur.

summae, iam in superioribus diximus. — *Nomina sua exegisse*) Tituli debitorum nomina dicuntur, praesertim in eis debilis, in quibus hominum nomina scripta sunt, quibus pecuniae commodatae sunt. Cui rei contrarium est, mutuas accepisse. Ergo nomina debila vel debitores. — *Haec eadem se audisse dicerent*) Apud autiquos de auditione testimonium dicebatur.

Statim Messana) Sic iam Manutius recte correxerat. Vulg. *Messanam*.

Calumniatores ex sinu suo apposuit) Subornavit suos amicos et familiares, qui illum accusarent. *Ex sinu suo* est ex suis familiaribus et amicis. Sic 2 in Catilin. *de sinu et complexu Catilinae*, dicit intimos eius amicos. *Apponere* vero est subornare, ut alibi dixit, *apponere licitatorem*. GRAEV.

Tum causa agi videretur) Franc. 1 *tum causa agi vere videretur*, quod probat Graevius, quia agatur quidem

XI. Sic a me sunt acta omnia priore actione, ut in criminibus omnibus nullum esset, in quo quisquam vestrum perpetuam accusationem requireret. Nego esse quidquam a testibus dictum, quod aut vestrum cuipiam esset obscurum, aut cuiusquam oratoris eloquentiam quaereret. Etenim sic me ipsum egisse memoria tenetis, ut in testibus interrogandis omnia crimina proponerem, et explicarem, ut, quum rem totam in medio proposuissem, tum denique testem interrogarem. Itaque non modo vos, quibus est iudicandum, nostra crimina tenetis, sed etiam populus romanus totam accusationem causamque cognovit. Tametsi ita de meo facto loquor, quasi ego illud mea voluntate potius, quam vestra iniuria adductus fecerim. Interposuistis accusatorem, qui, quum ego mihi c et x dies solos in Siciliam postulassem, c et VIII sibi in Achaiam postularet. Menses mihi tres quum eripuissetis ad agendum maxime appositos, reliquum omne tempus huius anni me vobis remis-

Cap. XI. *Vt in testibus interrogandis*) Tenere debemus, interrogationes testium et accusatoris et defensoris esse, et eius, qui producit, et eius contra quem producuntur. — *Sed etiam populus R.*) Qui circum subsellia coronam facit. — *Interposuistis accusatorem*) Qui iste accusator, vel quem accusar., in priore libro iam notavimus. Quod autem dicit; *menses mihi tres quum eripuissetis*, hoc dicit C et X dies inquirendi in Sicilia postulavit; consequens erat, ut etiamsi quinquagesimo die rediissem, statim accusarem; quod ne possem facere, interposuistis accusatorem quendam cuiusdam ex Achaia rei, qui sibi C et VIII peteret; ita factum est, ut quamvis ego festinato rediissem, ille adhuc proficisceretur, non potuerim tamen agere, donec complerentur illo absente C et VIII dies. Sic enim erat a praetore legibus ordinatum, ut si intra centum et octo dies ille inquisitor Achaïcus advenisset, priore loco ageret; ita factum est, ut prope tres menses sine ludorum impedimento ad agendum appositos sine causa Tullius amiserit, adversariorum dolo; centum et octo

causa, quum crimen explicetur, sed vere agatur, quum testibus et tabulis probetur crimen. Recte vero Ernest. vocabulum *vere* a glossa esse indicavit.

Nego esse quidquam) Vulgabatur olim *nego ego*; melius Ern. auctoritate MSS. Gu. ex edd. pr. delevit pronomen.

surum putastis: ut, quum horis nostris nos essemus usi, tu, binis ludis interpositis, quadragesimo post die responderes; deinde ita tempus duceretur, ut a M'. Glabrione praetore, et a magna parte horum iudicum, ad praetorem alium iudicesque alios veniremus. Haec si ego non vidissem; si me non omnes noti ignotique monuissent, id agi, id cogitari, in eo laborari, ut res in aliud tempus reiiceretur: credo, si meis horis in accusando uti voluissem, vererer, ne mihi crimina non suppeterent; ne oratio deesset; ne vox viresque deficerent; ne, quem nemo prima actione defendere ausus esset, eum ego bis accusare non possem. Ego meum consilium tum iudicibus, tum populo romano probavi. Nemo est, qui alia ratione istorum iniuriae atque impudentiae potuisse obsisti arbitretur. Etenim qua stultitia fuissem, si, quam diem, qui istum eripiendum redemerunt, in cautione viderunt, quum ita caverent, si post Kalendas Ian. in consilium iretur, in eam diem ego, quum potuissem vitare, incidissem?

dies plus quam tres menses sunt. — *Vt quum horis nostris*) XX diebus scilicet; hi enim dabantur ad accusandum legitimi, totidemque defensori ad respondendum. — *Ne quem nemo priore actione defendere ausus esset*) Testes tabulaeque facti dari solent; itaque ab accusatore dantur; non facti non dantur testes; ergo nihil prosunt a parte defensoris. Quid ergo facit pro defensore? Oratio scilicet, cuius potestatem Hortensius non habuit, tacente accusatore; non ergo defendere Verrem non ausus est, sed quia non poterat, ut volebat, in totum praetermisit Hortensius. — *Si quam diem qui istum eripiendum redemerunt*) Fingit Tullius pervenisse ad se pactionem eorum, qui in se susceperant procurationem corrumpendorum iudicum et liberandi Verris, quos ita in cavendo scripsisse dicit, pro eo se promittere corrupturos esse iudicium, si post Kal. Ian. de Verre iudicarent. — *In eam diem*) Quam ego essem stultus, inquit, si quam diem illi in promittendo elegerant, ego in accusando non effugissem, praesertim, quum possem effugere, si imprudens non essem!

In aliud tempus) Recte statuit Ern. *aliud* pro vulg. *illud* legendum esse.

XII. Nunc mihi temporis eius, quod mihi ad dicendum datur, quoniam in animo est causam omnem exponere, habenda ratio est diligenter. Itaque primum illum actum istius vitae turpissimum et flagitiosissimum praetermittam. Nihil a me de pueritiae suae flagitiis peccatisque audiet, nihil ex illa impura adolescentia sua: quae qualis fuerit, aut meministis, aut ex eo, quem sui simillimum produxit, recognoscere potestis. Omnia praeteribo, quae mihi turpia dictu videbuntur: neque solum, quid istum audire, verum etiam, quid me deceat dicere, considerabo. Vos, quaeso, date hoc, et concedite pudori meo, ut aliquam partem de istius impudentia reticere possim. Omne illud tempus, quod fuit, antequam iste ad magistratus remque publicam accessit, habeat per me solutum ac liberum. Sileatur de nocturnis eius bacchationibus ac vigiliis; lenonum, aleatorum, perductorum nulla mentio fiat; damna, dedecora, quae res patris eius, aetas ipsius pertulit, praetereantur; lucretur indicia veteris infamiae; patiatur eius vita reliqua, me hanc tantam iacturam criminum facere.

Cap. XII. *Nunc mihi temporis eius quod mihi ad dicendum datur*) Alii fecerunt hoc dies XX, alii pauciores, alii plures (7). — *Aut ex isto quem sui simillimum produxit*) Reprehendunt homines stultissimi Tullium, quod in filio Verris innoxiam laedat aetatem, ignorantes illum accusatoria arte providere, ne in epilogis productus ab Hortensio conciliet misericordiam iudicum patri. — *Lenonum, aleatorum, perductorum*) *Lenones* sunt scortorum, *perductores* etiam invitarum personarum, et in quibus pugna exercita legibus

Flagitiis peccatisque) *peccatisque* abest edd. Car. Steph. Lamb., Grut. Ego id cum aliis servandum puto, sed malim transponere *peccatis flagitiisque*, nam hoc illo gravius est.

Aut ex eo) *aut ex isto* Ascon., Lamb., Beck. Sed quum hic intelligatur Verris filius, et paulo post *istum* de patre dicatur, melius servatur vulg. *aut ex eo.*

Damna, dedecora) *damna* ad rem patris, *dedecora* ad aetatem h. e. adolescentiam Verris referuntur.

Patiatur) Fortasse legendum *patietur*, ut sensus sit: etiamsi *sileatur* etc., tamen eius vita reliqua *patietur*

Quaestor Cn. Papirio consule fuisti abhinc annos quatuordecim. Ex ea die ad hanc diem quae fecisti, in iudicium voco. Hora nulla vacua a furto, scelere, crudelitate, flagitio reperietur. Hi sunt anni consumpti in quaestura, et legatione asiatica, et praetura urbana, et praetura siciliensi. Quare haec eadem erit quadripartita distributio totius accusationis meae.

XIII. Quaestor ex senatusconsulto provinciam sortitus es. Obtigit tibi consularis, ut cum consule Cn. Carbone esses, eamque provinciam obtineres. Erat tum dissensio civium; de qua nihil sum dicturus, quid sentire debueris: unum hoc dico, in eiusmodi tempore ac sorte statuere te debuisse, utrum malles sentire atque defendere. Carbo graviter ferebat, sibi quaestorem obtigisse, hominem singulari luxuria atque inertia. Verumtamen ornabat eum beneficiis omnibus. Ne diutius teneam: pecunia attributa, numerata est. Profectus est quaestor in provinciam. Venit in Galliam exspectatus ad exercitum consularem cum pecunia. Simulac primum ei occasio visa est (cognoscite hominis principium magistratuum gerendorum et rei publicae administrandae), aversa pecunia pu-

vindicantur. — *Quaestor Cn. Papirio consule fuisti*) Uno nomine Cn. Papirii Carbonis et tempus criminis significavit et crimen. Legitur tamen et *Consuli.*

Cap. XIII. *Obtigit tibi consularis*) Provincia subauditur. — *Dissensio civium*) Leviter dixit bellum civile gravissimum Sullae cum Marianis. — *Quid sentire debueris*) Cum quibus facere. — *Ac sorte*) Potuisti enim et debuisti, si nolles, repudiare illam sortem aut susceptam tueri. — *Pecunia attributa*) Quae in stipendium militum de aerario a tribunis aerariis adnu-

me hanc tantam iacturam criminum facere.

Cn. Papirio consule) *consule* ex Asconio reposui pro vulg. *consuli.* Hic enim agitur de quaestura urbana, quam Cn. Papirio Carbone consule obtinuit, A. V. C. 669. Alteram tamen lectionem *consuli* iam affert Asconius.

Verumtamen ornabat eum beneficiis) Vulgo inde a Victorio addebatur *officiisque*. Delevit Ern. auctoritate codd. Erf. Dr. edd. vett.

blica, quaestor consulem, exercitum, sortem provinciamque deseruit. Video quid egerim, erigit se; sperat, sibi auram posse aliquam afflari, in hoc crimine, voluntatis assensionisque eorum, quibus Cn. Carbonis mortui nomen odio sit: quibus illam relictionem proditionemque consulis sui gratam sperat fore. Quasi vero id cupiditate defendendae nobilitatis, aut studio partium fecerit, ac non apertissime consulem, exercitum, provinciamque compilarit, et propter impudentissimum furtum aufugerit. Est enim obscurum et eiusmodi factum eius, ut possit aliquis suspicari, C. Verrem, quod ferre novos homines non potuerit, ad nobilitatem, hoc est, ad suos transisse; nihil fecisse propter pecuniam.

XIV. Videamus, rationes quemadmodum retulerit. Iam ipse ostendet, quamobrem Cn. Carbonem reliquerit; iam se ipse indicabit. Primum brevitatem cognoscite. ACCEPI, inquit, VICIES DVCENTA TRIGINTAQVINQVE MILLIA, QVADRINGENTOS XVII NVMMOS. DEDI

merari quaestori solet, ergo Verri adnumerata intelligitur. — *Voluntatis assensionisque illorum*) Sullanorum scilicet. — *Compilarit*) Pilos pervellerit, sic fraudaverit furto, ut ne pilos quidem in corpore spoliatis reliquerit. — *Ad nobilitatem, hoc est ad suos*) Totum hoc per ironiam dicitur in Verrem et Verris defensores.

CAP. XIV. *Accepi, inquit*) Referri ad aerarium ratio solet pecuniae publicae a quaestoribus. Verres igitur retulit, sed Tullius hoc reprehendit: primo falsam hanc brevem relationem esse, deinde idcirco acceptam, quia proditor Carbonis favorem sibi apud Sullam comparaverat; nam paucis verbis, quid acceperat, quid reliquerat, dixit. — *Dedi stipendio, frumento, legatis*) Haec omnia nomina sunt erogationum, quibus aut stipendium militibus dedisse se, dicit Verres, aut frumentum coëmisse in annonam exercitus, aut legatis et proquaestori in sumptum dedisse; eis enim alimenta de publico

Sortem provinciamque deseruit) Edd. Victor., Ph. Iunt., Man., Hot. omittunt *sortem*.

Assensionisque eorum) *dissensionisque* Franc. 1 Guelf., Pall., Cuiac. edd. pr. Vict. Graev. At Man., Ern. *assensionisque*; sane melius. Nam *voluntatis* et *assensionis* sunt synonyma et utrumque refertur ad *auram*.

STIPENDIO, FRVMENTO, LEGATIS, PRO QVAESTORE, COHORTI PRAETORIAE, HS DECIES SEXCENTA TRIGINTAQVINQVE MILLIA QVADRINGENTOS XVII NVMMOS. RELIQVI ARIMINI HS SEXCENTA MILLIA. Hoc est rationes referre? hoc modo aut ego, aut tu, Hortensi, aut quisquam hominum retulit? Quid hoc est? quae impudentia? quae audacia? quod exemplum ex tot hominum rationibus relatis huiusmodi est? Illa tamen HS sexcenta millia, quae ne falso quidem potuit, quibus data essent, describere, quae se Arimini scribit reliquisse, quae ipsa HS sexcenta millia reliqua facta sunt, neque Carbo attigit, neque Sulla vidit, neque in aerarium relata sunt. Oppidum sibi elegit Ariminum, quod tum, quum iste rationes referebat, oppressum direptumque erat. Non suspicabatur id, quod nunc sentiet, satis multos ex illa calamitate Ariminensium testes nobis in hanc rem reliquos esse. Recita denuo. P. LENTVLO, L. TRIARIO QVAESTORIBVS

dabautur. — *Pro quaestore*) Id est pro officio qoaestorio; significat autem quaestoris annonas; sibi imputat pecunias publicas datas Verres; accepi, inquit, vicies ducenta triginta quinque millia, quadringentos decem et septem nummos. — *Cohorti praetoriae*) Comitibus consularibus. Veteres enim omnem magistratum cui pareret exercitus, praetorem appellaverunt. Vnde et praetorium taberuaculum aiuadicitur, et in castris porta praetoria, et hodie quoque praefectus praetorio. — *Reliqui Arimini sexcenta millia*) Haec summa cum ratione consentit. — *Hoc modo aut tu Hortensi aut ego*) Ambo enim quaestores fuerant. — *Quae ne falso quidem potuit*) Non enim verisimile est, tantae pecuniae rationem duobus versiculis confici potuisse. — *Oppidum sibi elegit Ariminum*) Hoc oppidum Albiuovanus Sullae prodiderat, dux ipse Marianus. — *Recita denuo. P. Lentulo L. Triario quaesto-*

PRO QVAESTORE) Ita Ascon., Lam., Beck. Vulgo *quaestoribus*, vel *proquaestoribus*. At *pro quaestore* significat quae Verres sibi ipsi, pro officio quaestorio, expensa tulerat.

HS DECIES) Ita recte Ant. August. Gronov., Graev. scribi iusserunt pro vulg. *HS MILLE*.

QVAESTORIBVS VRBANIS) Nempe A. V. 672 quaestores urbani erant P. Lentulus P. F. P. N. Sura et L. Valerius Triarius: et ad hos rationes retulerat Verres quaesturae provincialis. Verba *P. Lentulo* — *relatarum* continent indicem s. inscriptionem codicis s. literarum, quibus isti quaes-

VRBANIS RES RATIONVM RELATARVM. Recita. EX SENATVS CONSVLTO. Vt hoc pacto rationem referre liceret, eo Sullanus repente factus es, non ut honos et dignitas nobilitati restitueretur.

XV. Quod si illinc inanis profugisses, tamen ista tua fuga nefaria, proditio consulis tui scelerata iudicaretur. Malus civis, improbus consul, seditiosus homo Cn. Carbo fuit. Fuerit aliis; tibi quando esse coepit? Posteaquam tibi pecuniam, rem frumentariam, rationes omnes suas exercitumque commisit. Nam si tibi antea displicuisset, idem fecisses, quod anno post M. Piso. Quaestor quum L. Scipioni consuli obtigisset, non attigit pecuniam, non ad exercitum profectus est. Quod de re publica sensit, ita sensit, ut nec fidem suam, nec morem maiorum, nec necessitudinem sortis laederet. Etenim si haec perturbare omnia, et permiscere volumus, totam vitam periculosam, infestamque reddemus; si nullam religionem sors habebit, nullam sanctitatem coniunctio secundae dubiaeque fortunae, nullam auctoritatem mores atque instituta maiorum. Omnium est communis ini-

ribus) Hoc est caput lectionis relatarum a Verre rationum ad aerarium totius quaesturae eius. — *Non ut honos et dignitas*) Pro nobilitate pugnante Sulla contra Marianos hac enim de causa se transfugisse aiebat Verres, ut dignitas et salus nobilitati restitueretur.

CAP. XV. *Idem fecisses, quod anno post M. Piso*) Exemplo urget Verrem,

stores urbani consignaverant rationes a Verre relatas. Verba vero EX SCTO fuerunt initium harum literarum.

Res rationum relatarum) Sunt relatae rationes. Nihil hac circumscriptione tritius apud Graecos aeque ac Latinos; ut *res voluptatum* apud Plautum. GRAEV.

Factus es) Ita maluit Aul. August. vulgo *factus est*.

Infestamque) Sic edd. P. Manut. et Ald. N. probante Ern. Vulgo: *periculosam, invidiosam, infestamque*. Pro *invidiosam* MSS. aliquot ed. Lamb., Graev. *insidiosam*.

Nullam sanctitatem) Sic verissime emendavit I. F. Gronovius obss. I, 12, idque recepit Ern. Vulg. *societatem*.

micus, qui fuit hostis suorum. Nemo unquam sapiens proditori credendum putavit. Ipse Sulla, cui adventus istius gratissimus esse debuit, ab se hominem, atque ab exercitu suo removit: Beneventi esse iussit apud eos, quos suis partibus amicissimos esse intelligebat; ubi iste summae rei causaeque nocere nihil posset. Ei postea praemia tamen liberaliter tribuit; bona quaedam proscriptorum in agro Beneventano diripienda concessit; habuit honorem ut proditori, non ut amico fidem. Nunc, quamvis sint homines, qui mortuum Cn. Carbonem oderint: tamen hi debent, non, quid illi accidere voluerint, sed quid ipsis in tali re metuendum sit, cogitare. Commune est hoc malum, communis metus, commune periculum. Nullae sunt occultiores insidiae, quam eae, quae latent in simulatione officii, aut in aliquo necessitudinis nomine. Nam eum, qui palam est adversarius, facile cavendo vitare possis: hoc vero occultum, intestinum ac domesticum malum non modo non exsistit, verum etiam opprimit, antequam prospicere atque explorare potueris. Itane vero? Tu, quum quaestor ad exercitum missus sis, custos non solum pecuniae, sed etiam consulis; particeps omnium rerum, consiliorumque fueris; habitus sis in liberum loco, sicut mos maiorum ferebat: repente relinquas? deseras? ad adversarios transeas? O scelus! o portentum in ultimas terras exportandum! Non enim potest ea natura,

ut ostendat, quid facere potuisset, nisi furtum pararet. — *Beneventi esse iussit*) Beneventani plerique Sullani erant. — *Non modo non exsistit*)

Prospicere) Edd. vett. *perspicere.* *Particeps omnium rerum, consiliorumque fueris*) Graevius sic interpungit: *Custos non solum pecuniae, sed etiam consulis particeps o. r. c. fueris.*

Exportandum) *deportandum* coni. Ernestius.

quae tantum facinus commiserit, hoc uno scelere esse contenta. Necesse est semper aliquid eiusmodi moliatur; necesse est in simili audacia perfidiaque versetur. Itaque idem iste, quem Cn. Dolabella postea, C. Malleolo occiso, pro quaestore habuit, (haud scio, an maior etiam haec necessitudo fuerit, quam illa Carbonis, ac plus iudicium voluntatis valere, quam sortis debeat) idem in Cn. Dolabellam, qui in Cn. Carbonem fuit. Nam quae in ipsum valebant crimina, contulit in illum, causamque illius omnem ad inimicos accusatoresque detulit: ipse in eum, cui legatus, cui pro quaestore fuerat, inimicissimum atque improbissimum testimonium dixit. Ille, miser quum esset, tum proditione istius nefaria, tum improbo et falso eiusdem testimonio, tum multo etiam ex maxima parte, istius furtorum ac flagitiorum invidia conflagravit.

XVI. Quid hoc homine faciatis? aut ad quam spem tam perfidiosum, tam importunum animal reservetis? qui in Cn. Carbone sortem, in Cn. Dolabella volun-

Emergit, exoritur, exsurgit. — *Malleolo occiso*) Oratorie pro mortuo occisum dixit. (Suspiciosu verbo, *occiso*, usus est; nam non insistit, ut probet a Verre occisum esse, sed ita vult videri, quia Verri mors eius lucro fuit, propter *eam quam Cicero dicit hereditatem*, alteram quaestoriae procurationis, alteram tutelae, quia filii Metelli tutor factus est) (8). — *Quae in istum valebant crimina*) Apertius hoc postea dicturus est Tullius. Etenim accusator Dolabellae volens indice Verre uti contra Dolabellam, librum criminum omnium Verris et Dolabellae Verri ostendit, et promisit haec se crimina non obiecturum, si sibi Verris et causam omnem Dolabellae proderet, et testimonium adversus eum diceret; quare Verres Dolabellam, cui legatus, et pro quaestore fuerat, oppugnare compulsus est. Inimicos autem accusatoresque Dolabellae, Caesarem dicit, nam Scaurus Dolabellam alium accusavit, nec damnare potuit (9). — *Miser quum esset*) *Miserum* pro *innocente* Tullius ponit (10). Sic alibi: *Et erunt, qui illum, si hoc fecerit, non improbum, sed miserum, me non diligentissimum consulem, sed crudelissimum tyrannum existimari velint.*

In ipsum) Ita ed. Ven. et edd. recent. Ascon. et edd. vett. habent *in istum*.

tatem neglexerit ac violarit, eosque ambo non solum deseruerit, sed etiam prodiderit atque oppugnarit. Nolite, quaeso, iudices, brevitate orationis meae potius, quam rerum ipsarum magnitudine, crimina ponderare. Mihi enim properandum necessario est, ut omnia vobis, quae mihi constituta sunt, possim exponere. Quamobrem, quaestura istius demonstrata, primique magistratus et furto et scelere perspecto, reliqua attendite. In quibus illud tempus Sullanarum proscriptionum ac rapinarum praetermittam; neque ego istum sibi ex communi calamitate defensionem ullam sinam sumere. Suis eum certis propriisque criminibus accusabo. Quamobrem, hoc omni tempore Sullano ex accusatione circumscripto, legationem eius praeclaram cognoscite.

XVII. Posteaquam Cn. Dolabellae provincia Cilicia constituta est: o dii immortales! quanta iste cupiditate, quibus allegationibus illam sibi legationem expugnavit? Id quod Cn. Dolabellae principium maximae calamitatis fuit. Nam ut iste profectus est, quacumque iter fecit, eiusmodi fuit, non ut legatus populi romani, sed ut quaedam calamitas pervadere videretur. In Achaia (praetermittam minora omnia, quorum simile forsitan alius quoque aliquid aliquando fecerit; nihil dicam, nisi singulare, nisi quod, si in alium reum diceretur, incredibile videretur) magi-

Cap. XVI. *Ex communi calamitate*) Ex Sullanis temporibus scilicet. Defensionem de Sulla exclusit, ne liceret ei dicere Sulla mihi iussit, Sulla hoc fecit. Asc. — *Circumscripto*) Sublato, circumducto ac praetermisso. Alias decepto significat. Id.

Cap. XVII. *Posteaquam Cn. Dolabellae*) Ἀνακεφαλαίωσις de Dolabella, nam supra de eius damnatione dicebat. Id. — *Brevitate orationis*) **** ponere sine illis localibus phaleris melius est. Nam tanto maior fides acquiritur nostris criminationibus, quando videmur tragoedia praetermissa veluti nuda propositione esse contenti. Velim tamen et in hac brevitate perspicias, non abesse Ciceronis studium τῆς αὐξήσεως. Idem egit, ut quam-

stratum Sicyonium nummos poposcit. Ne sit hoc crimen in Verrem: fecerunt alii. Quum ille non daret, animadvertit. Improbum, sed non inauditum, Genus animadversionis videte: quaeretis, ex quo genere hominum istum iudicetis. Ignem ex lignis viridibus atque humidis in loco angusto fieri iussit. Ibi hominem ingenuum, domi nobilem, populi romani socium atque amicum, fumo excruciatum, semivivum reliquit. Iam quae iste signa, quas tabulas pictas ex Achaia sustulerit, non dicam hoc loco. Est alius mihi locus ad hanc istius cupiditatem demonstrandam servatus. Athenis audistis ex aede Minervae grande auri pondus ablatum. Dictum hoc est in Cn. Dolabellae iudicio. Dictum? etiam aestimatum. Huius consilii non modo participem C. Verrem, sed principem fuisse reperietis.

XVIII. Delum venit. Ibi ex fano Apollinis religiosissimo noctu clam sustulit signa pulcherrima atque antiquissima, eaque in onerariam navem suam con-

vis proponeret, tamen acerbitatem mali facinoris extolleret. *Ignem* parum erat dixisse, subiecit *ex lignis viridibus*, quod est intolerabilius; addidit etiam *humidis*, quo spiritus magis magisque augeri solet, superposuit *in loco angusto* ubi densior fumus animas haurientes urgeret. Post haec deinde intulit: hominem ingenuum, domi nobilem, populi romani socium atque amicum fumo excruciatum semivivum reliquit. Totum si consideres, αὐξητικὸν est. Et nihilominus visus est tantum proposuisse, non et exaggerasse, quum robustius non potuerit augere. Ita si rem spectes, magna copia est; si verba numeres, summa brevitas est. Anon. — *Est alius mihi locus*) De signis scilicet. An peculatus, si hinc evaserit Verres? Asc. — *Aestimatum*) Imposito pretio exactum secundum legem repetundarum. Id.

Cap. XVIII. *Eaque in onerariam navem suam coniicienda curavit*) Copiam rapinarum et signorum multitudinem de modo navis ostendit. Quippe si ad haec spolia templi vehenda oneraria navis admota est, apparet quantitas

Ex quo genere hominum) Sic e coniectura Hotomanni receperunt P. Manutius, aliique. Edd. vett. codd. Franc. Gu. ed. Graev. Lall. *hominem*. *Servatus*) tres codd. ap. Lambin. *separatus*. Nonnulli alii *reservatur*.

iicienda curavit. Postridie quum fanum spoliatum viderent ii, qui Delum incolebant, graviter ferebant. Est enim tanta apud eos eius fani religio atque antiquitas, ut in eo loco ipsum Apollinem natum esse arbitrentur. Verbum tamen facere non audebant, ne forte ea res ad Dolabellam ipsum pertineret. Tum subito tempestates coortae sunt maximae, iudices, ut non modo proficisci, quum cuperet, Dolabella non posset, sed vix in oppido consisteret: ita magni fluctus eiiciebantur. Hic navis illa praedonis istius, onusta signis religiosis, expulsa atque eiecta fluctu, frangitur. In litore signa illa Apollinis reperiuntur; iussu Dolabellae reponuntur; tempestas sedatur; Dolabella Delo proficiscitur. Non dubito, quin, tametsi nullus in te sensus humanitatis, nulla ratio unquam fuit religionis, nunc tamen, in metu periculoque tuo, tuorum tibi scelerum veniat in mentem. Potestne tibi ulla spes salutis commoda ostendi, quum recordaris, in deos immortales quam impius, quam sceleratus, quam nefarius fueris? Apollinemne tu Delium spoliare ausus es? illine tu templo, tam antiquo, tam sancto, tam religioso manus impias ac sacrilegas

oneris de alvei magnitudine. Anon. — *Tum subito tempestates coortae sunt*) A consequentibus signis argumentatur ad divinum quoddam testimonium, et magis invidiosum reum facit, quod non humanis probationibus, sed indiciis numinum deprehensus sit. Id. — *Ita magni fluctus eiiciebantur*) Enniano hemistichio usus est ex ea tragoedia, quae Achilles inscribitur. Id. — *Ita magni fluctus eiiciebantur*) Extra fines litoris exibant. Asc. — *Signa Apollinis reperiuntur*) Expedita βραχυλογίᾳ usus est, ut gratissime multa concluderet. Sed et ipsa velocitas magnam habet virtutem probandi; nam consequitur ut violentiae tempestatis illa causa fuerit, quod Verres templum Apollinis spoliasset, quum redhibitis omnibus tranquillitas restituta sit. Anon. — *Apollinemne tu Delium*) Decore amplificationem prosequutus est, quasi plus sit Apollinem Delium violasse, quam quemcumque. Alia praeterea, quod apud hanc insulam maior illi quaedam non tantum numinis, verum etiam nativitatis religio debeatur. Ἀφορμὴ praeterea elegans advertenda est, quemadmodum veterem fabulam sic intulerit, ut Verrem admoneret puerilis eru-

afferre conatus es? Si in pueritia non his artibus et disciplinis institutus eras, ut ea, quae literis mandata sunt, disceres atque cognosceres: ne postea quidem, quum in ea ipsa loca venisti, potuisti accipere id, quod est proditum memoriae ac literis? Latonam ex longo errore et fuga, gravidam, et iam ad pariendum temporibus exactis, confugisse Delum, atque ibi Apollinem Dianamque peperisse; qua ex opinione hominum illa insula eorum deorum sacra putatur, tantaque eius auctoritas religionis et est, et semper fuit, ut ne Persae quidem, quum bellum toti Graeciae, diis hominibusque indixissent, ct mille numero navium classem ad Delum appulissent, quidquam conarentur aut violare, aut attingere. Hoc tu fanum depeculari, homo improbissime atque amentissime, audebas? fuit ulla cupiditas tanta, quae tantam exstingueret religionem? et si tum haec non cogitabas, ne nunc quidem recordaris, nullum esse tantum malum, quod non tibi pro sceleribus tuis iamdiu debeatur?

dilioois, ne levius fieret boc, si non illiteratus ioducerelur (11). In. — *Temporibus exactis*) Mensibos exactis. Asc. — *Apollinem Dianamque peperisse*) Huic opinioni repognare videtor Herodotus lib. II, c. 16. Nam quom res Aegyplias persequitor, sic ail: *Απόλλωνα δὲ καὶ Ἄρτεμιν Διονύσου καὶ Ἴσιος λέγουσι εἶναι παῖδας· Λητοῦν δὲ τροφὸν αὐτοῖσι καὶ σώτειραν γενέσθαι.* Anon. — *Sacra putatur*) Sic Virg. Aen. III, 73: *Sacra mari colitur medio;* elegerunt potius *sacra* dicere, quam id qood io consoetudioe est, *sacrata*. Asc. — *Ne Persae quidem*) *δεινὸς μετὰ παραδείγματος.* Exemplo invidiosissimo reum deprimit, quod legalos populi romani id apud socius permiserit, qood eliam Persarum hostile iogeuiom recosavit. Anon. — *Vt ne Persae quidem*) Cyro, Dario, Xerxeque doce. Asc. — *Diis hominibusque*) Quia non solum hosles eranl, utpote barbari, verum etiam more geolis suae, nulla diis in terris templa coodeoda esse credebanl, praesertim qoom uni soli, quem venerarenlor, vix mundus ipse sufficeret. Erant ergo al aedium sacrarom et simulacrorum eversores. Asc.

Et iam ad pariendum) Post *pariendum* vulgo inscrilur *vicinam*. Abesl aolem cod. Cuiac., probante Guliel.

Depeculari) Recte sic Lamb. Vulg. *depopulari*.

XIX. In Asiam vero postquam venit, quid ego adventus istius prandia, coenas, equos, muneraque commemorem? Nihil cum Verre de quotidianis criminibus acturus sum. Chio per vim signa pulcherrima dico abstulisse: item Erythris, et Halicarnasso. Tenedo (praetereo pecuniam, quam eripuit) Tenem ipsum, qui apud Tenedios sanctissimus Deus habetur, qui urbem illam dicitur condidisse, cuius ex nomine Tenedus nominatur: hunc ipsum, inquam, Tenem, pulcherrime factum, quem quondam in comitio vidistis, abstulit magno cum gemitu civitatis. Illa vero expugnatio fani antiquissimi et nobilissimi Iunonis Samiae, quam luctuosa Samiis fuit? quam acerba toti Asiae? quam clara apud omnes? quam nemini vestrum inaudita? de qua expugnatione quum legati ad C. Neronem in Asiam Samo venissent: responsum tulerunt, eiusmodi querimonias, quae ad legatum populi romani pertinerent, non ad praetorem, sed

Cap. XIX. *Equos muneraque*) Quaerendam cur equos a ceteris muneribus separavit? an quia Asiani magno pretio aestimant equos? Id. — *Tenem ipsum*) Συλλογιστικῶς καὶ μετ' ἐπιμονῆς. Obstinate immorando huic parti, quo magis videatur universam Tenedum diripuisse auferendo simulacrum conditoris; ut quoniam ipse urbis auctor fuisset, in eo existimaretur Verres totius oppidi statum depopulatus esse. Anon. — *Quem quondam in comitio vidistis*) Licebat enim mutua haec signa deportare Romam aedilibus ad ornatum ludorum, et rursum sociis reportare, nec hoc crimen distulit in orationem, quae est de signis; quia specialiter crimen et breve est, nec habet, quod adiici possit. Asc. — *Iunonis Samiae*) Hinc Virg. Aen. I, 16: *Posthabita coluisse Samo.* Id. — *Non ad praetorem, sed Romam deferri oportere*) Atqui legimus de Oppio et de Procilio, non apud populum romanum depositas esse querelas, sed apud eos, sub quibus agebant aut quaesturam, aut legationem. Legatus autem Verres non Neronis, sed Dolabellae erat. Id. — *Non ad praetorem sed Romam deferri oportere*) Vigilanter; ne videretur iudicio Neronis C. Verres absolutus, quum fanum Iunonis Samiae diripuisset, ait illum non de innocentia Verris pronuntiasse. Iudicium omne ab se ad se-

Qui apud Tenedios s. D. habetur) Verba a Servio (Aen. II) omissa, non tamen ideo suspecta esse debent.

Romam deferri oportere. Qua de re Charidemum Chium testimonium priore actione dicere audistis: sese, quum esset trierarchus, et Verrem ex Asia decedentem prosequeretur, iussu Dolabellae fuisse una cum isto Sami; seseque tum scire spoliatum esse fanum Iunonis et oppidum Samum; posteaque se causam apud Chios, cives suos, Samiis accusantibus publice, dixisse: eoque se esse absolutum, quod planum fecisset, ea, quae legati Samiorum dicerent, ad Verrem, non ad se, pertinere. Quas iste tabulas illinc, quae signa sustulit? quae cognovi egomet apud istum in aedibus nuper, quum obsignandi gratia venissem. Quae signa nunc, Verres, ubi sunt? illa quaero, quae apud te nuper ad omnes columnas, omnibus etiam intercolumniis, in silva denique disposita sub divo vidimus. Cur ea, quamdiu alium praetorem cum iis iudicibus, quos in horum locum subsortiturus eras, de te in consilium iturum putasti, tamdiu domi fuerunt? posteaquam nostris testibus nos, quam horis tuis, uti malle vidisti, nul-

nalum removisse. ANON. — *Quum obsignandi gratia venissem*) Moris fuit, ut accusator obsignaret domum, et clausa omnia eius, quem accusaturus erat, ne qua furtorum indicia aut in vasis, aut in signis, aut in literis constituta ab eo removerentur. ASC. — *Ad omnes columnas*) Locus intercolumnium dicitur. ID. — *In silva*) In viridario. ID. — *Sub dio* (12) Id est sub caelo; caelum Graeci τὸν δία dicunt; sed ita declinatur, hoc dium, huius dii, huic dio, hoc dium, o dium, ab hoc dio. ID. — *Quamdiu alium Praetorem*) Metellum scilicet cum iudicibus, quos in horum locum, quemadmodum supra dixit, subsortiturum se Verres esse credebat. ID. — *Nostris testibus*,

Samiis accusantibus publice, dixisse) Verius Ern. sic interpunxit. Vulg. *Samiis accusantibus, publice dixit.* At enim Charidemus privatim pro se dixit, quum enim Samiorum legati publice h. e. publica auctoritate accusarent.

Qua de re — non ad se pertinere) Recte Ern. huc transtulit haec verba, quae vulgo legebantur post verba *sed contra quaestorem sectoremque pugnare.*

Subsortiturus eras) Sic Ascon., Hotom., Ern. Vulgo *subsortitus.*

Horis tuis) i. e. tibi potius quam mihi commodis. Refertur hoc ad ea

lum signum domi reliquisti, praeter duo, quae in mediis aedibus sunt; quae ipsa Samo sublata sunt? Non putasti me tuis familiarissimis in hanc rem testimonia denuntiaturum, qui tuae domi saepe fuissent: ex quibus quaererem, signa scirentne fuisse, quae non essent? Quid tum hos de te iudicaturos arbitratus es, quum viderent, te iam non contra accusatorem tuum, sed contra quaestorem sectoremque pugnare?

XX. Aspendum, vetus oppidum et nobile in Pamphylia scitis esse, plenissimum signorum optimorum. Non dicam illinc hoc signum ablatum esse, et illud; hoc dico, nullum te Aspendi signum, Verres, reliquisse; omnia ex fanis, ex locis publicis, palam, spectantibus omnibus, plostris evecta asportataque esse. Atque etiam illum Aspendium citharistam, de

quam horis) Vsus est enim prima actione Cicero magis testibus suis, quam horis, id est temporibus sibi ad dicendum lege datis (13). Id. — *Quaesitorem*) Legitur et *quaestorem*. Si *quaesitorem*, illum ipsum Glabrionem, cuius cura est, ut sociis omnia rapta reddantur; si *quaestorem*, eius ad quem rediguntur pecuniae ex proscripti bonis, et a quo sociis adnumerantur. *Sectorem* autem dicit aestimatorem redemptoremque bonorum damnati atque proscripti, qui spem sectans lucri sui, id est sequutus spem aestimationis suae bona omnia auctione vendit et semel infert pecuniam aerario (14) vel sociis: contra hos igitur iam pugnat Verres, inquit Tullius, subtrahens omnia signa, non contra me, qui illum, etiam subtractis signis, testimoniis tamen possum convincere. Id. — *Contra sectorem quaestoremque pugnare*) Quoniam bona proscriptorum sectores mercabantur, et eorum pretia quaestores in aerarium referebant. Anon. — *Trierarchus*) Navi triremi praepositus. *Triremis* (15) ternos remorum ordines habet, ita et *biremis*, et *quadriremis* et deinceps dicuntur. Asc. — *Eoque se absolutum*) Παραδειγματικῶς praeiudicatum dicit esse de criminibus legali absoluto Charidemo, quem Samii apud Chios reum fecerant; qui eo potissimum defensus sit, quod ostendisset omnem illam direptionem ad populi romani legatum pertinere. Anon.

Cap. XX. *Plostris avecta exportataque esse*) Animadvertamus plerasque apud M. Tullium compositiones non lascivire, sed ad rigorem venustatis in-

quae Cic. Act. I, c. 18 dixerat, coll. cum cap. 9 huius libri. Asconius legisse videtur *horis* sine adiecto *tuis*.

Evecta asportataque) *avecta exportataque* Vet. Anon. interpres.

quo saepe audistis id, quod est graecis hominibus in proverbio, quem omnia *intus* canere dicebant, sustulit, et in *intimis* suis aedibus posuit: ut etiam illum ipsum artificio superasse videatur. Pergae fanum antiquissimum et sanctissimum Diànae scimus esse. Id quoque a te nudatum ac spoliatum esse; ex ipsa Diana, quod habebat auri, detractum atque ablatum esse dico. Quae, malum, est ista tanta audacia atque amentia? quas enim sociorum atque amicorum urbes adisti legationis iure et nomine; si in eas vi cum exercitu imperioque invasisses, tamen, opinor, quae signa atque ornamenta ex his urbibus sustulisses,

ferri. Quod autem pertinet ad virtutem partis huius, non intulit nominatim signa, quot abstulisse Aspendo videbatur. Sed quum generaliter dixisset plostris, ait *exportata* esse, ut de qualilate vehiculorum appareret multitudo eorum, quae plostris avecta sint. ID. — *Aspendium citharistam*) Simulacrum dicit huius citharistae abstulisse Varrem. Fuisse autem fertur tantae subtilitatis ut non exserta manu nervos citharae impellere, sed perquam occultis motibus, ac propterea proverbialiter dictus est *intus canere* solitus. Simulque orátor χαριέντως, *ut illum ipsum*, inquit, *artificio superasse videatur*. Callidiorem videlicet ostendens hunc in furando, quam illum in psallendo. ID. — *Quem omnia intus canere dicebant*) Quum canunt citharistae, utriusque manus funguntur officio; dextra plectro utitur, et hoc est foris canere; sinistra digitis chordas carpit; et hoc est intus canere; difficile autem, quod Aspendius citharista faciebat, ut non uteretur cantu utraque manu, sed omnia, id est, universam cautionem, intus et sinistra tantum manu complecteretur; unde omnes quotquot fures erant a Graecis Aspendii citharistae in proverbio dicebantur, quod, ut ille carminis, ita isti furtorum occultatores erant; valet hoc proverbium et in eos, qui multum intestinis suis commodia consulunt, praeter honestatem. ASC. — *Artificio superasse*) Vt *interius* positus esset, qui *intus* cantare consueverat. ID. — *Pergae fanum antiquissimum*) Apparet oppidum Pergam vocari, cuius nominativus casus Perga est; ergo adverbium loci *Pergae*. *Fanum* religiosissimum templum unde *fata* petuntur. ID. — *Quae, malum, est ista audacia atque amentia?*) Ne infrigescat impetus accusationis, postquam breviter multa proposuit, adiicit locos vehementes ad augendum, ut iudex, postquam didicerit, inflammetur. Congregata enim debent esse haec officia dicentis, et maxime in accusationibus,

Artificio) Volgo *artificio suo*. Pronomen, quod melius abest, nec est ap. Asconium, delevi.

haec non in tuam domum, neque in suburbana amicorum, sed Romam in publicum deportasses.

XXI. Quid ego de M. Marcello loquar, qui Syracusas, urbem ornatissimam, cepit? quid de L. Scipione, qui bellum in Asia gessit, Antiochumque, regem potentissimum, vicit? quid de Flaminino, qui regem Philippum et Macedoniam subegit? quid de L. Paullo, qui regem Persen vi ac virtute superavit? quid de L. Mummio, qui urbem pulcherrimam atque ornatissimam, Corinthum, plenissimam rerum omnium, sustulit, urbesque Achaiae Boeotiaeque multas sub imperium populi romani ditionemque subiunxit? Quorum domus, quum honore et virtute florerent, signis et tabulis pictis erant vacuae. At vero urbem totam, templa deorum, omnesque Italiae partes, illorum donis ac monumentis exornatas videmus. Vereor, ne haec forte cuiquam nimis antiqua et iam obsoleta videantur. Ita enim tum aequa-

ut indignationi calor subiiciatur. ANON. — *Neque in suburbana amicorum*) Hortensium praecipue videtur significare, qui huiusmodi signis et tabulis pictis familiariter delectabatur. Id manifestius in Hortensio ostendit dialogo, quum in villa Hortensii balneum (16) esset omni apparatu venustatis ornatum. ID.

CAP. XXI. *Quid de L. Scipione?*) De quo quum senatus ambigeret, utrum idoneus esset, qui in Asiam contra Antiochum mitteretur, P. Scipio Africanus, frater eius, legatum se obtulit ad id bellum gerendum, et victoriam reportavit. ASC. — *Quid de L. Mummio*) Legatorum populi romani violatorum causa bellum adversus Corinthum graecam urbem gessit populus romanus eamque delevit duce Mummio: cur autem graecorum triumphorum ponit exempla? Quia de signis loquitur, quorum copia apud Graecos est constituta. ID. — *Vereor ne haec forte cuipiam nimis antiqua et iam obsoleta videantur*) Apud ineruditos iudices exempla de vetustate prolata minus efficaciae habent, quoniam videri possunt ab oratore confingi. Hoc etiam Demosthenes κατὰ Ἀριστογείτονος in consilio habens ita dixit: *καί τί δεῖ λέγειν περὶ τῶν παλαιῶν, ἀλλὰ τοὺς ἐφ' ὑμῶν αὐτῶν ἀναλογίσασθε*, et reliqua. ANON. —

Cuiquam) Schol. Anon. *cuipiam*. Priscianus autem p. 872 *cuiquam* ut vulgo.

biliter omnes erant huiusmodi, ut haec laus eximiae virtutis et innocentiae, non solum hominum, verum etiam temporum illorum esse videatur. P. Servilius, vir clarissimus, maximis rebus gestis, adest; de te sententiam laturus est; Olympum vi, copiis, consilio, virtute cepit, urbem antiquam, et omnibus rebus auctam et ornatam. Recens exemplum fortissimi viri profero. Nam postea Servilius imperator populi romani Olympum, urbem hostium, cepit, quam tu in iisdem locis legatus quaestorius oppida pacata sociorum atque amicorum diripienda ac vexanda curasti. Tu, quae ex fanis religiosissimis per scelus et latrocinium abstulisti, ea nos videre, nisi in tuis amicorumque tuorum tectis, non possumus: P. Servilius, quae signa atque ornamenta ex urbe hostium, vi et virtute capta, belli lege, atque imperatorio iure sustulit, ea populo romano apportavit, per triumphum vexit, in tabulas publicas ad aerarium perscribenda curavit. Cognoscite ex literis publicis hominis amplissimi diligentiam. Recita. RATIONES RELATAE P. SERVILII. Non solum numerum signorum, sed etiam uniuscuiusque magnitudinem, figuram, statum, literis definiri

Omnes erant eiusmodi) Boni scilicet. Asc. — *P. Servilius*) Bona occasio promerendi iudicis cum obtestatione coniuncta. Hic enim bellum in Cilicia gessit, deque ea triumphavit, captis Coryco, Olympo, Phaselide, tribus magnis eius terrae urbibus. Asc. — *P. Servilius*) Collega fuit in consulatu Appio Claudio, bellumque gravissimum in Cilicia gessit. Inter cetera Phaselida et Olympum subiecit, unde rebus bene gestis Isauricus cognominatus est. Anon. — *Legatus quaestorius*) Legatum ex quaestore agens. Asc. — *Per triumphum vexit*) Ferculis enim signa ante triumphantem vehi per pompam solebant. Id. — *Ad aerarium perscribenda*) Haec fuit veterum diligentia, ut quod quisque de subiugata provincia per triumphum apportasset, perscriptum in tabulis in aerario reponendis conservaretur. Id. — *Figuram, sta-*

De te sententiam laturus est) duo MSS. Lambini *adest de te sententiam laturus.*

In tabulas publicas) MS. Cuiacii *tabulis publicis.*

vides. Certe maior est virtutis victoriaeque iucunditas, quam ista voluptas, quae percipitur ex libidine et cupiditate. Multo diligentius habere dico Servilium praedam populi romani, quam te tua furta notata atque descripta.

XXII. Dices, tua quoque signa et tabulas pictas ornamento urbi foroque populi romani fuisse. Memini. Vidi simul cum populo romano forum comitiumque adornatum, ad speciem magnifico ornatu, ad sensum cogitationemque acerbo et lugubri. Vidi collucere omnia furtis tuis, praeda provinciarum, spoliis sociorum atque amicorum. Quo quidem tempore, iudices, ipse spem maximam reliquorum quoque peccatorum nactus est. Vidit enim eos, qui iudiciorum dominos se dici volebant, harum cupiditatum esse servos. Socii vero nationesque exterae spem omnium

tum) *Figura* est circa gestum situmque membrorum; *status* circa ornatum et habitum vestis insignium et armorum. Id. — *Certe maior est*) Non video, quid apportet hic sensus. Nihil enim mirum, diligentiorem esse Servilium quam Verrem, si ita est; nisi forte quod ait, *certe maior est*, sic accipiamus, quasi dicat, *vere maior est*; et quod subiunxit argumentum sit, virtutis quam voluptatis, maiorem esse fructum. Id.

Cap. XXII. *Dices tua quoque signa*) Oratoria πλάσει hanc sibi obiicit quaestionem, quae genus confessionis in se habet. Nam aedili atque praetori Hortensio et item Metellis rapta ex provinciis signa ad ornandum forum et comitium commodaverat Verres. Olim enim quum in foro ludi populo darentur, signis ac tabulis pictis partim ab amicis, partim e Graecia commodatis utebantur ad scenae speciem, quia adhuc theatra non fuerant. Id. — *Comitium*) Locus propter senatum quo coire equitibus et populo romano licet. Id. — *Vidi collucere omnia furtis tuis*) Vehementer παρὰ προσδοκίαν καὶ μετὰ μεταβολῆς *collucere omnia furtis* illius vidisse se dixit, quasi non esset ornatus fori, sed confessio rapinarum. Anon. — *Qui se iudiciorum dominos dici volebant, harum cupiditatum esse servos*) Ex τῶν ἀντιθέτων aspere laceravit Hortensium, quum illum dicat habuisse in iudiciis dominationem; eundem tamen pati significet in his luxuriae apparatibus quandam libidinis servitutem. Id. — *Qui se iudiciorum dominos*) Hortensium, cete-

Notata atque descripta) Duo codd. ap. Lambin. *perscripta*. Ipse malebat notatam atque perscriptam.

Ad speciem magnifico ornatu) Lamconi. *comitiumque ad speciem magnifico ornatu*.

tum primum abiecerunt rerum ac fortunarum suarum; propterea quod casu legati ex Asia atque Achaia plurimi Romae tunc fuerunt, qui deorum simulacra, ex suis fanis sublata, in foro venerabantur. Itemque cetera signa et ornamenta quum cognoscerent, alia alio in loco lacrymantes intuebantur. Quorum omnium hunc sermonem tum esse audiebamus: « Nihil esse, quod quisquam dubitaret de exitio sociorum atque amicorum, quum quidem viderent in foro populi romani, quo in loco antea, qui sociis iniurias fecerant, accusari et condemnari solebant, ibi esse palam posita ea, quae ab sociis per scelus ablata ereptaque essent. »

XXIII. Hic ego non arbitror illum negaturum, signa sese plurima, tabulas pictas innumerabiles habere: sed, ut opinor, solet haec, quae rapuit et furatus est, nonnunquam dicere, se emisse; quoniam quidem in Achaiam, Asiam, Pamphyliam, sumptu publico, et legationis nomine, mercator signorum

rosque nobiles. Asc. — *Ex Asia atque Achaia*) Vnde fuerant ista signa per furtum ablata. Id. — *Ex suis templis ablata in foro venerabantur*) Graecorum quidem mentes caeremoniosas et deorum observantissimas ostendit, invidiam tamen hoc ipso Verri accumulat; quo magis illos miserabiles facit; qui Romae simulacra deorum recognoscentes venerarentur, ut quamvis effigies sacrae locum mutassent, nihil tamen de officio suo animi religio perdidisset, quo minus illi ubicumque inventos adorarent, quos apud se colere consueverant. Anon.

Cap. XXIII. *Non arbitror illum negaturum*) Nam solebant magistratibus commodari reddenda (17). Asc. — *Quoniam quidem cum imperio ac securibus*) Εἰρωνεία μετὰ συγχωρήσεως. *Cum imperio ac securibus* heoe; quia non licet negotiari magistratibus sed privatis (18). Id. — *Mercator signorum publicorum tabularumque pictarum missus est*) Μετ' εἰρωνείας καὶ κατὰ συγχώρησιν importatur haec quaestio, στοχαστικὸν ζήτημα. Nam quum sit coniecturaliter

Abiecerunt) Sic vet. cod. ap. Gothof. Vulg. *abiecere*, quod minus bene sonat, quia statim sequitur syllaba *RE*, in *rerum*.

Venerabantur) Ern. coni. *venerarentur*.

Quoniam quidem) Ascon. addit *cum imperio et securibus*; improban-

tabularumque pictarum missus est. Habeo et istius, et patris eius accepti tabulas omnes; quas diligentissime legi atque digessi; patris, quoad vixit; tuas, quoad ais te confecisse. Nam in isto, iudices, hoc novum reperietis. Audimus, aliquem tabulas nunquam confecisse; quae est opinio hominum de Antonio falsa. Nam fecit diligentissime. Verum sit hoc genus aliquod minime probandum. Audimus, alium non ab initio fecisse, sed ex tempore aliquo confecisse. Est aliqua etiam huiusce rei ratio. Hoc vero novum et ridiculum est, quod hic nobis respondit, quum ab eo tabulas postularemus: usque ad M. Te-

tractaturus, omnia illa non emisse Verrem, sed diripuisse contendit. Interim per qualitatem quasi emisse concedit. Et hoc magistratui romano (19) per provincias agere mercaturam, verum posthac ἄτεχνος πίστις inartificialis probatio opponitur de citatione tabularum; in quibus emptio non inveniretur. Anon. — *Habeo et ipsius et patris eius accepti tabulas*) Id est acceptarum pecuniarum. Legitur et *ab eo* et *accepi*. Moris autem fuit, unumquemque domesticam rationem sibi totius vitae suae per dies singulos scribere, ex quo appareret, quid quisque de redditibus suis, quid de arte, foenore, lucrove seposuisset, quoque die et quid idem sumptus damnive fecisset. Sed postquam obsignandis literis reorum ex suis quisque tabulis damnari coepit, ad nostram memoriam tota haec vetus consuetudo cessavit. Dicit igitur Tullius habere se et patris eius tabulas, quoad vixit, et ipsius Verris, quoad confecisse dixit, ex quibus proditur quam multae tabulae pictae, quot signa apud eum, nullo emptionis iure, furto capta noscantur (20). Remoraturque in eo, quod se dicat Verres non ex aliquo tempore coepisse literas domesticae rationis facere, sed ex aliquo tempore destitisse, quod factum nullo exemplo defendi potest. Asc. — *De M. Antonio*) Hic est M. Antonius (21) dissolutissimus curator totius orae maritimae, Cretae mortuus; de quo ipso dicet: *et post M. Antonii infinitum illud imperium senserant*; et quem Sallustius ait perdundae pecuniae genitum, et vacuum a curis, nisi instantibus. Id. — *Est aliqua etiam huiusce rei ratio*) Vel mala, vel bona. Dicit ergo, etsi non bonam, apparet tamen esse aliquam rationem. Aut ipse hoc dicit. Bona ratio (22) nunquam scribendi, iudicium perseverans de tabulis non conficiendis; aliquando coepisse correctio erroris in melius; destitisse quum coeperis mala ratio; est enim inconstantia et mutatio quaedam in deterius. Id. — *Vsque ad M. Terentium et C. Cassium Coss.*) Ab horum consulatu videtur tabulas

tibus Hotom., Lamb., Grut., Ern. etc. Defendit tamen Wieling Lect. Iur. I, 5, et Garatonus. Sed in Asconii codicem venisse videtur ex loco Verr. IV, 4.

Vsque — consules) i. e. A. V. 680,

rentium et C. Cassium consules confecisse; postea destitisse. Alio loco, hoc cuiusmodi sit, considerabimus. Nunc nihil ad me attinet, Horum enim temporum, in quibus nunc versor, habeo tabulas, et tuas, et patris. Plurima signa pulcherrima, plurimas tabulas optimas deportasse te, negare non potes: atque utinam neges! Vnum ostende in tabulis aut tuis aut patris tui emptum esse: vicisti. Ne haec quidem duo signa pulcherrima, quae nunc ad impluvium tuum stant, quae multos annos ad valvas Iunonis Samiae steterunt, habes quomodo emeris; haec, inquam, duo, quae in aedibus tuis sola iam sunt, quae sectorem exspectant, relicta ac destituta a ceteris signis.

XXIV. At, credo, in hisce solis rebus indomitas cupiditates atque effrenatas habebat: ceterae libidines eius ratione aliqua aut modo continebantur. Quam multis istum pueris ingenuis, quam multis matribus familias, in illa tetra atque impura legatione, vim attulisse existimatis? ecquo in oppido pedem posuit,

Verres rationom sosrum destitisse consignare; qnamvis a praesenti tempore non longe abesl (23). Id. — *Alio loco, cuiusmodi sit, considerabimus*) Scilicel ad legends furta pertinel ista praetermissio rationum, ne conscriptis iis, quae babuit, el iis, qoae nunc habel, extraordinaria rerum possessio cerneretur. Id. — *Atque utinam neges*) Quum enim confiteris etsi improbe, videris tamen aliqoid dicere, quum dicis, *emi non rapui*. Si solem negaveris el convinceris, et huiusmodi defensione nudaberis. Id. — *Impluvium*) Locus sine tecto in aedibus, quo implnere imber iu domum possil. Id. — *Quae sectorem exspectant*) Repetondarum causa ita se babel, ut si convictus reus sil, alque damnatus, pecuniam reddal aestimata lite, hoc esl in pretium redactis omnibus furtis; quam sommam pecuniae proscriptis eius bonis sectores curabant. Sectores autem dicti sunl, qui speciem lucri sui sequuti, bona coodemnatorum semel auctionabantur, quiqoe iis pecunias pensitabanl singulis; ac postea pro compendio suo singulas quasque res pecunia populo vendilabant. Sola ergo haec dno signa dicit apnd Verrem relicta, asportatis ad amicos ceteris signis. Id.

qno anno Verres pro praetore in Siciliam abiit.

Confecisse) *se confecisse* Lambin.

Quam multis istum pueris) Sic Lambin. Vulgo omittitur *pueris*.

ubi non plura stuprorum flagitiorumque suorum, quam adventus sui vestigia reliquerit? Sed ego omnia, quae negari poterunt, praetermittam; etiam haec, quae certissima sunt et clarissima, relinquam; unum aliquod de nefariis istius factis eligam, quo facilius ad Siciliam possim aliquando, quae mihi hoc oneris negotiique imposuit, pervenire. Oppidum est in Hellesponto Lampsacum, iudices, in primis Asiae provinciae clarum et nobile: homines autem ipsi Lampsaceni tum summe in omnes cives romanos officiosi, tum praeterea maxime sedati et quieti, prope praeter ceteros ad summum Graecorum otium potius, quam ad ullam vim aut tumultum accommodati.

XXV. Accidit, quum iste a Cn. Dolabella efflagitasset, ut se ad regem Nicomedem, regemque Sadalam mitteret, quumque iter hoc sibi magis ad quaestum suum, quam ad rei publicae tempus accommodatum depoposcisset; ut illo itinere veniret Lampsacum, cum magna calamitate et prope pernicie civitatis. Deducitur iste ad Ianitorem quendam hospitem: comitesque eius item apud ceteros hospites collocan-

Cap. XXIV. *Vt credo*) Transitus ad aliam criminum speciem. Non enim haec, quae ante acta sunt, sic dicit, tanquam siciliensia crimina, propria huius cognitionis, quae per singulos libros constat esse divisa, ut de iure dicundo, de re frumentaria, de signis, de suppliciis. Id. — *Quo facilius ad Siciliam possim*) Oratorie simulat ad principalem causam Siciliae, de qua sine dubio dici oportet se festinari, nimirum ut quaeque retio ἐκ τῆς παρασκευῆς dicta sunt, et altius ad praeparandum repetita necessario duxerit, non studio loquacitatis ingesserit. Anon. — *Oppidum est in Hellesponto Lampsacum*) Alta ἐπίδειξις, utrumque praesentis causa ratio postulavit. Videmus de * * * * * * Id.

Cetera Anonymi desunt.

Ad summum Graecorum otium) Dixit hoc secundum illam sententiam de Graecis habitam, quos otiosos et leves esse consensum est. Ascon. et sic deinceps.

Cap. XXV. *Quum iste a Cn. Dolabella efflagitasset*) Ergo non e re publica ire coactus est, sed ut mitteretur ambitione perfecit. Nicomedes autem

tur. Vt mos erat istius, atque ut eum suae libidines flagitiosae facere admonebant, statim negotium dat illis suis comitibus, nequissimis turpissimisque hominibus, uti videant et investigent, ecqua virgo sit, aut mulier digna, quamobrem ipse Lampsaci diutius commoretur, Erat comes eius Rubrius quidam, homo factus ad istius libidines, qui miro artificio, quocumque venerat, haec investigare omnia solebat. Is ad eum rem istam defert: Philodamum esse quendam, genere, honore, copiis, existimatione facile principem Lampsacenorum: eius esse filiam, quae cum patre habitaret, propterea quod virum non haberet, mulierem eximia pulchritudine; sed eam summa integritate pudicitiaque existimari. Homo, ut haec audivit, sic exarsit ad id, quod non modo ipse nunquam viderat, sed ne audierat quidem ab eo, qui ipse vidisset, ut statim ad Philodamum migrare se diceret velle. Hospes Ianitor, qui nihil suspicaretur, veritus, ne

Bithyniae rex est, Sadala Thraciae, ambo socii populi romani. — *Ianitorem quendam*) Ianitorem quum dixisset, addidit *quendam*, ut ostenderet non appellativum nomen esse, sed proprium. — *Videant*) Si in promptu res. — *Investigent*) Quum non videant. Et ideo posterius positum. — *Homo factus ad istius libidines*) In nascendo sors est, in faciendo industria. Bene ergo non natum sed factum dicit. Non enim natura perductores procreara Verri, sed ipsum sibi docendo potest eos fingere.

Libidines flagitiosae) *flagitiose* habent MS. Franc. 1, Gu. duo Pariss. et recepit Beck. Pro *admonebant*, quod e MS. Cuiac. receperunt Lamb. Ern. olim legebatur *admonuerant*, in MS. Gu. *commovebant*. Ernestio haec varietas suspicionem fecit locum interpolatum esse. Sane multo elegantius abessent ista: *atque ut eum suae libidines flagitiosae facere admonebant*.

Quamobrem ipse) *ipse* e Guelf. dedit Ern. Vulg. *iste*.

Commoretur) Sic Ern. Vulg. *commoraretur*.

Ad eum rem istam) Gruter. verba *ad eum rem istam* insititia esse suspicabatur. Ego vero servandum puto *ad eum*, et *rem istam* delendum. Sic ad Q. Fratr. I, 1, *ad nos omnes fere deferunt, nihil te fieri posse iucundius*; et sic saepius alibi.

Veritus, ne quid in se offenderit) Olim edebatur *veritus, ne quid in ipso se offenderit*. Hotomannus coniiciebat legendum vel *veritus, ne quid*

quid in se offenderit, hominem summa vi retinere coepit. Iste, qui hospitis relinquendi causam reperire non posset, alia sibi ratione viam munire ad stuprum coepit: Rubrium, delicias suas, in omnibus eiusmodi rebus adiutorem suum et conscium, parum laute deversari dicit, ad Philodamum deduci iubet.

XXVI. Quod ubi est Philodamo nuntiatum, tametsi erat ignarus, quantum sibi ac liberis suis mali constitueretur, tamen ad istum venit; ostendit, munus illud iam suum non esse; se, quum suae partes essent hospitum recipiendorum, tum ipsos tamen praetores et consules, non legatorum asseclas, recipere solere. Iste, qui una cupiditate raperetur, totum illius postulatum causamque neglexit: per vim ad eum, qui recipere non debebat, Rubrium deduci

Cap. XXVI. *Quum suae partes essent*) Id est vicissitudo tangeret. Simul enim ostendere vult, nec suscipiendum sibi esse nunc hospitem, et quum suscipiat, condignum solere suscipere. — *Vna cupiditate*) *Vna* vel praecipua vel vere una. Extra quam non iure, non more, non honestate, mo-

ipsum in se offenderit, vel *v.*, *ne quid in se ipsum offenderit*; vel *ne quid ipse in se offenderit*, ut pronomen *ipse* Verrem demonstraret. Gulielm. retinuit *ne quid in ipso se offenderit*. Ern. cum Pal. 1, Cuiac., Gu., Franc. 1, 2, *v.*, *ne quid in ipso se offenderetur*, h. e. ne quid esset in semetipso quod Verri displiceret. Graevius malebat: *ne quid in ipso offenderit*. Ego Lambinum sequutus *ne quid in se offenderit* recepi. Sic ad Fam. V, 14, *in altera non offendas*; ad Q. Fratr. I, 1, *in quo iam offenderis*.

Tametsi erat ignarus) Sic Nonius Marcellus v. *constituere*. Olim edebatur; *tametsi non erat ignarus*. Negationem vero eiiciendam esse viderunt Victor., Hotom., Lambin.

Quantum sibi ac liberis suis) Post *liberis suis* delevi *iam tum*, et post *munus illud* inserui *iam*, utrumque Ernestio auctore. Philodamus enim non dicebat munus illud suum non esse hospitum recipiendorum, sed potius *iam* s. *nunc* non esse. Quod declaratur sequentibus verbis: *quum suae partes essent*, h. e. ut Asconius interpr. quum vicissitudo tangeret. Et recte idem Asconius *simul enim*, inquit, *ostendere vult*, *nec suscipiendum sibi* NVNC *esse hospitem*, *et quum suscipiat*, *condignum solere suscipere*.

Tum ipsos tamen) *tum ipsos tantum* Manut. Hotomannus corrigebat *tamen ipsos tantum*. Recte vero edd. pr. MSS. Pall., Cuiac., Gu. *tum ipsos tamen*.

imperavit. Hic Philodamus, posteaquam ius suum obtinere non potuit, ut humanitatem consuetudinemque suam retineret, laborabat. Homo, qui semper hospitalissimus amicissimusque nostrorum hominum existimatus esset, noluit videri ipsum illum Rubrium invitus in domum suam recepisse: magnifice et ornate, ut erat in primis inter suos copiosus, convivium comparat; rogat Rubrium, ut, quos ei commodum sit, invitet; locum sibi soli, si videatur, relinquat. Etiam filium suum, lectissimum adolescentem, foras ad propinquum suum quendam mittit ad coenam. Rubrius istius comites invitat; eos omnes Verres certiores facit, quid opus esset. Mature veniunt; discumbitur. Fit sermo inter eos, et invitatio, ut graeco more biberetur. Hortatur hospes; poscunt maioribus poculis; celebratur omnium sermone laetitiaque convivium. Posteaquam satis calere res Rubrio visa est: « Quaeso, inquit, Philodame, cur ad nos filiam tuam non intro vocari iubes? » Homo, qui et summa gravitate, et iam id aetatis, et parens esset, obstupuit hominis im-

reretur. — *Ius suum*) Ne Rubrium pateretur. — *Laborabat*) Bene, quia invitus susceperat hospitem se indignum. — *Quid opus esset*) Vt mulieri scilicet vis afferretur. — *Graeco more biberetur*) Grandibus, inquiunt, poculis, et meracis potionibus, qui non intelligunt dicta Ciceronis, et hoc putant graeco more potare. Est autem graecus mos (ut Graeci dicunt), συμπιεῖν κυαθιζομένους, quum merum cyathis bibunt, salutantes primo deos, deinde amicos suos nominatim. Nam toties merum bibunt, quoties et deos et caros suos nominatim vocant. — *Poscunt maioribus*) Sunt qui producta scilicet O litera *poscunt* (24) legunt, quasi saepe petant. Sed *poscunt* provocant intelligendum est, ut sit sensus: provocant se invicem, maioribus autem poculis poscunt a pincerna, id est petunt, ut subaudiatur *bibere*.

Etiam — mittit ad coenam) Olim edebatur *ut etiam — mitteret ad coenam* Guilelm. et Lambin. a Cuiacii cod. *etiam — mittit ad coenam*. Gratero placebat infinitivus historicus *etiam — mittere ad coenam*.

probi dicto. Instare Rubrius. Tum ille, ut aliquid responderet, negavit moris esse Graecorum, ut in convivio virorum accumberent mulieres. Hic tum alius ex alia parte: « Enimvero ferendum hoc non est; vocetur mulier: » et simul servis suis Rubrius, ut ianuam clauderent, et ipsi ad fores assisterent, imperat. Quod ubi ille intellexit id agi, atque id parari, ut filiae suae vis afferretur; servos suos ad se vocat; his imperat, ut se ipsum negligant, filiam defendant; excurrat aliquis, qui hoc tantum domestici mali filio suo nuntiet. Clamor interea fit tota domo, pugna inter servos Rubrii atque hospitis. Iactatur domi suae vir primus, et homo honestissimus. Pro se quisque manus affert: aqua denique ferventi a Rubrio ipso Philodamus perfunditur. Haec ubi filio nuntiata sunt, statim exanimatus ad aedes contendit, ut et vitae patris, et pudicitiae sororis succurreret. Omnes eodem animo Lampsaceni, simul ut hoc audiverunt, quod eos tum Philodami dignitas, tum iniuriae magnitudo movebat, ad aedes noctu conveniunt. Hic lictor istius Cornelius, qui cum eius servis erat a Rubrio, quasi in praesidio, ad auferendam mulierem collocatus, occiditur; servi nonnulli vulnerantur; ipse Rubrius in turba sauciatur. Iste, qui sua cupiditate tantos tumultus concitatos videret, cupere aliqua evolare, si posset.

XXVII. Postridie mane homines in concionem

Hominis improbi dicto) Ern. coni. *hominis improbe dicto.* Vulgatum est fortius.

Ferendum hoc non est) MS. Cuiac. *ferendum hoc quidem non est.*

Pugna) Hoc addidit Hotom. a Iulio Rufiniano de figg. c. 36.

Vir primus) Victor. et Manut. *vir optimus.* Lambin. ex Nonio *vir primarius.*

Conveniunt) Ita recte Herelius emendavit. Vulgo *convenerunt.*

veniunt; quaerunt, quid optimum factu sit; pro se quisque, ut in quoque erat auctoritatis plurimum, ad populum loquebatur; inventus est nemo, cuius non haec et sententia esset et oratio: « Non esse metuendum, si istius nefarium scelus Lampsaceni ulti vi manuque essent, ne senatus populusque romanus in eam civitatem animadvertendum putaret. Quod si hoc iure legati populi romani in socios nationesque exteras uterentur, ut pudicitiam liberorum servare ab eorum libidine tutam non liceret; quidvis esse perpeti satius, quam in tanta vi atque acerbitate versari. » Haec quum omnes sentirent, et quum in eam rationem pro suo quisque sensu ac dolore loqueretur: omnes ad eam domum, in qua iste deversabatur, profecti sunt; caedere ianuam saxis, instare ferro, ligna et sarmenta circumdare, ignemque subiicere coeperunt. Tum cives romani, qui Lampsaci negotiabantur, concurrunt; orant Lampsacenos, ut gravius apud eos nomen legationis, quam iniuria legati putaretur; sese intelligere hominem illum esse impurum ac nefarium; sed, quoniam nec perfecisset, quod conatus esset, neque futurus esset Lampsaci postea, levius eorum peccatum fore, si homini scelerato pepercissent, quam si legato non pepercissent.

XXVIII. Sic iste multo sceleratior et nequior,

CAP. XXVII. *Quaerunt, quid optimum factu sit*) Adeo non graeca levitate res gestae sunt, sed agitato consilio defensa libertas. — *Levius eorum peccatum*) Magna vi oratoria, etiam parcere peccatum esse dicebant, inquit, quia Verri parcebatur, sed tamen leve, quia legato.

CAP. XXVIII. *Sic iste multo sceleratior et nequior quam ille Adrianus*)

Veniunt) MSS. Cuiac. *conveniunt.*

Ignemque subiicere coeperunt) Sic codd. Pall. edd. pr. Sequentes edd. nonnullae *ignem.* MS. Cuiac. *ignemque circum subiicere.*

quam ille Hadrianus, aliquanto etiam felicior fuit. Ille, quod eius avaritiam cives romani ferre non potuerant, Vticae domi suae vivus exustus est; idque ita illi merito accidisse existimatum est, ut laetarentur omnes, neque ulla animadversio constitueretur: hic sociorum ambustus incendio, tamen ex illa flamma periculoque evolavit; neque adhuc causam ullam excogitare potuit, quamobrem commiserit, aut quid evenerit, ut in tantum periculum veniret. Non enim potest dicere: « quum seditionem sedare vellem, quum frumentum imperarem, quum stipendium cogerem, quum aliquid denique rei publicae causa gererem: quod acrius imperavi, quod animadverti, quod minatus sum. » Quae si diceret, tamen ignosci non oporteret, si nimis atrociter imperando sociis, in tantum adductus periculum videretur. Nunc quum ipse causam illius tumultus neque veram dicere, neque falsam confingere audeat; homo autem ordinis sui frugalissimus, qui tum accensus C. Neroni fuit, P. Tettius, haec eadem se Lampsaci cognosse dixerit; vir omnibus rebus ornatissimus C. Varro, qui tum in Asia tribunus militum fuit, haec eadem ipsa se ex Philodamo audisse dicat: potestis dubitare, quin istum fortuna non tam ex illo periculo eripere voluerit,

Cinnanis temporibus quum C. Fabius Adrianus, ut alii aiunt legatus, ut alii putant, pro praetore, vel praetor provinciam obtineret Africam, Vticae in praetorio suo vivus ustus est, quod corrupta servitia civitatis illius de principum nece conspirasse diceretur. Sed opportune Tullius causam tacet illatae necis in Adriano, et inultam mortem eius ostendit; quem dicit oratorie non in hospitio, sed domi suae vivum crematum. Et ille sic dixit, ut de notissimo videretur loqui. — *Accensus Neroni*) *Accensus* nomen est ordinis et promotionis in militia, ut nunc dicitur princeps vel commentariensis, aut cornicularius. Haec enim nomina de legionaria militia sumpta

Quamobrem commiserit) Hotom. coni. *quamobrem evenerit aut quid commiserit.*

quam ad vestrum iudicium reservare? Nisi vero illud dicet, quod et, in testimonio Tettii, priore actione interpellavit Hortensius (quo tempore quidem signi satis dedit, si quid esset, quod posset dicere, se tacere non posse; ut, quamdiu in ceteris rebus tacuerit, scire omnes possemus, nihil habuisse quod diceret), hoc tum dixit, Philodamum, et eius filium, a C. Nerone esse damnatos.

XXIX. De quo ne multa disseram, tantum dico, sequutum id esse Neronem, et eius consilium, quod Cornelium lictorem occisum esse constaret: putasse non oportere esse cuiquam, ne in ulciscenda quidem iniuria, hominis occidendi potestatem. In quo video, Neronis iudicio non te absolutum esse improbitatis, sed illos damnatos esse caedis. Verum ista damnatio tamen cuiusmodi fuit? Audite, quaeso, iudices, et aliquando miseremini sociorum, et ostendite, aliquid his in vestra fide praesidii esse oportere. Quod toti Asiae iure occisus videbatur istius ille, verbo lictor, re vera minister improbissimae cupiditatis: pertimuit iste, ne Philodamus Neronis iudicio liberaretur. Rogat et orat Dolabellam, ut de sua provincia decedat, ad Neronem proficiscatur; se demonstrat incolumem esse

sunt (25). — *Interpellavit*) Interpellare est mediam alterius orationem interrompere, vel actioni se alterius interponere. Apparet ergo Hortensium, quamvis diu multumque tacuerit, Tettium in medio testimonio perstrinxisse, quod diceret Philodamum adeo malam causam habuisse, ut a C. Nerone damnatus sit.

CAP. XXIX. *Putasse non oportere*) Deprehensio iudicati ab ea parte, qua causae derivatio facit, ne nobis iudicata obsint. Non enim causam Verris relevatam esse, sed illos damnatos, quod quoquo modo occisum hominem esse constaret. — *Pertimuit iste*) Mire orator, non Verrem vindicare mortem Cornelii damnatione Philodami, sed crimen suum relevare voluisse.

Hoc tum dixit) Lamb. *sed hoc tum dixit.*

Ne multa disseram) Lamb. e eod. vet. *multum.*

Cupiditatis) *voluptatis* Lambin. e codd.

non posse, si Philodamo vivere, atque aliquando Romam venire licuisset. Commotus est Dolabella. Fecit id, quod multi reprehenderunt, ut exercitum, provinciam, bellum relinqueret, et in Asiam, hominis nequissimi causa, in alienam provinciam, proficisceretur. Posteaquam ad Neronem venit, contendit ab eo, ut Philodami causam cognosceret. Venerat ipse, qui esset in consilio, et primus sententiam diceret. Adduxerat etiam praefectos, et tribunos militares suos, quos Nero omnes in consilium vocavit. Erat in consilio etiam aequissimus iudex ipse Verres. Erant nonnulli togati creditores Graecorum, quibus ad exigendas pecunias improbissimi cuiusque legati plurimum prodest gratia. Ille miser defensorem reperire neminem poterat. Quis enim esset aut togatus, qui Dolabellae gratia, aut Graecus, qui eiusdem vi et imperio non moveretur? Accusator autem apponitur civis romanus de creditoribus Lampsacenorum: qui, si dixisset, quod iste iussisset, per eiusdem istius lictores a populo pecuniam posset exigere. Quum haec omnia tanta contentione, tantis copiis agerentur; quum illum miserum multi accusarent, nemo defenderet; quumque Dolabella cum suis praefectis pugnaret in consilio, Verres fortunas agi suas diceret, idem testimonium diceret, idem esset in consilio, idem accusatorem parasset; haec quum omnia fierent, et quum hominem constaret occisum: tamen tanta

Quorum alterum iniurism passi est, alterum male sibi conscii. — *Contendit ab eo*) Extorsit ei. — *Togati creditores Graecorum*) Noluit dicere equites Romanos, sed togatos dixit, et creditores Graecorum, ut ostenderet causas gratificationis in Verrem. — *Accusator apponitur*) Non dicit accedit, sed a Verre scilicet subornatur. — *Et ex creditoribus Lampsacenorum*) Et hic

Civis Romanus de creditoribus Lampsacenorum) *civis Romanus et ex creditoribus Lampsacenorum* Ascon.

vis istius iniuriae, tanta in isto improbitas putabatur, ut de Philodamo *amplius* pronuntiaretur.

XXX. Quid ego nunc in altera actione Cn. Dolabellae spiritus, quid huius lacrymas et concursationes proferam? quid C. Neronis, viri optimi atque innocentissimi, nonnullis in rebus animum nimis timidum atque demissum? qui in illa re quid facere posset non habebat, nisi forte, id quod omnes tum desiderabant, ut ageret eam rem sine Verre et Dolabella. Quidquid esset sine his actum, omnes probarent: tum vero, quod pronuntiatum est, non per Neronem iudicatum, sed per Dolabellam ereptum existimabatur. Condemnatur enim perpaucis sententiis Philodamus et eius filius. Adest, instat, urget Dolabella, ut quamprimum securi feriantur, quo quam minime multi ex illis de istius nefario scelere audire possent. Constituitur in foro Laodiceae spectaculum acerbum et miserum et grave toti Asiae provinciae; grandis natu parens adductus ad supplicium; ex altera parte filius: ille, quod pudicitiam liberorum; hic, quod

causa gratiae in persona ostenditur accusantis. — *Vt de Philodamo amplius pronuntiaretur*) Mos veterum hic fuerat, ut si absolvendus quis esset, statim absolveretur; si damnandus, statim damnaretur; si causa idonea non esset ad damnationem, absolvi tamen non posset, *amplius* pronuntiaretur.

Cap. XXX. *Quid ego nunc in altera actione*) Hic apparet, etiam in ampliatione sic alteram actionem dici, quemadmodum in comperendinatione. — *Cn. Dolabellae spiritus*) Plus significat dicendo spiritus, quam si animositatem contentionemve diceret. — *Perpaucis sententiis*) Per nimium paucia sententiis eum dixit damnatum, ut ostenderet, vix paucos inventos, qui ad opprimendum eum, numerum damnationis implerent post amplia-

In altera actione) Sic Ascon. MSS. Franc 1, duo Gu. ed. Maunl., Lamb., Ern. Vulgo *in alteram actionem*.

Concursationes) Vulgo *concursiones*. Hotom. malebat *concursationes*; quod est in MS. Gu. Recepit Ern.

Quid facere posset?) Ernest. recte monuit vulgatam *quid facere potuerit* non esse ferendam. Schellerus quidem ei obloquutus est, allato exemplo or. pro Rosc. Am. c. 35, ubi est *quid erat quod — voluerit?* Sed istius loci ratio discrepat ab hoc, in quo imperfectum *facere posset* necessario requiritur.

vitam patris famamque sororis defenderat. Flebat uterque, non de suo supplicio, sed pater de filii morte, de patris filius. Quid lacrymarum ipsum Neronem putatis profudisse? quem fletum totius Asiae fuisse? quem luctum et gemitum Lampsacenorum? securi esse percussos homines innocentes, nobiles, socios populi romani atque amicos, propter hominis flagitiosissimi singularem nequitiam atque improbissimam cupiditatem? Iam iam, Dolabella, neque tui, neque tuorum liberum, quos te miseros in egestate atque in solitudine reliquisti, misereri potest. Verresne tibi tanti fuit, ut eius libidinem hominum innocentium sanguine lui velles? Idcircone exercitum atque hostes relinquebas, ut tua vi et crudelitate istius hominis improbissimi pericula sublevares? Quod enim eum tibi quaestoris in locum constitueras, idcirco tibi amicum in perpetuum fore putasti? Nesciebas, ab eo Cn. Carbonem consulem, cuius re vera quaestor fuit, non modo relictum, sed etiam spoliatum auxiliis, nefarie oppugnatum et proditum? Expertus igitur es istius perfidiam tum, quum se ad

lionem. — *Idcircone exercitum atque hostem relinquebas*) Recte dixit, bellum enim a Dolabella gerebatur in Cilicia. — *Sed etiam spoliatum auxiliis*) Auxiliis pro auxilio, quaestoris scilicet; aut auxiliis ipsius pecuniae quae avertebatur. Sic Virgilius (*Aen. I*, 358):

Auxiliumque viae veteres tellure recludit
Thesauros.

Misereri potest) Ascon. ad Divin. in Caecil. h. l. sic profert: *Iam iam Dolabella neque me tui, neque tuorum liberum miseret.* Lambin. e codd. Memm. *Iam iam D. me neque — miserere potest.* Gruterus e cod. Pall., Cuiac. *iam iam D. neque tui — misereri potest.* In qua *misereri* est passivum a *misereo.*

Sed etiam spoliatum auxiliis) Vulg. additur *pecunia.* Id recte omiserunt Hotom., Manut., Lambin. Nam pecunia est in auxiliis. Nec illud Asconius in codice suo legisse videtur. Herelius in verbis *auxiliis pecunia* ἓν διὰ δυοῖν esse putabat, ut dictum sit, pro *auxiliis pecuniae.*

inimicos tuos contulit, quum in te homo ipse nocens acerrimum testimonium dixit; quum rationes ad aerarium, nisi damnato te, referre noluit.

XXXI. Tantaene tuae, Verres, libidines erunt, ut eas capere ac sustinere non provinciae populi romani, non nationes exterae possint? Tune quod videris, quod audieris, quod concupieris, quod cogitaris, nisi id ad nutum tuum praesto fuerit, nisi libidini tuae cupiditatique paruerit, immittentur homines? expugnabuntur domus? civitates non modo pacatae, verum etiam sociorum atque amicorum ad vim atque ad arma confugient, ut ab se atque ab liberis suis legati populi romani scelus ac libidinem propulsare possint? Nam quaero abs te, circumsessusne sis Lampsaci; coeperitne domum, in qua deversabare, illa multitudo incendere; voluerintne legatum populi romani comburere vivum Lampsaceni. Negare non potes. Habeo enim testimonium tuum, quod apud Neronem dixisti: habeo, quas ad eundem literas misisti. Recita hunc ipsum locum de testimonio. TESTIMONIVM C. VERRIS IN ARTEMIDORVM. Recita ex Verris literis ad Neronem. EX LITERIS C. VERRIS AD C. NERONEM. NON MVLTO POST IN DOMVM.... Bellumne populo romano Lampsaceni facere conabantur? de-

Ad inimicos tuos) Accusatores, scilicet Scaurum. — *Nisi damnato*) Non posset enim rationes falsas ad aerarium referre Verres, nisi damnato Dolabella, qui redarguere mentientem praesens valeret.

CAP. XXXI. *Testimonium publicum tuum, quod apud Neronem dixisti*) Contra Philodamum. — *Bellum ne populo romano*) Sic enim ad Neronem

Habeo enim testimonium tuum) Ascon. *testimonium publicum tuum.*

TESTIMONIVM) Debebat esse: *EX TESTIMONIO.* Non enim totum testimonium recitabatur.

Recita ex Verris literis ad Neronem) Haec verba ante *EX LITERIS C. VERRIS AD NERONEM* inseruit Hotomannus probante Lambino. In codd. MSS. absunt.

Lampsaceni facere conabantur? — volebunt?) Codd. Hotom. *Lampsaci*

ficere ab imperio ac nomine nostro volebant? Video enim, et ex iis, quae legi et audivi, intelligo: in qua civitate legatus populi romani non modo circumsessus, non modo igni, ferro, manu, copiis oppugnatus, sed aliqua ex parte violatus sit: nisi publice satisfactum sit, ei civitati bellum indici atque inferri solere. Quae fuit igitur causa, cur cuncta civitas Lampsacenorum de concione, quemadmodum tute scribis, domum tuam concurrerent? Tu enim neque in literis, quas Neroni mittis, neque in testimonio, causam tanti tumultus ostendis ullam: obsessum te dicis, ignem illatum, sarmenta circumdata, lictorem tuum occisum esse dicis, prodeundi tibi in publicum potestatem factam negas; causam huius tanti terroris occultas. Nam si quam Rubrius iniuriam suo nomine, ac non impulsu tuo et tua cupiditate fecisset: de tui comitis iniuria questum ad te potius, quam te oppugnatum venirent. Quum igitur, quae causa illius tumultus fuerit, testes a nobis producti dixerint, ipse celarit: nonne causam hanc, quam nos proposuimus, tum illorum testimonia, tum istius taciturnitas perpetua confirmat?

XXXII. Huic homini parcetis igitur, iudices, cuius tanta peccata sunt, ut ii, quibus iniurias fecerit,

scripserat Verres. — *Nisi publice satisfactum sit*) Nisi decreto publico traditi ad poenam sint culpae auctores. Satisfacere est enim tantum facere, quantum satis sit irato ad vindictam. — *Ei civitati bellum indici*) Vt Corinthiis, ut Tarentinis. — *Lictorem tuum*) Cornelium scilicet.

civitas facere conabatur — volebat. Codd. Pall. et edd. vett. *Lampsaceni civitas f. conabantur? deficere — volebat.* Vnde Grut. arbitratur legendum: *Lampsaceni facere conabantur? civitas deficere — volebat?* Lambin. *Lampsacena civitas f. conabatur — volebat.* Alii *Lampsaceni cives f. conabantur — volebant*, in quo Ern. delevit *cives*, recte, ut opinor.

Non modo circumsessus) Vulgo *non modo legatus P. R. circumsessus.* Recte Hotomannus particulas *non modo* ante *circumsessus* locanda indicavit.

Domum tuam concurrerent?) Sic e Pal. 1, et Gu. et edd. vett. edidere Graev. et Ern. Alii *concurreret.* Cod. Cuiac. *concurreris*, quod tenuit Lamb.

neque legitimum tempus exspectare ad ulciscendum, neque vim tantam doloris in posterum differre potuerint? Circumsessus es. A quibus? A Lampsacenis, barbaris hominibus, credo, aut iis, qui populi romani nomen contemnerent. Immo vero ab hominibus et natura et consuetudine et disciplina lenissimis; porro autem populi romani, conditione sociis, fortuna servis, voluntate supplicibus; ut perspicuum sit omnibus, nisi tanta acerbitas iniuriae, tanta vis sceleris fuisset, ut Lampsaceni moriendum sibi potius, quam perpetiendum putarent, nunquam illos in eum locum progressuros fuisse, ut vehementius odio libidinis tuae, quam metu legationis moverentur. Nolite, per deos immortales, cogere socios atque exteras nationes hoc uti perfugio: quo, nisi vos vindicatis, ùtentur necessario. Lampsacenos in istum nunquam ulla res mitigasset, nisi eum poenas Romae daturum credidissent. Etsi talem acceperant iniuriam, quam nulla lege satis digne persequi possent: tamen incommoda sua nostris committere legibus et iudiciis, quam dolori suo permittere maluerunt.

XXXIII. Tu mihi, quum circumsessus a tam illustri civitate sis propter tuum scelus atque flagitium; quum coëgeris homines miseros et calamitosos, quasi desperatis nostris legibus et iudiciis, ad vim, ad manus, ad arma confugere; quum te in oppidis et civitatibus amicorum non legatum populi romani, sed tyrannum

CAP. XXXII. *Legitimum tempus ad ulciscendum*) An vitio magistratus? accepto enim successore ad magistratum accusari possunt.

Qui populi romani nomen contemnerent) Ald. *qui populum romanum contemnerent.*

Etsi) iunctim edidi, quia sequitur *tamen*. TYP. T.

Persequi possent) Sic MS. Gu. ed. Lamb. Beck. Vulgo *poterant.*

Nostris) *Vestris* Holom. aliique; *nostris* cod. Franc. 1, vel receperunt Graev. Ern.

libidinosum crudelemque praebueris; quum apud exteras nationes, imperii nominisque nostri famam tuis probris flagitiisque violaris; quum te ex ferro amicorum populi romani eripueris, atque e flamma sociorum evolaris: hic tibi perfugium speras futurum? Erras. Vt huc incideres, non ut hic conquiesceres, illi te vivum exire passi sunt. Et ais, iudicium esse factum, te iniuria circumsessum esse Lampsaci, quod Philodamus cum filio condemnatus sit. Quid? si doceo, si planum facio, teste homine nequam, verum ad hanc rem tamen idoneo, te ipso, inquam, teste doceo, te huius circumsessionis tuae causam et culpam in alios transtulisse; neque in eos, quos tu insimularas, esse animadversum? Iam nihil te iudicium Neronis adiuvat. Recita, quas ad Neronem literas misit. EPISTOLA C. VERRIS AD NERONEM. THEMISTAGORAS, ET THESSALVS. Themistagoram et Thessalum scribis populum concitasse. Quem populum? Qui te circumsedit; qui te vivum comburere conatus est. Vbi hos persequeris? ubi accusas? ubi defendis ius nomenque legati? In Philodami iudicio dices id actum? Cedo mihi ipsius Verris testimonium. Videamus, quid idem iste iuratus dixerit. Recita. AB ACCV-

CAP. XXXIII. *Et ais iudicium esse factum*) Locus reprehensionis contra iudicatum, ne prosit Verri, Philodamum esse damnatum. — *In alios contulisse*) Non in Philodamum. — *Neque in eos quos tu insimularis*) Dixeris, vel accusaris. Sensus hic est: et alios, inquit, non Philodamum accusasti; et ii ipsi, quos accusasti, damnati non sunt. — *Vbi hos persequeris*) Subauditur, *nusquam*, ἐν ὑποκρίσει. — *Ab accusatore interrogatus*) Verres

Violaris — evolaris) pro *violaveris*, *evolaveris*. ED.

Quid? si doceo) Recte sic Ern. pro vulg. *docebo*.

Transtulisse) *Contulisse* Lamb. et Ascon.

Insimularas) Cod. Gu. *insimulares* Male. Ascon. ex eoque Lambin. *insimularis*.

AB ACCVSATORE ROGATVS) Ascon. *interrogatus*.

SATORE ROGATVS RESPONDIT, IN HOC IVDICIO NON PERSEQVI: SIBI IN ANIMO ESSE, ALIO TEMPORE PERSEQVI. Quid igitur te iuvat Neronis iudicium? quid Philodami damnatio? Legatus quum esses circumsessus, quumque, quemadmodum tute ad Neronem scripsisti, populo romano communique causae legatorum facta esset iniuria insignis, non es persequutus: dicis tibi in animo esse alio tempore persequi. Quod fuit id tempus? quando es persequutus? cur imminuisti ius legationis? cur causam populi romani deseruisti ac prodidisti? cur iniurias tuas, coniunctas cum publicis, reliquisti? Non te ad senatum causam deferre; non de tam atrocibus iniuriis conqueri; non eos homines, qui populum concitarant, consulum literis evocandos curare oportuit? Nuper, M. Aurelio Scauro postulante, quod is Ephesi se quaestorem vi prohibitum esse dicebat, quo minus e fano Dianae servum suum, qui in illud asylum confugisset, abduceret, Pericles Ephesius, homo nobilissimus, Romam evocatus est, quod auctor iniuriae illius fuisse argueretur. Tu, si te legatum ita Lampsaci tractatum esse, senatum docuisses, ut tui comites vulnerarentur, lictor occideretur, ipse circumsessus paene incenderere; eius autem rei duces, auctores et principes fuisse, quos scribis, Themistagoram et Thessalum: quis non commoveretur? quis non ex iniuria, quae

scilicet, perductus in causa Philodami, et interrogatus. Loqui enim nisi interrogato testi non licebat. Interrogatur autem et ab eo, contra quem productus. — *Cur imminuisti ius legationis*) Qui potestatem suam in administrando non defenderit, imminuti magistratus, veluti maiestatis laesae reus est. — *Quod is Ephesi*) Ephesus civitas in qua Dianae numen peculiariter

Concitarant) Ita correxit Hotom. vulg. In edd. vell. erat *concitarunt*. Alii ut in MS. Gu. *concitarent*.

Argueretur) Lambin. *arguebatur*. *Duces, auctores et principes*) Sic Ern. Vulgo *duces et auctores et prin-*

tibi esset facta, sibi provideret? quis non in ea re causam tuam, periculum commune agi arbitraretur? Etenim nomen legati eiusmodi esse debet, quod non modo inter sociorum iura, sed etiam inter hostium tela incolume versetur.

XXXIV. Magnum hoc Lampsacenum crimen est libidinis atque improbissimae cupiditatis. Accipite nunc avaritiae propemodum in suo genere non levius. Milesios navem poposcit, quae eum praesidii causa Myndum prosequeretur. Illi statim myoparonem egregium de sua classe, ornatum atque armatum dederunt. Hoc praesidio Myndum profectus est. Nam, quid Milesiis lanae publicae abstulerit, item de sumptu in adventum, de contumeliis et iniuriis in magistratum Milesium, tametsi dici tum vere, tum graviter et vehementer potest, tamen dicere praetermittam, eaque omnia testibus integra reservabo: illud, quod neque taceri ullo modo, neque dici pro indignitate potest, cognoscite. Milites remigesque Miletum Myndo pedibus reverti iubet: ipse myoparonem pulcherrimum, de decem Milesiorum navibus electum, L. Magio et L. Ra-

colitur. — *Sed etiam inter hostium tela*) Invidiose orator hoc addidit, quum de magistratus legato (26) dicat; nam legatorum in foederibus faciundis vel legibus pacis bellique dicendis sancta corpora iure gentium atque inviolata servantur.

Cap. XXXIV. *De sua classe*) Habent enim Milesii praesidiariam classem, ex foedere praebendam populo romano maritimis necessitatibus. Myoparo navigii nomen est. — *L. Magio et L. Rabio*) Hi transfugae facti a Ma-

cipes. Grutero placebat *duces et auctores principes*, quod erat in tribus eius MSS. At eodem modo ut h. l. tria ista componuntur Epp. ad Fam. X, 6.

Lanae publicae abstulerit) Lambinus suspicabatur legendum *publice*. Verum recte se habere *publicae* docuit Graevius, quia Milesii magistratus habuerunt in pascuis publicis oves ex quarum lana vectigalia rei publ. augebant.

Neque dici pro indignitate potest) Ita Franc. 1. Sic or. pro Murena c. 25, *pro rei indignitate*. Vulgo *pro dignitate*. Graevio placebat *neque dici pro indignitate digne potest*.

bio, qui Myndi habitabant, vendidit. Hi sunt homines, quos nuper senatus in hostium numero habendos censuit; hoc illi navigio ad omnes populi romani hostes, usque ab Dianio ad Sinopen, navigaverunt.

XXXV. O dii immortales! incredibilem avaritiam, singularemque audaciam! Navem tu de classe populi romani, quam tibi Milesia civitas, ut te prosequeretur, dedisset, ausus es vendere? Si te magnitudo maleficii, si te hominum existimatio non movebat: ne illud quidem cogitabas, huius improbissimi furti, sive adeo nefariae praedae, tam illustrem ac tam nobilem civitatem testem futuram? An, quia tum Cn. Dolabella in eum, qui ei myoparoni praefuerat, Milesiisque rem gestam renuntiarat, animadvertere tuo rogatu conatus est, renuntiationemque eius, quae erat in publicas literas relata illorum legibus, tolli iusserat: idcirco te ex hoc crimine elapsurum esse arbitrabare? Multum te ista fefellit opinio, et quidem multis in locis. Semper enim existimasti, et maxime in Sicilia, satis cautum tibi ad defensionem fore, si aut referri aliquid in literas publicas vetuisses, aut, quod relatum esset, tolli coëgisses. Hoc quam nihil sit, tametsi ex multis Siciliae civitatibus priore actione didicisti, tamen etiam in hac ipsa civitate cogno-

riano exercitu apud Mithridatem agentes, ab eodem rege ad Sertorium missi erant, de paciscenda societate belli adversus Romanos, quos in Italia iam positos, et ad Sertorium festinantes, et hostes iudicaverat, et inquirendos mandaverat Senatus. Hi tamen ad ultimum ad Romanos, prodita ex magna parte Mithridate, redierunt. — *Usque a Dianio ad Sinopen*) Dianium Hispaniae maritima civitas, Sinope Ponti est, ubi rex Mithridates erat.

CAP. XXXV. *Renuntiationemque eius*) Quia renuntiaverat, novem o Verre

Ab Dianio ad Sinopen navigaverunt) Post verba *ab Dianio* vulgo additur *quod in Hispania est*, et post *Sinopen* inseritur *quae in Ponto est.* At haec additamenta nec Asconius in cod. suo legit, et suspecta fuerunt Hotomanno et Lambino.

Elapsurum esse arbitrabare?) Sic

sce. Sunt illi quidem dicto audientes, quamdiu adsunt ii, qui imperant. Simulac discesserunt, non solum illud perscribunt, quod tum prohibiti sunt, sed etiam causam adscribunt, cur non tum in literas relatum sit. Manent istae literae Mileti; manent, et, dum erit illa civitas, manebunt. Decem enim naves iussu L. Murenae populus milesius ex pecunia vectigali populo romano fecerat, sicut pro sua quaeque parte Asiae ceterae civitates. Quamobrem unam ex decem, non praedonum repentino adventu, sed legati latrocinio; non vi tempestatis, sed hac horribili tempestate sociorum, amissam, in literas publicas retulerunt. Sunt Romae legati milesii, homines nobilissimi, ac principes civitatis; qui, tametsi mensem Februarium, et consulum designatorum nutum exspectant, tamen hoc tantum facinus non modo negare interro-

L. Magio venditam fuisse. — *Non solum illud perscribunt, quod tum prohibiti sunt, sed etiam causam adscribunt*) Sensus hic est: non solum prohibitos se scribunt, sed cur se magistratus ipse prohibere curaverit, ne, quum oporteret, in literas publicas referrent quod gestum esset. — *Qui tametsi Februarium mensem*) Hic est mensis, quo frequens senatus postulatis provinciarum et legationibus audiendis datur. — *Et consulum designatorum nomen exspectant*) Et *extimescunt* legitur. Nam utroque verbo idem significatur. Hortensii autem et Metelli opibus dicit legatos Milesios posse terreri, ne de myoparone dicant, praesertim quum ad beneficia petendu venturi sint Februario mense, et in manu sit consulum, quando, et quemadmodum referant ad Senatum: et bene nomen consulum dixit, ut potentiam

Ern. Vulgo *elapsum arbitrabere*. In Gu. etiam legitur *arbitrabare*; conf. c. 39.

Ii, qui imperant) *Hi* corr. Goërenz. ad Cic. de Fin. II, 34.

Populo romano) Ita codd. Pall. et probent Lallem. et Beck. Vulgo *populi romani*.

Nutum exspectant) Recepi *nutum* e coniectura Graevii. Nam *nomen* quod est in MSS. et edd. verum esse non potest. Legatos dicit mensem Februarium, quo legationibus senatus dabatur, et consulum designatorum Hortensii et Metelli, qui Verri favebant, *nutum* et voluntatem exspectare. Pro *exspectant* Asconius legi etiam testatur *extimescunt*. Inde Hotom. corrigendum putabat sic: *mensem Februarium exspectant, et consulum designatorum nomen extimescunt*.

gati, sed ne producti quidem reticere poterunt: dicent, inquam, et religione adducti, et domesticarum legum metu, quid illo myoparone factum sit. Ostendent, C. Verrem in ea classe, quae contra piratas aedificata sit, piratam ipsum consceleratum fuisse.

XXXVI. C. Malleolo quaestore Cn. Dolabellae occiso, duas sibi hereditates venisse arbitratus est: unam quaestoriae procurationis; nam a Dolabella statim pro quaestore iussus est esse; alteram tutelae; nam, quum pupilli Malleoli tutor esset, in bona eius impetum fecit. Nam Malleolus in provinciam sic copiose profectus erat, ut domi prorsus nihil relinqueret. Praeterea pecunias occuparat apud populos, et syngraphas fecerat; argenti optimi caelati grande pondus secum tulerat (nam ille quoque sodalis istius erat in hoc morbo et cupiditate); grande pondus argenti, familiam magnam, multos artifices, multos formosos homines reliquit. Iste, quod argenti placuit, invasit; quae mancipia voluit, abduxit; vina, cete-

demonstraret eorum, quorum etiam nomen formidinem efficit. — *Religione adducti*) Quia iurati testes produci solent, non solum, ne falsa dicant, verum etiam, ne, quae vera sunt, taceant. — *Legum domesticarum metu*) Patriae suae legum, quibus coguntur de incommodis patriae non tacere.

Cap. XXXVI. *C. Malleolo quaestore Cn. Dolabellae occiso*) Suspicioso verbo usus est orator; pro mortuo occisum dixit (27). Nam non instituit, ut probet a Verre occisum esse; sed ita vult videri, quia Verri mors eius lucro fuit. — *Alteram tutelae*) Filii Malleoli tutor factus est Verres. — *Syngraphas fecerat*) Inter syngraphas et cetera chirographa hoc interest, quod in ceteris tantum, quae gesta sunt, scribi solent, in syngraphis etiam contra fidem veritatis pactio venit; et non numerata quoque pecunia, aut non integre numerata, pro temporaria voluntate hominum scribi solent more institutoque Graecorum; et ceterae tabulae ab una parte servari solent,

Copiose) Adverbium Ernestio suspectum.

Multos formosos) Fortasse hic excidit *et literatos*. Nam etiam paulo post servi literati memorantur.

Reliquit) Ern. dedit *reliquerat*. Vulgatam recte defendit Beck.

Vina, ceteraque) *Vina graeca ceteraque quae ex Asia facillime comportantur*, Cledonius in Gramm. Putsch. p. 1898.

raque, quae in Asia facillime comparantur, quae ille reliquerat, asportavit; reliqua vendidit, pecuniam exegit. Quum eum ad HS vicies quinquies redegisse constaret, ut Romam rediit, nullam libellam pupillo, nullam matri eius, nullam tutoribus reddidit; servos artifices pupilli quum haberet domi, circum pedes autem homines formosos et literatos: suos esse dicebat, se emisse. Quum saepius mater et avia pueri postularent, uti, si non redderet pecuniam, nec rationem daret, diceret saltem, quantum pecuniae Malleoli deportasset: multis efflagitatus aliquando dixit HS decies, deinde in codicis extrema cera nomen infimum in flagitiosa litura fecit: expensa Chrysogono servo HS sexcenta millia, accepta pupillo Malleolo retulit. Quomodo ex decies HS sexcenta sint facta;

syngraphae signatae utriusque manu utrique parti servandae traduntur. — *Extrema cera*) Vltima tabula, ultima parte tabulae. — *Nomen infimum*) Vltimum titulum. Infimum autem, ut appareat falsum esse. — *Expensa Chrysogono servo*) Quaeritur cuius servo? Verris scilicet, non Malleoli. — *Quadrarint*) Solida facta sint, ut neque plus quidquam, neque minus inveniatur in summa. Vbi enim ratio sine fraude est, difficile est seacenta detractis quadringentis quadrare et solidari vel solida fieri, quia aut minus, aut

Quae ille reliquerat) Haec verba Ern. glossatori tribuit. Genuina tamen videntur esse, quia vina etc. antea nominata non erant, inter ea, quae Malleolus reliquisset.

Vicies quinquies) Sic Hotomannus cod. Pal. 2, XX *quinquies.* Alii olim *XXIX quinquies.*

Nullam libellam) Vulgo *nullam literam.* Sed rescripsi *nullam libellam*, quia proxime de redactis HS vicies quinquies dixerat, et paulo post sequitur: *si non redderet pecuniam.* Similiter Verr. II, c. 10: *quis Volcatio — unam libellam dedisset.*

Si non redderet pecuniam, nec rationem daret) Ernestio videbantur verba permutata et sic potius legenda esse: *non rationem redderet, non pecuniam daret;* nam *rationem dare* hoc sensu dici nunquam ait se reperisse. Si quid mutandum esset, certe mallem: *si non daret pecuniam, nec rationem redderet.* Vulgata tamen sic defendi potest, ut *rationem dare* sit i. q. die Rechnung übergeben, *rationem reddere* die Rechnung ablegen. Lambino tamen placebat: *rationem ederet.*

Extrema cera) edd. vett. et codd. Pall. *extremam ceram.*

quomodo DC eodem modo quadrarint, ut illa de Cn. Carbonis pecunia, reliqua HS sexcenta facta sunt; quomodo Chrysogono expensa lata sint; cur id nomen infimum, in lituraque sit, vos existimabitis. Tamen HS sexcenta millia quum accepta retulisset, HS quinquaginta millia soluta non sunt. Homines, posteaquam reus factus est, alii redditi, alii etiam nunc retinentur; peculia omnium vicariique retinentur.

XXXVII. Haec est istius praeclara tutela. En, cui tuos liberos committas; en memoria mortui sodalis; en metus vivorum existimationis. Quum tibi se tota Asia spoliandam ac vexandam tradidisset; quum tibi exposita esset omnis ad praedandum Pamphylia: con-

plus aliquid reperiatur (28). — *Vt illa de Cn. Carbonis pecunia*) Et ibi enim sexcenta superfuisse mentitus est.

Expensa Chrysogono servo) Nempe Verris, non Malleoli servo. Ita recte Ascon.

Sexcenta millia — retulit) Bene Hotomannus: quae servo meo Chrysogono sexcenta data et expensa sunt in Asia, ea a pupillo Malleolo, i. e. ex Malleoli nummis illi expensa sunt, ei ego debeo. Nam *acceptum referre alicui*, aliud nihil est, quam in tabulas referre i. e. scribere se ab aliquo accepisse; *expensum ferre alicui*, scribere se ei dedisse et appendisse. Sed quum dicitur h. l. *expensa Chrysogono*, non subanditur *tulit* aut *retulit*. Sed sensus est, quae data et expensa sunt, pupilli nomine illi expensa sunt, egoque accepi et habeo ». In eo erravit Hotom. quod negavit post *expensa* subaudiri *tulit* aut *retulit*. Nam postea quoque dicitur *quomodo Chrysogono expensa lata sint*. Ceterum Lambinus legi voluit: *HS quadringenta millia expensa Chrysogono servo: HS sexcenta millia accepta pupillo Malleolo retulit*; idque Parisienses temere receperunt.

Facta sunt) Ita Beckius edidit e duob. codd. Pariss. ed. Ven. 1483, Ox. Idem placuit Graevio, Lallem. et Garatonn. Vulgo *facta sint*. Totum hunc locum editores Parisienses ita perverterunt, Lambini coniecturas sequuti: *quomodo ex decies HS sexcenta millia reliqua sint facta, ut illa, de Cn. Carbonis pecunia reliqua HS sexcenta sunt facta, quomodo haec sexcenta eodem modo quadrarint*.

Quinquaginta millia) *Quinquaginta* dedit Beckius cum Lall. e cod. uno Paris. et Gu. Vulgo *quinque millia*. Hotom. coni. *quingenta*.

Memoria — metus) *memoriam — metum* duo codd. ap. Lambin.

tentus his tam opimis rebus non fuisti? Manus a tutela, manus a pupillo, manus a sodalis filio abstinere non potuisti? Iam te non Siculi, non aratores (ut dictitas) circumveniunt; non hi, qui decretis edictisque tuis in te concitati infestique sunt; Malleolus a me productus est, et mater eius atque avia; quae misere flentes, eversum a te puerum patriis bonis esse dixerunt. Quid exspectas? an dum ab inferis ille Malleolus exsistat, atque abs te officia tutelae, sodalitatis, familiaritatisque flagitet? Ipsum putato adesse: «Homo avarissime et spurcissime, redde bona sodalis filio; si non quae abstulisti, at quae confessus es! Cur cogis sodalis filium hanc primam in foro vocem cum dolore et querimonia emittere? cur sodalis uxorem, sodalis socrum, domum denique totam sodalis mortui, contra te testimonium dicere? cur pudentissimas lectissimasque feminas in tantum virorum conventum insolitas invitasque prodire cogis?» Recita omnium testimonia. TESTIMONIVM MATRIS ET AVIAE.

XXXVIII. Pro quaestore vero quomodo iste commune Milyadum vexarit, quomodo Lyciam, Pamphyliam, Pisidiam, Phrygiamque totam frumento imperando, aestimando, hac sua, quam tum primum excogitavit, siciliensi aestimatione afflixerit, non est necesse demonstrare verbis. Hoc scitote: his nominibus (quae res per eum gestae sunt, quum iste civi-

CAP. XXXVIII. *Commune Milyadum*) Mire (29) *commune* rem publicam. — *Frumento imperando, aestimando*) Licebat enim magistratibus in usus suos frumentum accipere, si vellent, aut pro frumento pretium; quae aestimatio dicebatur; in qua re avarissimi quique infinitam pecuniam contrahe-

Misere flentes) Sic Beckius auctoritate duorum codd. Franc. it. unius Lamb. et Gu. Vulgo *miserae flentes*.

Emittere?) Lamb. *mittere*.

Hac sua) ex *sua* Menard.

talibus frumentum, coria, cilicia, saccos imperaret, neque ea sumeret, pro his rebus pecuniam exigeret) his nominibus solis, Cn. Dolabellae HS ad tricies litem esse aestimatam. Quae omnia, etiamsi voluntate Dolabellae fiebant, per istum tamen omnia gerebantur. Consistam in uno nomine. Multa enim sunt ex eodem genere. Recita. DE LITIBVS AESTIMATIS CN. DOLABELLAE PR. PECVNIAE REDACTAE, QVOD A COMMVNI MILYADVM .... Te haec coëgisse, te aestimasse, tibi pecuniam numeratam esse dico: eademque vi et iniuria, quum pecunias maximas cogeres, per omnes partes provinciae te, tanquam aliquam calamitosam tempestatem pestemque, pervasisse demonstro. Itaque M. Scaurus, qui Cn. Dolabellam accusavit, istum in sua potestate ac ditione tenuit. Homo adolescens, quum istius in inquirendo multa furta ac flagitia cognosceret, fecit perite et callide; volumen eius rerum gestarum maximum isti ostendit; ab homine, quae voluit, in Dolabellam abstulit; istum testem produxit; dixit iste, quae velle accusatorem putavit. Quo ex genere mihi testium, qui cum isto furati sunt si uti voluissem, magna copia fuisset; qui ut se periculo litium, coniunctione criminum liberarent, quo

bant, iniquum pretium sociis imperando. — *Caria, cilicia, saccos*) Cilicia texta de pilis in càstrarum usum atque nautarum. — *Dolabellae — aestimatam*) Sub quo haec quaestor Verres admisit. — *Consistam in uno nomine*) Perseverabo, inquit, in eodem titulo quaestorii criminis. — *Ex eodem genere*) Furtorum scilicet Verris. — *In sua potestate ac ditiane tenuit*) Obnoxium criminum conscientia et societate cum reo Dolabella, cui pro quaestore fuerat et legatus. — *Homo adalescens*) Quia cupidius accusavit quam gra-

Saccos imperaret) Graevius corrigebat *sagas i. q. saga*, at II, 2, *tunicae coriis* iunguntur. Nam saccorum qui usus fuerit intelligi non posse. Recte vero Ern. monuit *saccos* in urbium oppugnationibus usurpari ad frangendam vim telorum, arietum, ut cilicia.

DOLABELLAE PR.) Quidam, ut Graevius, addunt *P. R.* Lambin. e coniectura edidit: *Cn. Dolabellae Pr. pecuniaque populo ro. redacta.*

ego vellem, descensuros pollicebantur. Eorum ego voluntatem omnium repudiavi. Non modo proditori, sed ne perfugae quidem locus in meis castris cuiquam fuit. Forsitan meliores illi accusatores habendi sunt, qui haec omnia fecerunt: sed ego defensorem in mea persona, non accusatorem, maxime laudari volo. Rationes ad aerarium, antequam Dolabella condemnatus est, non audet referre. Impetrat a senatu, ut dies sibi prorogaretur, quod tabulas suas ab accusatoribus Dolabellae obsignatas diceret: proinde quasi exscribendi potestatem non haberet. Solus est hic, qui nunquam rationes ad aerarium referat.

XXXIX. Audistis quaestoriam rationem tribus versiculis relatam; legationis non, nisi condemnato et eiecto eo, qui posset reprehendere; nunc denique praeturae, quam ex senatus consulto statim referre debuit, usque ad hoc tempus non retulit. Quaestores se in senatu exspectare dixit: perinde quasi non, ut

viorem virum decebat et dolosius, sed excusatur aetate (30). — *Eorum omnium voluntatem repudiavi*) Quia non, ut Scaurus adolescens, accuso. — *Non accusatorem maxime laudari volo*) Accusatorium nomen ita viro bono fugiendum est, ut aut dici omnino se accusatorem nolit, aut velit se non satis accusatorem videri. Tale est illud Terentianum (*Phorm. III*, 2, 23):

Eia, ne parum leno sies.

Rationes ad aerarium) Quia redargui potuit earum falsitas, si ante damnationem Dolabellae more quaestorum rationes ad aerarium retulisset. Sic enim fiebat simul ut de provinciis quaestores Romam rediissent. — *Proinde quasi exscribendi*) Etsi occupasset accusator tabulas rei, aut amicorum eius, tamen ad necessarios usus licebat exscribere, id est, exempla transferre. — *Qui nunquam rationes ad aerarium referat*) Hoc ideo, quia nec superioris quaesturae, quae cum Carbone fuit, rationes ad aerarium retulisset.

Cap. XXXIX. *Tribus versiculis*) Ait enim, *accepi*, *dedi*, *reliqui*. — *Quaestorem se exspectare*) Bini quaestores in Sicilia quotannis erant singulis Prae-

Descensuros) Codd. Lamb. Cuiac. *discessuros.*

Qui haec omnia fecerunt) Lamb. addidit: *Ita est.*

Prorogaretur) Lamb. *prorogaretur.* In nonnullis MSS. *prorogetur.*

Quaestores) Vulgo *quaestorem.* Sed Asconius legisse videtur *quaestores*, quia ad h. l. notat binos quaestores in Sicilia quotannis fuisse, Lilybae-

quaestor sine praetore posset rationem referre (ut tu, Hortensi, ut omnes), eodem modo sine quaestore praetor. Dixit, idem Dolabellam impetrasse. Omen magis patribus conscriptis, quam causa placuit. Probaverunt. Verum quaestores quoque iampridem venerunt. Cur non retulisti? Illarum rationum ex ea faece legationis, quaestoriaeque tuae procurationis, illa sunt nomina, quae Dolabellae necessario sunt aestimata. EX LITIBVS AESTIMATIS DOLABELLAE PR. P. R. PECVNIAE REDACTAE. Quod minus Dolabella Verri acceptum retulit, quam Verres illi expensum tulerit, HS quingenta triginta quinque millia; et quod plus fecit Dolabella Verrem accepisse, quam iste in suis tabulis habuit, HS ducenta triginta duo millia; et quod plus frumenti fecit accepisse istum, HS decies et octingenta millia: quod tu, homo castissimus, aliud in tabulis habebas. Hinc illae extraordinariae pecuniae,

toribus, Lilybaetanus et Syracusanus. — *Omen magis, quam causa*) Omen, auspicium; causa, excusatio. Omen autem ideo dixit, quia eius exemplum attulit Verres, qui pecuniarum repetundarum damnatus est. — *Faece*) Residuis sordibus. — *Nomina*) Tituli et capita criminum. — *Quod minus Dolabella*) In hoc capite ut ostendat falsitatem rationum Verris, dicit, non convenisse summas Dolabellae cum ipsius summis; in qua re vult credi, non Dolabellam sed Verrem fuisse mentitum. — *Hinc illae extraordinariae pecuniae*) Sordida lucra et furta significat. Nam eae sunt, quae neque de re-

tanum et Syracusanum. Et postea quoque dicitur: *Verum quaestores — venerunt.*

Posset rationem referre) Manut. et Hotom. *posset referre.* Sed Victor. Car. Steph. Lamb. et uterque MS. Franc. *posset rationem referre.*

Omen — placuit) Nempe, ut Hotom. post Asconium intpr. quia senatus ominabatur exitum fore huius iudicii similem, qui fuerat Dolabellae, quem antea damnatum et eiectum dicit.

Necessario sunt aestimata) *Necessario* suspectum erat Hotomanno. Bene autem defendit Ern. hac interpretatione: eae pecuniae non poterant non imputari Dolabellae in litis aestimatione, quia Verres rationes non edebat, ut ab illo exigi possent, si in rationibus haberet.

Quod tu, homo castissimus, aliud in tabulis habebas) Hotom. coni. *quam tu, homo castissimus, in tabulis habebas.* Ernestio placebat: *id tu h. e. aliud in tabulis habebas.* Optima vero ratio est Wyttenbachii Bibl. critic.

quas nullo duce, tamen aliqua ex particula investigamus, redundarunt: hinc ratio cum Q. et Cn. Postumis Curtiis, multis nominibus, quorum in tabulis iste habet nullum; hinc HS quaterdecies P. Tadio numeratum Athenis, testibus planum faciam: hinc empta apertissime praetura; nisi forte id etiam dubium est, quomodo iste praetor factus sit. Homo scilicet aut industria, aut opera probata, aut frugalitatis existimatione praeclara, aut denique, id quod levissimum est, assiduitate, qui ante quaesturam cum meretricibus lenonibusque vixisset, quaesturam ita gessisset, quemadmodum cognovistis, Romae post quaesturam illam nefariam vix triduum constitisset, absens non in oblivione iacuisset, sed in assidua commemoratione omnibus omnium flagitiorum fuisset: is repente, ut Romam venit, gratis praetor factus est!

ditibus, neque de annonis, neque de aliqua legitima accessione, ut donationis, aut hereditatis, verbi gratia, videntur adiectae. — *Hinc ratio cum Q. et Cn. Postumis Curtiis*) Hi sunt, qui extraordinarias pecunias Verris tractabant; quae in tabulis Verris nunquam scriptae sunt, ne se ipse proderet, ac pecunias tantas suis literis indicaret. — *Hinc sestertium quater decies P. Tadio*) Et hic extraordinariarum Verris pecuniarum susceptor esse ostenditur

vol. I, p. 2, pag. 9: *quae tu, homo cautissimus, aliis in tabulis habebas.* « Verres nimirum pecuniam, quam aliis surripuerat, in tabulas suas non referebat, neque etiam si quam aliis dederat, ne tabulis suis convinci posset in iudicio. Itaque per cavillationem vocatur cautissimus, quod illa nomina non in suis, sed aliorum tabulis habebat, quibus tamen tabulis convincebatur. Cf. quae mox sequuntur: *homo stultissime et amentissime — dicturum existimasti* ».

Q. et Cn. Postumis Curtiis) Sic Ursinus corrigendum putavit, probante Garatono. Nam *Postumus* est cognomen familiae *Curtiorum*, et infra soli *Curtii* nominantur. Vulgo *Q. et Cn. Postumiis, Curtiis.*

Numeratum) Sic I. F. Gronovius, Lallem. Ern. Refertur enim ad Sestertium. Vulg. *numerata.*

Assiduitate) Gronovius lib. IV de pec. vet. cap. 9, ostendit *assiduitatem* esse illorum, qui quotidie comparent, et ob oculos versantur. Merito inter vias, quibus Romae perveniatur ad honores, poni assiduitatem. Quod Cicero ipse pluribus interpretatur in orat. pro Plancio, cap. 26 et 27, et Quintius de petitione Consul. Graev

Alia porro pecunia, ne accusaretur, data. Cui sit data, nihil ad me, nihil ad rem pertinere arbitror: datam quidem esse tum inter omnes recenti negotio facile constabat. Homo stultissime et amentissime, tabulas quum conficeres, et quum extraordinariae pecuniae crimen subterfugere velles: satis te elapsurum omni suspicione arbitrabare, si, quibus pecuniam credebas, iis expensum non ferres, neque in tuas tabulas ullum nomen referres, quum tot tibi nominibus acceptum Curtii referrent? Quid proderat tibi, te expensum illis non tulisse? An tuis solis tabulis te causam dicturum existimasti?

XL. Verum ad illam iam veniamus praeclaram praeturam, criminaque ea, quae notiora sunt his, qui adsunt, quam nobis, qui meditati ad dicendum paratique venimus: in quibus non dubito, quin offensionem negligentiae vitare atque effugere non possim. Multi enim ita dicent: « de illo nihil dixit, in quo ego interfui: illam iniuriam non attigit, quae mihi, aut quae amico meo facta est, quibus ego in rebus interfui. » His omnibus, qui istius iniurias norunt, hoc est, populo romano universo, me vehementer

Graecorum testimonio. — *Cui sit data nihil ad me*) Oratorie; quae probari non possunt, fingit se voluntate negligere. Terentius (*Phorm. II*, 3, 41):

Non dico, quasi non noris, tentatum advenis.

Tabulas quum conficeres) Quo modo ergo dicit, Verrem tabulas non habere, sed aliquo tempore coepisse non scribere? Haec ergo tempora rationis tabulas confectas habent. — *His expensum non ferres*) Expensum ferre, est scribere te pecuniam dedisse. — *Acceptum Curtiis referrent*) Accepisse a te scriberent, expensum tulisse se te sibi scriberent.

Extraordinariae pecuniae) Ita Manutius scribendam censuit, et receperunt Graev. Ern. Olim edebatur *extraordinaria pecunia*, idque placuit Ferr. Garat. Beckio. Sed h. l. agitur de crimine aversae pecuniae publicae; quod sperabat Verres se effugere posse, si illas pecunias aliis crederet, sed ita ut iis in tabulis suis *expensas non ferret*.

Satis te elapsurum) Ern. coni. *statim te elapsurum*.

excusatum volo, non negligentia mea fore, ut multa praeteream, sed quod alia testibus integra reservari velim, multa autem propter rationem brevitatis ac temporis praetermittenda existimem. Fatebor etiam illud invitus, me prorsus, quum iste punctum temporis nullum vacuum peccato praeterire passus sit, omnia, quae ab isto commissa sunt, non potuisse cognoscere. Quapropter ita me de praeturae criminibus auditote, ut ex utroque genere, et iuris dicundi, et sartorum tectorum exigendorum, ea postuletis, quae maxime digna sint eo reo, cui parvum aut mediocre obiici nihil oporteat. Nam ut praetor factus est, qui auspicato a Chelidone surrexisset, sortem nactus est urbanae provinciae, magis ex sua et Chelidonis, quam ex populi romani voluntate. Qui principio, qualis in edicto constituendo fuerit, cognoscite.

XLI. P. Annius Asellus mortuus est, C. Sacerdote praetore. Is quum haberet unicam filiam neque cen-

Cap. XL. *Ut ex utroque genere*) Summa divisio accusationis praeturae urbanae et criminum C. Verris in duobus constituta, iuris dictione et sartis tectis. — *Qui auspicato a Chelidone* (31)) Auspicari dicuntur ineuntes magistratus. Et quia Chelidon, id est, hirundo urbem frequentat, facete urbanam provinciam Chelidonis auspicio meretricis dicit esse susceptam.

Cap. XLI. *Neque census esset*) Neque centum millia sestertium possideret (32). Nam more veterum censi dicebantur, qui centum millia professione detulissent. Huiusmodi adeo facultates census vocabantur. Alii sic intelli-

Fatebor etiam illud invitus) Nihil opus cum Ernestio corrigere *fatebor etiam haud invitus*.

Digna sint) Recte Ern. sic reposuit pro vulg. *digna sunt*, quamquam id est apud Priscian. p. 1153.

Aut mediocre) Sic Priscianus l. l. probante Garatono. Vulg. *ac mediocre*.

Chelidone surrexisset) Facetissime, quod Ernestius vidit, hic respicitur ad morem magistratuum auspicandi extra pomoerium in tentorio: qui auspicium exspectantes, quum vocem avis faustae audissent, surgebant statim et abibant extemplo; quod erat *auspicato surgere*. Praeterea luditur in nomine Chelidonis meretricis, ut Verres quasi hirundinis voce audita, auspicato surrexisse dicatur.

sus esset; quod natura hortabatur, lex nulla prohibebat, fecit, ut filiam bonis suis heredem instituerent. (Heres erat filia:) Faciebant omnia cum puella, leges, aequitas, voluntas patris, edicta praetorum, consuetudo iuris eius, quod erat tum, quum Asellus est mortuus. Iste, praetor designatus (utrum admonitus, an tentatus, an, qua est iste sagacitate in his rebus, sine duce ullo, sine indice pervenerit ad hanc improbitatem, nescio: vos tantum hominis audaciam amentiamque cognoscite) appellat heredem L. Annium, qui erat institutus secundum filiam; non enim mihi persuadetur, istum ab illo prius appellatum; dicit, se posse ei condonare edicto hereditatem; docet hominem, quid possit fieri. Illi bona res, huic vendibilis videbatur. Iste, tametsi singulari est audacia, tamen ad pupillae matrem summittebat. Malebat pecuniam accipere, ne quid novi ediceret, quam ut hoc edictum tam improbum et inhumanum interponeret. Tutores, pecuniam praetori si pupillae nomine dedissent, grandem praesertim, quemadmodum in rationem inducerent, quemadmodum sine periculo suo dare possent, non videbant; simul et istum fore

gunt, neque census esset, hoc est, neque census eius in quinquennium illud esset factus, quarum annorum spatio instaurari census solet apud censores, quorum administratio per lustrum, hoc est, quinquennium extenditur (33). — *An tentatus*) Tanquam scire quis vellet, qualem se praetorem fuerit praebiturus. — *Appellat heredem*) Iniuriosum verbum in persona praetoris.

Quod natura) Vulgo *quod eum natura*. Sed *eum* abest codd. Pall. Franc. 1, edd. pr.

Heres erat filia) Haec verba ex nota marginali in textum venisse videntur.

Cum puella, leges, aequitas) Ita Graevius e Prisciano lib. XVIII edidit, verissime. Nam infra quoque de hoc Annii testamento dicitur c. 42, eum iure, legibus, auctoritate omnium quos consuluisset, testamentum fecisse. Vulgo *cum pupilla, legis aequitas*. *Puella* hic aptius est, quia nondum facta erat mentio tutorum. *Legis aequitas* parum aptum est, quia hic non agitur de una quadam lege. Nam lex *Voconia* intelligi nequit, quae prohibebat filias heredes instituere.

tam improbum non arbitrabantur. Saepe appellati pernegaverunt. Iste ad arbitrium eius, cui condonarat hereditatem ereptam liberis, quam aequum edictum scripserit, quaeso, cognoscite. QVVM INTELLIGAM, LEGEM VOCONIAM. Quis unquam crederet Verrem mulierum adversarium futurum? an ideo aliquid contra mulieres fecit, ne totum edictum ad Chelidonis arbitrium scriptum videretur? Cupiditati hominum ait se obviam ire. Quis potius non modo his temporibus, sed etiam apud maiores nostros? quis tam remotus fuit a cupiditate? Dic, quaeso, cetera. Delectat enim me hominis gravitas, scientia iuris, auctoritas. QVI AB A. POSTVMIO, Q. FVLVIO CENSORIBVS, POSTVE EA FECIT, FECERIT. Fecit, fecerit? Quis unquam edixit isto modo? quis unquam eius rei fraudem aut periculum proposuit edicto, quae neque post edictum, neque ante edictum provideri potuit?

XLII. Iure, legibus, auctoritate omnium, qui consulebantur, testamentum P. Annius fecerat, non improbum, non inofficiosum, non inhumanum. Quod

Appellatio enim est inferioris ad potiorem (34). — *Quum intelligam legem Voconiam*) Voconius legem tulerat, ne quis census, hoc est pecuniosus (35), heredem relinqueret filiam. Hoc ergo caput edicti est legem Voconiam probantis praetoris.

CAP. XLII. *Non improbum, non inofficiosum, non inhumanum*) Haec enim testamenta non solent valere. Nam improbum, contra leges; inofficiosum

Quis potius) Ita est in tribus Pariss. Gu. Franc. 1, Cuiac. et recepit post Garatonum Beckius. Et Garat. recte sensum sic explicat: quis potius quam Verres cupiditati hominum obviam iverit, non modo his, sed etiam prioribus temporibus, si tum vixisset. Lambinus lectionem *quid potius* defendit, hoc sensu: quid melius fieri potest? Graevius delendum censebat *potius*. Gulielmius vero sic distinguebat: *quis potius? non modo h. t. sed etiam apud m. n. quis tam remotus fuit a cupiditate?*

POSTVE EA) Garatonus auctoritate Prisciani usus post *EA* suspicatur vocem *TESTAMENTVM* excidisse. At potius a Verre scriptum fuit sic: *Qui — postve ea filiam heredem fecit, fecerit.* Sic infra: *Scribis si quis heredem fecit, fecerit.*

si ita fecisset; tamen post illius mortem nihil de testamento illius novi iuris constitui oporteret. Voconia lex te videlicet delectabat? Imitatus esses ipsum illum Q. Voconium, qui lege sua hereditatem ademit nulli neque virgini, neque mulieri; sanxit in posterum, qui post eos censores census esset, ne quis heredem virginem, neve mulierem faceret. In lege Voconia non est, FECIT, FECERIT: neque in ulla praeteritum tempus reprehenditur, nisi eius rei, quae sua sponte scelerata ac nefaria est, ut, etiamsi lex non esset, magnopere vitanda fuerit. Atque in his rebus multa videmus ita sancta esse legibus, ut ante facta in iudicium non vocentur. Cornelia testamentaria, nummaria, ceterae complures: in quibus non ius aliquod novum populo constituitur, sed sancitur, ut, quod semper malum facinus fuerit, eius quaestio ad populum pertineat, ex certo tempore. De iure vero civili si quis novi quid instituerit, is non omnia, quae ante acta sunt, rata esse patietur?

contra merita; inhumanum contra pietatem. — *Sua sponte scelerata ac nefaria est*) Maleficia sponte et non disputatione iuris consultorum, sed naturali interpretatione fugienda sunt, ut veneficium, parricidium, et cetera, quae etiam nullo prohibente evitanda sunt. — *Cornelia testamentaria, nummaria* (36). Lex Cornelia nummaria, quae de moneta, ne quis privatus pecuniam faceret. — *Ex certo tempore*) Vt et quod semper reprehensum est, tamen a certo tempore in iudicium veniat, et a certo tempore plecti possit. — *Rata esse non patietur*) Hoc totum ἐν ἀποκρίσει, ut quasi per indignatio-

Cornelia — ceterae complures) Sunt nominativi absoluti q. d. cuius generis sunt Cornelia etc. Itaque nihil opus correctione quae Ernestio in mentem venit: *Cornelia testamentaria nummaria ceteris compluribus*.

Ad populum pertineat) Est i. q. publicum iudicium de eo habeatur. Refertur enim ad quaestiones perpetuas horum criminum a Sulla institutas. Quare non erat, quod Hotom. et Lambin. corrigendum putarent: *ad praetorem pertineat*. Vidit enim Graevius, quia in huius generis criminibus cuilibet e populo liceret rei nomen deferre, ideo recte dici eorum quaestiones ad populum pertinere.

Novi quid instituerit — rata esse patietur?) Vulgo: *novi quid instituit, is omnia — rata esse patitur*. Melio-

Cedo mihi leges Atinias, Furias, ipsam, ut dixi, Voconiam, omnes praeterea de iure civili; hoc reperies in omnibus statui ius, quo post eam legem populus utatur. Qui plurimum tribuunt edicto, praetoris edictum legem annuam dicunt esse. Tu edicto plus complecteris, quam lege. Si finem edicto praetoris afferunt Kalendae Ianuarii; cur non initium quoque edicti nascatur a Kalendis Ianuarii? An in eum annum progredi nemo poterit edicto, quo praetor alius futurus est: in illum, quo alius praetor fuit, regredietur?

XLIII. Ac si hoc iuris, non unius causa hominis edixisses, cautius composuisses. Scribis, SI QVIS HEREDEM FECIT, FECERIT. Quid si plus legarit, quam ad heredem, heredesve perveniat, quod per legem Voconiam ei, qui census non sit, licet? Cur hoc, quum in eodem genere sit, non caves? Quia non generis, sed hominis causam verbis amplecteris: ut facile appareat, te pretio esse commotum. Atque hoc si in posterum edixisses, minus esset nefarium; tamen esset improbum; sed tum vituperari posset, in dubium venire

nem dici videatur, et interrogative. — *Cedo mihi leges Atinias, Furias, Fusias* (37)) Istae omnes de iure civili sunt, nihil continent criminum capitalium publicique iudicii.

rem lectionem, cum interrogatione Beckius post Graevium ascivit, cui favent Priscianus et codd. Pariss.

Furias) Apud Ascon. it. in Pall. Cuiac. Franc. 1, edd. pr. *Furias Fusius*. Sed easdem esse *leges Furias* et *Fusias* iam Hotomannus docuit. Itaque alterutram recte cum Manutio et Lambino expungitur. In Victor. Car. Steph. legitur *Furias Fuffius*.

Nascatur) Ita reposui cum Lamb. e Quintil. Inst. or. V, 10. Vulgo *nascatur*.

Quid si) Vulgo *quod si*. Recte Graevius dedit *quid si*. Et sic MSS. Gu.

Qui census non sit, licet?) Sic est in MSS. et edd. vett. Lambinus tamen opinabatur etiam sic legi posse *quod — qui census sit, non licet*.

Te pretio esse commotum) Herelius coni. *corruptum*.

Atque) Graev. e cod. Vrs. rescripsit *Atqui*. Sed *Atque* recte defenditur ab Ern. et Garat.

Sed tum) Graev. e cod. Hotom. et Vrs. edidit *sed tantum*.

non posset: nemo enim committeret. Nunc est eiusmodi edictum, ut quivis intelligat, non populo esse scriptum, sed P. Annii secundis heredibus. Itaque quum a te caput illud tam multis verbis, mercenario prooemio, esset ornatum: ecquis est inventus postea praetor, qui illud idem ediceret? Non modo nemo edixit, sed ne metuit quidem quisquam, ne quis ediceret. Nam post te praetorem multi testamenta eodem modo fecerunt; in his nuper Annia. Ea de multorum propinquorum sententia, pecuniosa mulier, quod censa non erat, testamento fecit heredem filiam. Itaque hoc magnum iudicium hominum de istius singulari improbitate, quod Verres sua sponte instituisset, id neminem metuisse, ne quis reperiretur, qui sequi vellet. Solus enim tu inventus es, cui non satis fuerit corrigere voluntates vivorum, nisi etiam rescinderes mortuorum. Tu ipse ex Siciliensi edicto hoc sustulisti. Voluisti, ex improviso si quae res natae essent, ex urbano edicto decernere. Quam postea tu tibi defensionem relinquebas, in ea maxime offendisti, quum tuam auctoritatem tute ipse edicto provinciali repudiabas.

XLIV. Atque ego non dubito, quin, ut mihi, cui filia maxime cordi est, sic unicuique vestrum, qui simili sensu, atque indulgentia filiarum commovemini, res haec acerba videatur atque indigna. Quid

Qui sequi) Vulgo inseritur *istius institutum*, quae verba Ern., utpote e glossa nata, uncis inclusit.

Voluisti) Menardus putabat exigente sententia legendum esse *noluisti*. Sed verum est *voluisti*. Verres enim, quamquam illud, quod erat in urbano edicto, in Siciliensi sustulerat, tamen voluisse dicitur ex urbano edicto decernere; si forte in Sicilia quae res natae essent, ubi sibi hoc esset utilius.

Res haec acerba videatur atque indigna) Haec verba quae vulgo in edd. ponebantur post *cordi est*, recte Ernest. hic in fine periodi collocavit.

Indulgentiaque) Heielio videbatur legendum *industriaque*. Sane placet.

enim natura nobis iucundius, quid carius esse voluit? quid est dignius, in quo omnis nostra diligentia indulgentiaque consumatur? Homo importunissime, cur tantam iniuriam P. Annio mortuo fecisti? Cur hunc dolorem cineri eius atque ossibus inussisti, ut liberis eius bona patria, voluntate patris, iure, legibus tradita, eriperes, et, cui tibi esset commodum, condonares? Quibuscum vivi bona nostra partimur, iis praetor adimere, nobis mortuis, bona fortunasque poterit? NEC PETITIONEM, inquit, NEC POSSESSIONEM DABO. Eripies igitur pupillae togam praetextam? Detrahes ornamenta non solum fortunae, sed etiam ingenuitatis? Miramur, ad arma contra istum hominem Lampsacenos isse? Miramur istum de provincia decedentem clam Syracusis profugisse? Nos si alienam vicem pro nostra iniuria doleremus, vestigium istius in foro non esset relictum. Pater dat filiae; probibes. Leges sinunt; tamen te interponis. De suis bonis ita dat, ut ab iure non abeat; quid habes, quod reprehendas? Nihil, opinor. At ego concedo, prohibe, si potes, si habes qui te audiat, si potest tibi dicto audiens esse quisquam. Eripias tu voluntatem mortuis, bona vivis, ius omnibus? Hoc populus romanus non manu vindicasset, nisi te huic tempori atque huic iudicio reservasset? Posteaquam ius praetorium constitutum

CAP. XLIV. *Bona fortunasque*) Bona in ipsis possessionibus; fortunae in fructibus earum. — *Eripies igitur pupillae togam praetextam?*) Toga communis habitus fuit et marium et feminarum; sed praetexta honestorum, toga viliorum; quod etiam circa mulieres servabatur (38). — *Hoc populus romanus non manu vindicasset*) Confusa locutio; abundare enim videtur *non* (39). — *Posteaquam ius praetorium constitutum est*) Ex quo ius praetorium stabilitum est. Sic hoc dixit, quasi diceret, post conditam urbem Romam, aut

Sed etiam ingenuitatis) Bene Ernestius monuit erepto censu eripi insignia: et *ornamentum fortunae* esse bullam auream, *ornamentum ingenuitatis* togam praetextam: coll. c. 58.

est, semper hoc iure usi sumus: si tabulae testamenti non proferrentur, tum, uti quemque potissimum heredem esse oporteret, ita secundum eum possessio daretur. Quare hoc sit aequissimum, facile est docere: sed in re tam usitata, satis est ostendere, omnes antea ius ita dixisse, et hoc vetus edictum translatitiumque esse.

XLV. Cognoscite aliud hominis in re vetere edictum novum: et simul, dum est unde ius civile discatur, adolescentes ei in disciplinam tradite. Mirum est hominis ingenium, mira prudentia. Minucius quidam mortuus est ante istum praetorem. Eius testamentum erat nullum. Lege hereditas ad gentem Minuciam veniebat. Si habuisset iste edictum, quod ante istum et postea omnes habuerunt, possessio Minuciae genti esset data. Si quis testamento se heredem esse arbitraretur, quod tum non exstaret, lege ageret in hereditatem; aut, pro praede litis vindiciarum quum

post hominum memoriam, ex quo ius praetorium. — *Tum uti proximum quemque potissimum heredem esse oporteret*) Vt si is intestatus mortuus esset. — *Ita secundum eum possessio daretur*) Quasi ab intestato agnati eius succederent, quamvis diceretur testamentum fecisse, si tamen tabulae non proferrentur. — *Et hoc vetus edictum translatitiumque esse*) Translatitia veteres dixerunt, non novo nec nuper inventa, sed aliunde translata (40).

CAP. XLV. *Si habuisset iste edictum*) Quale supra translatitium dixit esse. — *Lege ageret in hereditatem*) Experiretur iure, quemadmodum probaret se heredem scriptum esse, et possessionem a praetore peteret. — *Aut pro praede litis vindiciarum quum satis accepisset, sponsionem faceret, ita de hereditate certaret*) Aut peteret, inquit, aut acciperet ab adversario satis pro praede litis vindiciarum, et ipse sponsionem faceret, et ita de hereditate certaret. Lis vindiciarum est, quum litigatur de ea re apud praetorem, cuius incertum est, quis debeat esse possessor; et ideo, qui eam tenet, satisdat pro praede litis vindiciarum adversario suo, quo illi satisfaciat, nihil se deterius in possessione facturum, de qua iurgium esset. Rursus sponsione ipse provocatur ab adversario certae pecuniae, aut aestimationis, quam amittat, ni sua sit hereditas, de qua contendit. Praedes ergo dicuntur satisdatores locupletes, pro re, de qua apud iudicem lis est; ne interea, qui tenet, diffidens

Pro praede) Hotom. coni. *et pro praede*. Manut. *aut per praedes*.

satis accepisset, sponsionem faceret; ita de hereditate certaret. Hoc, opinor, iure et maiores nostri, et nos semper usi sumus. Videte, ut hoc iste correxerit. Componit edictum iis verbis, ut quivis intelligere possit, unius hominis causa conscriptum esse. Tantum quod hominem non nominat; causam quidem totam perscribit; ius, consuetudinem, aequitatem, edicta omnium negligit. EX EDICTO VRBANO. SI DE HEREDITATE AMBIGITVR, SI POSSESSOR, SPONSIONEM NON FACIET... Quid id ad praetorem, uter possessor sit? Nonne id quaeri oportet, utrum possessorem esse oporteat? Ergo quia possessor est, non moves possessione; si possessor non esset, non dares. Nusquam enim scribis, neque tu aliud quidquam edicto amplecteris, nisi eam causam, pro qua pecuniam acceperas. Iam hoc ridicnlum est: SI DE HEREDITATE AMBIGETVR, ET TABVLAE TESTAMENTI OBSIGNATAE NON MINVS MVLTIS SIGNIS, QVAM E LEGE OPORTET, AD ME PROFERENTVR:

causae, possessionem deteriorem faciat, lecta dissipet, excidal arbores, et culta deseral. — *Si possessor, sponsionem non faciet*) Subauditur *est*; hoc est, si possessor est, sponsionem non faciet. — *Quid id ad praetorem*) Bene dixit. Quum enim incertum sit, cuius debeat esse possessio, cur praetor dical, si possessor est, quasi iam probaverit possessorem esse eum, qui incubavit? Ergo a qoo pretium accepit, possessorem illum vocal, el vetat eum facere sponsionem, et quum in possessionem mittere praetoe ipse deberet, quem nondum misit, iam possessorem appellat. — *Ergo quia possessor est, non moves possessione; si possessor non esset, non dares*) Contrarium posuit, ut ostenderet improbitatem gratificati praetoris. Ergo nec adimere tibi licet possessionem incubanti, nec dare iure poscenti; quod quum utromque fieri oporteat, cur hunc possessorem nominas, a quo corruptus es? quasi eum, quia possessor dicitur, movere de possessione non posses. — *Si de heredi-*

Ita de hereditate certaret) Vrsino placebat lectio vet. cod. *et ita de hereditate certatur*. Graev. malebat *et ita de hereditate certaret*.

SI POSSESSOR) Asconius subintelligendum esse vidit *EST*. Lambin. et Grut. dederant *et possessor*.

Quid id) Vulgo *iam quid id*. Sed Ascon. et Priscian. non agnoscunt particulam *iam*, quam recte delevit Ern.

SI DE HEREDITATE AMBIGETVR) Beckius restituit lectionem Ascon. et edd. pr. *ambigitur*.

SECVNDVM TABVLAS TESTAMENTI POTISSIMVM HEREDITATEM DABO. Hoc translatitium est: sequi illud oportet, SI TABVLAE TESTAMENTI NON PROFERENTVR. Quid ait? se ei daturum, qui se dicat heredem esse. Quid ergo interest, proferantur, necne? Si protulerit: uno signo ut sit minus, quam ex lege oportet, non des possessionem; si omnino tabulas non proferet: dabis. Quid nunc dicam? neminem unquam postea alium sic edixisse? Valde sit mirum neminem fuisse, qui istius se similem dici vellet. Ipse in Siciliensi edicto hoc non habet; exegerat enim iam mercedem: item ut illo edicto, de quo ante dixi, in Sicilia de hereditatum possessionibus dandis, edixit idem, quod omnes Romae, praeter istum. EX EDICTO SICILIENSI. SI DE HEREDITATE AMBIGITVR.

XLVI. At, per deos immortales, quid est, quod de hoc dici possit? Iterum enim iam quaero abs te, sicut modo in illo capite Anniano de mulierum here-

tate ombigitur) Caput est edicti Verris. — *Hoc translatitium est*) Ciceronis verba sunt. — *Qui se dicat heredem esse*) Verba Verris insunt « dabo, inquit, si quis tabulas testamenti bene obsignatas protulerit ». Sequitur, « non dabo », inquit, si se tantum heredem factum esse dixerit, quamvis ille testamentum non proferat. Apparet Verrem contra Minucium gentem fuisse corruptum ab eo, quem ante possessorem appellat in edicto, quam ei possessionem paratus est dare. — *Ipse in Siciliensi edicto*) Figura prolepsis; non enim adhuc pervenimus ad Siciliam; cuius crimina in accusatione futura sunt, in tempore praeterita.

CAP. XLVI. *Capite Anniano*) Propric iuris capita dicuntur. — *In quibus*

HEREDITATEM DABO) Hotomannus scribi volebat: *s. t. t. possessionem hereditatis dabo.*

Sequi illud oportet) Ernestio videbatur scribendum *oportebat.* Sed legendum potius: *Sequitur illud*, ut Asconius quoque legisse videtur, deleto verbo *oportet.* Nam quae sequuntur verba, in Verris edicto post superiora scripta erant.

Quid nunc dicam?) Signum interrogationis reposui, a Schutzio tacite omissum. TYP. T.

Sic edixisse?) Vulgo abest *sic*; quod tamen abesse non potest. Lambin. dedit *ita edixisse.*

Valde sit mirum) Priscian. *valde hoc est mirum.* Lamb. corr. *valde hoc sit mirum.* Gulielmus deleri voluit *sit.*

De quo ante dixi) Nempe cap. 43.

ditatibus, nunc in hoc de hereditatum possessionibus: cur ea capita in edictum provinciale transferre nolueris? Vtrum digniores homines existimati eos, qui habitabant in provincia, quam nos, qui aequo iure uterentur; an aliud Romae aequum est, aliud in Sicilia? Non enim hoc potest hoc loco dici, multa esse in provinciis aliter edicenda: non de hereditatum quidem possessionibus, non de mulierum hereditatibus. Nam utroque genere video non modo ceteros, sed te ipsum totidem verbis edixisse, quot verbis edici Romae solet. Quae Romae magna cum infamia, pretio accepto, edixeras, ea sola te, ne gratis in provincia male audires, ex edicto Siciliensi sustulisse video. Et, quum edictum totum eorum arbitratu, quamdiu fuit designatus, componeret, qui ab isto ius ad utilitatem suam nundinarentur: tum vero in magistratu contra illud edictum suum sine ulla religione decernebat. Itaque L. Piso multos codices implevit earum rerum, in quibus ita intercessit, quod iste aliter, atque ut edixerat, decrevisset. Quod vos oblitos esse non arbitror, quae multitudo, qui ordo ad Pisonis sellam isto praetore solitus sit convenire, quem iste collegam nisi habuisset, lapidibus coopertus esset in foro. Sed eo leviores

ita intercessit) Intercedere, ut vides, etiam praetor praetori solet, ut Piso

Iure uterentur) Sic recte Hotomannus; et probavit P. Manutius, itemque Ernestius. Vulgatum *uteremur*, quod Graevius defendit quidem, sed ita, ut mihi non satisfecerit. Cicero enim Verrem interrogat, quam ob causam illud caput iniquum ex edicto urbano in edictum Siciliense non transtulerit; utrum propterea fecerit, quod Siculos digniores habuerit qui aequo iure uterentur, an quod putarit aliud Romae aequum esse, aliud in Sicilia.

Quae multitudo, qui ordo) Verbis *qui ordo*, ordinem equestrem, verbis autem *quae multitudo*, homines de plebe designare videtur, qui nisi adversus Verris decreta in aequitate prudentiaque Pisonis perfugium habuissent, Verrem lapidaturi fuissent.

istius iniuriae videbantur, quod erat in aequitate prudentiaque Pisonis paratissimum perfugium, quo sine labore, sine molestia, sine impensa, etiam sine patrono homines uterentur. Nam, quaeso, redite in memoriam, iudices, quae libido istius in iure dicundo fuerit, quae varietas decretorum, quae nundinatio, quam inanes domus eorum omnium, qui de iure civili consuli solent, quam plena atque referta Chelidonis: a qua muliere quum erat ad eum ventum, et in aurem eius insusurratum, alias revocabat eos, inter quos iam decreverat, decretumque mutabat; alias inter alios contrarium sine ulla religione decernebat, ac proximis paulo ante decreverat. Hinc illi homines erant, qui etiam ridiculi inveniebantur ex dolore. Quorum alii, ut audistis, negabant mirandum esse, *ius* tam nequam esse *verrinum*. Alii etiam frigidiores erant; sed, quia stomachabantur, ridiculi videbantur esse, quum Sacerdotem exsecrabantur, qui *verrem* tam nequam reliquisset. Quae ego non commemorarem (neque enim perfacete dicta, neque porro hac severitate digna sunt) nisi vos illud vellem recordari, istius nequitiam et iniquitatem tum in ore vulgi, atque in communibus proverbiis esse versatam.

XLVII. In plebem vero romanam utrum superbiam prius memorem, an crudelitatem? Sine dubio cru-

Verri, appellatione ad collegam facta. — *Quam plena ac referta Chelidonis*) Plebeia quaedam clientula Verris Chelido fuit, quae illum etiam moriens fecit heredem; qua causa impune illam meretricem appellat orator.

Vt audistis) Cod. Vrsini: *id quod saepe audistis*, quod Muretus probavit et recepit Lambin.

Qui verrem tam nequam reliquisset) Memorat haec dicta Quintilianus VI, 3: sed ita, ut non dissimulet, haec non a Cicerone, sed ab aliis dicta esse. Iniquior est auctor dial. de Oratoribus c. 28, qui Ciceronem ob illud *ius verrinum* carpit, quasi eo ioco ipse usus esset.

delitas gravior est atque atrocior. Oblitosne igitur hos putatis esse, quemadmodum sit iste solitus virgis plebem romanam concidere? Quam rem etiam tribunus plebis in concione egit, quum eum, quem virgis iste ceciderat, in conspectum populi romani produxit. Cuius rei cognoscendae faciam vobis suo tempore potestatem. Superbia vero qua fuerit, quis ignorat? Quemadmodum is tenuissimum quemque contempserit, despexerit, liberum esse nunquam duxerit? P. Trebonius viros bonos et honestos complures fecit heredes; in his fecit suum libertum. Is A. Trebonium fratrem habuerat proscriptum. Ei quum cautum vellet, scripsit, ut heredes iurarent, se curaturos, ut ex sua cuiusque parte ne minus dimidium ad A. Trebonium fratrem illum proscriptum perveniret. Libertus iurat; ceteri heredes adeunt ad Verrem; docent, non oportere se iurare; facturos esse, quod contra legem Corneliam esset, quae proscriptum iuvari vetaret. Impetrant, ut ne iurent. Dat his possessionem. Id ego non reprehendo. Etenim erat iniquum, homini proscripto, egenti, de fraternis bonis

Cap. XLVII. *Tribunus plebis*) M. Lollius Palicanus. — *Cuius rei*) Non in eodem negotio, sed generaliter, cuius criminis, id est crudelitatis. — *Suo tempore*) Quum agetur de suppliciis. — *Viros bonos et honestus*) Quo modo igitur fallunt mortui voluntatem quum ad Verrem adeunt? an vetuste bonos pro magnis, honestos pro divitibus posuit? an bonos et honestos, ut ipse crediderat? — *Dat eis possessionem*) Iniuste; aut enim solvi potius debuit

In conspectum) Codd. aliquot Lambini *adspectum*. Vulgo: *prospectum*. At cod. Lanuoct. recte *conspectum*.

Quis ignorat? Quemadmodum is tenuissimum) Goërenzius ad Cic. de Fin. V, 32, legendum putat: *quis ignorat? Quis ignorat quemadmodum tenuissimum* etc.

In his fecit suum libertum) Guilelm. I. F. Gron. Graev. deleri volunt *fecit*. Herelio placebat *in his etiam* s. l.

Vetaret) Sic Ernestius edidit. Vulgo *vetat*; quod nuper Beckius restituit, quia haec verba Ciceronis esse viderentur. Equidem aptius heredibus istis tribui censeo.

Etenim erat iniquum) Recte intel-

quidquam dari; at ille libertus, nisi ex testamento patroni iurasset, scelus se facturum arbitrabatur. Itaque ei Verres possessionem hereditatis negat se daturum, ne posset patronum suum proscriptum iuvare: simul ut esset poena, quod alterius patroni testamento obtemperasset. Das possessionem ei, qui non iuravit; concedo; praetorium est. Adimis tu ei, qui iuravit. Quo exemplo? «Proscriptum iuvat. Lex est: poena est.» Quid ad eum, qui ius dicit? Vtrum reprehendis, quod patronum iuvabat eum, qui tum in miseriis erat; an, quod alterius patroni mortui voluntatem conservabat, a quo summum beneficium acceperat? Vtrum horum reprehendis? Et hoc tum de sella vir optimus dixit: «Equiti romano, tam locupleti, libertinus sit homo heres?» O modestum ordinem, quod illinc vivus surrexit! Possum sexcenta decreta proferre, in quibus, ut ego pecuniam non dicam intercessisse, ipsa decretorum novitas iniquitasque declarat. Verum, ut ex uno de ceteris coniecturam facere possitis: id quod priore actione cognostis, audite.

XLVIII. C. Sulpicius Olympus fuit. Is mortuus est C. Sacerdote praetore, nescio an ante, quam Verres praeturam petere coeperit. Fecit heredem M. Octa-

testamentum, quod contra legem Corneliam factum fuerat, aut integrum cum voluntate mortui permanere. — *Lex est; poena est*) Accusetur, inquit, quum fecerit, et damnetur; hoc praetoris est; non prohibere ne faciat. Qui enim ius dicit, factorum iudex est, non futurorum, duntaxat in civilibus causis. — *O modestum ordinem*) Quia ordinem dixit, equitum romanorum ordinem dici quidam putant; sed libertinos significat; quorum non conditionem, sed more suo, quasi honestorum, ordinem vocat.

CAP. XLVIII. *C. Sulpitiüs Olympus fuit*) Vetus locutio. Eminus est Vulexit Hotomannus hoc *εἰρωνικῶς* dici.

Adimis) *Adimas* Priscian. Idem placuit Lambino, Gulielmo, Mureto. Ernestius vero malebat *At adimis.*

Sexcenta) Edd. vett. et codd. Pall. *sexaginta*. Verum tamen est *sexcenta*; et sic legit Donatus ad Terent. Phorm. IV, 3, 63.

vium Ligurem. Ligur hereditatem adiit: possedit Sacerdote praetore, sine ulla controversia. Posteaquam Verres magistratum iniit: ex edicto istius, quod edictum Sacerdos non habuerat, Sulpicii patroni filia sextam partem hereditatis ab Ligure petere coepit. Ligur non aderat. L. frater eius causam agebat; aderant amici, propinqui. Dicebat iste, nisi cum muliere decideretur, in possessionem se ire iussurum. L. Gellius causam Liguris defendebat: docebat, edictum eius non oportere ad eas hereditates valere, quae ante eum praetorem venissent. Si hoc tum fuisset edictum, fortasse Ligurem hereditatem aditurum non fuisse. Aequa postulatio, summa hominum auctoritas pretio superabatur. Venit Romam Ligur; non dubitabat, quin, si ipse Verrem convenisset, aequitate causae et auctoritate sua commovere hominem posset. Domum ad eum venit; rem demonstrat; quam pridem sibi hereditas venisset, docet. Quod facile in causa aequissima homini ingenioso fuit, multa, quae quemvis movere possent, dixit. Ad extremum petere coepit, ne usque eo suam auctoritatem despiceret, gratiamque contemneret, ut se tanta iniuria afficeret. Homo Ligurem accusare coepit, qui in re adventitia atque hereditaria tam diligens, tam attentus esset: debere eum aiebat suam quoque rationem ducere;

lurnus Capua tria millia passuum (41). — *Ex edicto istius, quod edictum Sacerdos non habuerat*) Edictum in causa veteri novum adhuc ostendit, ut nummarium probet. Nam ex ipso negotio videtur edixisse Verres, ut omnis libertus non patrono tantum, sed etiam patroni filiae sextam relinquat hereditatis. — *L. Gellius*) Sine ornamentis nomen posuit, quia per se clarum est consularis et nobilis viri. — *Adventitia*) Quia ab alieniore hereditas veniebat.

Se ire iussurum) Franc. 1, *se ire missurum*; unde Graev. coniecit legendum *se iure missurum*.

Ad eas hereditates) Priscian. lib. XVIII, *in eas hereditates*. Post Gruterum edd. fere omiserunt *eas*, quod recte restituit Beckius.

Suam quoque rationem ducere)

multa sibi opus esse, multa canibus suis, quos circa se haberet. Non possum illa planius commemorare, quam ipsum Ligurem pro testimonio dicere audistis. Quid enim, Verres? Vtrum ne his quidem testibus credetur? (an haec ad rem non pertinent?) non M. Octavio? non L. Liguri? Quis nobis credet? cui nos? quid est, Verres, quod planum fieri testibus possit, si hoc non fit? An id, quod dicunt, leve est? Nihil levius, quam praetorem urbis hoc iuris in suo magistratu constituere, omnibus iis, quibus hereditas venerit, coheredem praetorem esse oportere. An vero dubitamus, quo ore iste ceteros homines inferiore loco, auctoritate, ordine, quo ore homines rusticanos ex municipiis, quo denique ore, quos nunquam liberos putavit, libertinos homines, solitus sit appellare, qui ob ius dicundum M. Octavium Ligurem, hominem ornatissimum loco, ordine, nomine, virtute, ingenio, copiis, poscere pecuniam non dubitarit?

XLIX. In sartis tectis vero quemadmodum sese gesserit, quid ego dicam? Dixerunt, qui senserunt. Sunt alii, qui dicant: notae res ac manifestae prolatae sunt, et proferuntur. Dixit C. Fannius, eques romanus, frater germanus huius Q. Titinii, iudicis tui, tibi se pecuniam dedisse. Recita testimonium C. Fannii. Nolite C. Fannio dicenti credere; noli, inquam, tu, Q. Titini, C. Fannio, fratri tuo, credere. Dicit enim rem incredibilem; C. Verrem insimulat avaritiae et audaciae; quae vitia videntur in quemvis potius, quam in istum convenire. Dixit Q. Tadius,

Olim nonnulli: *sui rationem*. Verum tamen est *suam rationem ducere*, ut est in Epp. ad Attic. VIII, 5.

An haec ad rem non pertinent?) Verba haec fortasse sunt a glossatore, qui explicare vellet illa: *an id quod dicunt leve est?* — Sane nexum orationis impediunt, et infra post *hoc non fit?* collocanda censerem, vel potius omittenda. Tyr. T.

homo familiarissimus patris istius, non alienus a matris eius genere et nomine; tabulas protulit, quibus pecuniam se dedisse ostendit. Recita nomina Q. Tadii. Recita testimonium Q. Tadii. Ne tabulis quidem Q. Tadii, nec testimonio credetur? Quid igitur in iudiciis sequemur? Quid est aliud, omnibus omnia peccata et maleficia concedere, nisi hoc, hominum honestissimorum testimoniis et virorum bonorum tabulis non credere?

L. Nam quid ego de quotidiano sermone querimoniaque populi romani loquar? de istius impudentissimo furto, seu potius novo ac singulari latrocinio? ausum esse in aede Castoris, celeberrimo clarissimoque monumento, quod templum in oculis quotidianoque adspectu populi romani est positum, quo saepenumero senatus convocatur, quo maximarum rerum frequentissimae quotidie advocationes fiunt: in eo loco, in sermone hominum, audaciae suae monumentum aeternum relinquere? Aedem Castoris, iudices, P. Iunius habuit tuendam. Is mortuus est L. Sulla, Q. Metello consulibus. Reliquit pupillum par-

Cap. XLIX. *Non alienus a matris eius genere et nomine*) Qui putant εἰρωνικῶς pronuntiandum, non vident contra testis suae dignitatem nunquam dicturum Ciceronem fuisse. Ergo simpliciter accipiendum est. Vult enim patrem Verris divisorem fuisse, matrem honestiorem intelligi. — *Tabulas protulit*) Per quas probavit abisse a se pecunias certis nominibus inscriptas. Non enim Verres scripserat se accepisse, sed illo tempore, unde, et quo modo, et per quos dederit, scriptum in tabulis ostendit.

Cap. L. *Quo maximarum rerum frequentissimae quotidie advocationes fiunt*) Vel uti consulatur convenientibus advocatis, vel ut alterutri parti

Nam quid ego) Burmanno ad Anthol. lat. tom. I, p. 468 praeferendum videbatur: *Iam quid ego*. Idem Hotomannus in libris quibusdam esse testatur. Sed *nam quid ego* refertur ad verba *hominum — non credere*.

L. Sulla, Q. Metello consulibus) Vulgo *P. Iunius habuit tuendam L. Sulla, Q. Metello consulibus. Is mortuus est.* Hotomannus frustra coniecit legendum *censoribus*, quia in duobus codd. invenit CESS. idque recepit in contextum Gruterus. At Sulla et Metellus nunquam una censores,

vum filium. Quum L. Octavius, C. Aurelius, consules, aedes sacras locavissent, neque potuissent omnia sarta tecta exigere, neque ii praetores, quibus erat negotium datum, C. Sacerdos et M. Caesius: factum est senatusconsultum, quibus de sartis tectis cognitum et iudicatum non esset, uti C. Verres, P. Caelius praetores cognoscerent et iudicarent. Qua potestate iste permissa, quum esset omnibus in rebus apertissime impudentissimeque praedatus, ut ex C. Fannio et ex Q. Tadio cognovistis: verumtamen hoc voluit clarissimum relinquere indicium latrocini^rum suorum; de quo non audire aliquando, sed videre quotidie possemus.

LI. Quaesivit, quis aedem Castoris sartam tectam deberet tradere. Iunium ipsum mortuum esse sciebat; scire volebat, ad quem illa res pertineret. Audit pupillum esse filium. Homo, qui semper ita palam dictitasset, pupillos et pupillas certissimam praedam esse praetoribus, optatum negotium sibi in sinum delatum esse dicebat. Monumentum illa amplitudine, illo opere, quamvis sartum, tectum, integrumque esset, tamen aliquid se inventurum, in quo moliri praedarique posset, arbitrabatur. L. Rabonio aedem

apud arbitros adsint, vel uti ipsi iudices in rem aliquam capiantur. — *Quibus de sartis tectis*) Harum rerum cura propria censoribus datur, id est sartorum tectorum exigendorum. Verum haec tueri et procurare quum celeris item tum publicis tum privatis operibus aedilium cura est annua. Praetores, nisi senatus decrevit, de hac re minus laborant.

Coss. vero fuerunt A. V. C. 672. Infra c. 55 Iunius dicitur Castoris aedem tuendam redemisse a Marcio et Perperna censoribus, h. e. A. V. 667. Bene igitur Beckius h. l. interpunctione sublevavit, ita ut verba *et Sulla Q. Metello Coss.* cum verbis *is mortuus est* coniungeret. Ego vero verba *Is mortuus est* etiam praeponenda duxi consulum nominibus. Sic supra c. 48: *Is mortuus est C. Sacerdote praetore.*

Verumtamen hoc voluit) Sequutus sum Ernestii transpositionem verborum quae vulgo sic procedunt: *Qua potestate iste permissa, ut ex C. Fan-*

Castoris tradi oportebat. Is casu pupilli Iunii tutor erat testamento patris. Cum eo sine ullo intertrimento convenerat iam, quemadmodum traderetur. Iste ad se Rabonium vocat: quaerit, ecquid sit, quod a pu-

CAP. LI. *Sine ullo intertrimento*) Detrimentum vel unius partis dici po-

nio et ex Q. Tadio cognovistis, verumtamen quum esset omnibus in rebus apertissime imprudentissimeque praedatus, hoc voluit etc. Pro *omnibus in rebus*, malim *aliis in rebus*.

Tradi oportebat) Ernestius hoc sic explicat, quod Rabonius socius fuerit Iunii, idque ait e sequentibus patere. Atqui in sequentibus nihil eiusmodi occurrit. Rabonius potius Iunio mortuo, qui Castoris aedem tuendam redemerat, idem negotium receperat, certis conditionibus sibi a tutoribus Iunii pupilli traditum.

Tutor erat testamento patris) Menardus existimavit Rabonium istum non fuisse in pupilli Iunii tutoribus. Eius notam ad h. l. operae pretium est cognoscere. «Totum, *inquit*, hoc negotium redemptionis templi Castoris sic habet. Tuendum id et sarciendum annis ante praetorem Verrem prope XII. Cinna iterum et Mario VI coss. locarant L. Marcius et M. Perperna censores, ut indicio est caput legis locationis primum infra (c. 55 *qui de L. Marcio M. Perperna censoribus* etc.) Quum non esset opus perfectum, ut tradi censoribus illis posset, de integro consules L. Sulla et Q. Metellus, vel illis consulibus, ii, quibus a senatu mandata ea cura est (censores enim per illud quinquennium non fuerunt), legem locationis proposuerunt. Quumque diutius id opus traheretur, per annos singulos novae leges locationis proponebantur usque ad Licinium Lucullum, et M. Cottam consules, qui annus est urbanae praeturae Verris. Et ea cura sartorum tectorum exigendorum senátus consulto demandata est C. Verri et P. Caelio praetoribus. Accessit redemptor et manceps L. Rabonius, isque ascivit in societatem redemptionis P. Iunium; P. Iunius relicto pupillo moritur, cui testamento scribit P. Potitium et M. Iunium, pupilli patruum, fratrem autem suum, tutores; M. etiam Marcellum virum amplissimum ordinis senatorii nos hic legimus tutorem, quem illis fortasse honorarium tutorem adiunxerat. Sed mentio tutorum in hac controversia pernimium frequens est; certissime L. Rabonius tutor non fuit, et existimo legendum hoc modo: *L. Rabonio aedem Castoris tradi oportebat. Potitius casu pupilli tutor erat testamento patris.* Cum eo igitur convenerat, quemadmodum aedes Castoris traderetur.» Hactenus Menardus. Cuius etsi speciosa est coniectura, tamen non est eiusmodi, ut vulgata lectio mutari debeat. Nam primum, si Cicero hic scripsisset, *Potitius*, nullo modo inde librarii fecissent IS CASV. Neque vero, sensum commodum haberet vocabulum CASV nomini *Potitii* adiectum. Sed si legitur IS CASV, significatur hoc: Accidit ut idem Rabonius, cui ut redemptori pupilli Iunii nomine aedes Castoris tradenda esset, simul tutor esset pupilli testamento patris. Praeterea Menardus falso opinatus est.

pillo traditum non sit, quod exigi debeat. Quum ille, id quod erat, diceret, facilem pupillo traditionem esse; signa et dona comparere omnia; ipsum templum omni opere esse integrum: indignum isti videri coepit, ex tanta aede, tantoque opere, se non opimum praeda, praesertim a pupillo, discedere. Venit ipse in aedem Castoris; considerat templum; videt undique tectum pulcherrime laqueatum, praeterea cetera nova atque integra. Versat se: quaerit, quid agat. Dicit ei quidam ex illis canibus, quos iste Liguri dixerat esse circa se multos: «tu, Verres, hic quod moliare, nihil habes: nisi forte vis ad perpendiculum columnas exigere.» Homo omnium rerum imperitus, quaerit, quid sit, ad perpendiculum. Dicunt ei, fere nullam esse columnam, quae ad perpendiculum esse possit. «Nam mehercule, inquit, sic agamus: columnae ad perpendiculum exigantur.» Rabonius, qui legem nosset, qua in lege numerus tantum columnarum traditur, perpendiculi mentio fit nulla; et qui non putaret sibi expedire, ita accipere, ne eodem

test; intertrimentum vero dantis et accipientis (42). — *Nullam esse columnam quae ad perpendiculum esse possit*) Perpendiculum linea, laterum aequalitatem a summo ad imum latitudine probans (43). Hoc autem (44) quum in columnis omnibus, tum maxime in structilibus vetustis, ubi tumoris est aliquid, evenit, in quibus aut media, aut ima crassiora sunt.

Rabonium iam primo loco aedem Castoris tuendam habuisse, cumque in societatem redemptionis ascivisse P. Iunium patrem: cuius rei nullum est in Ciceronis narratione vestigium. Immo potius post mortem demum P. Iunii patris, pupilli filii nomine Rabonio tutori a ceteris tutoribus, quibuscum convenerat, quemadmodum traderetur, aedem Castoris tradi oportebat.

Ad perpendiculum esse possit) Herelio videbatur legendum *ad perpendiculum exigi possit*.

Qui legem nosset) H. e. legem censoriam, contractum locationis, secundum quem Iunius olim aedem Castoris tuendam redemerat, qui iam quum hoc negotium a tutoribus pupilli Iunii Rabonio traderetur, ad hunc transibat.

Ne eodem modo reddendum esset) Nimirum quia Rabonio videbatur hoc sartum tectum sumptuosius fieri, si

modo reddendum esset: negat, id sibi deberi; negat oportere exigi. Iste Rabonium quiescere iubet; et simul ei nonnullam spem societatis ostendit. Hominem modestum et minime pertinacem facile coërcet: columnas ita se exacturum esse confirmat. Nova res, atque improvisa pupilli calamitas nuntiatur statim C. Mustio, vitrico pupilli, qui nuper est mortuus, M. Iunio, patruo, P. Potitio tutori, homini frugalissimo. Hi rem ad virum primarium, summo officio ac virtute praeditum, M. Marcellum, qui erat pupilli tutor, deferunt. Venit ad Verrem M. Marcellus; petit ab eo, pro sua fide ac diligentia, pluribus verbis, ne per summam iniuriam pupillum Iunium fortunis patriis conetur evertere. Iste, qui iam spe et opinione praedam illam devorasset, neque ulla aequitate orationis, neque auctoritate M. Marcelli, commotus est. Itaque, quemadmodum ostendisset, se id exacturum esse, respondit.

LII. Quum sibi omnes ad istum allegationes difficiles, omnes aditus arduos, ac potius interclusos viderent, apud quem non ius, non aequitas, non misericordia, non propinqui oratio, non amici voluntas, non cuiusquam auctoritas, prae pretio, non gratia valeret; statuunt, id sibi optimum esse factu, quod

columnae ad perpendiculum exigendae essent, nolebat aedem Castoris tuendam hac conditione accipere, quia si in posterum alius exsisteret huius negotii redemptor, verebatur, ne impensae sibi augerentur, si ei columnas ad perpendiculum factas tradere oporteret. Priscian. pro *reddendum esset* p. 1155 habet *sibi tradendum esset*.

Negat id sibi deberi) Negabat hoc debere pupillum Iunii, ut in tradenda sibi aede Castoris columnae ad perpendiculum essent.

Spem societatis) Recte hoc Menardus accepit de societate rapinae et eius praedae, quam Verres de pupillo erat exacturus.

Hominem modestum) Prudenter monet Manutius Rabonium hic carpi ut avarum, et qui lucri cupiditate facile ab officio desciverit.

Se id exacturum esse) Ern. coni. se *ita exacturum esse*.

cuivis venisset in mentem, petere auxilium a Chelidone, quae isto praetore non modo in iure civili, privatorumque omnium controversiis, populo romano praefuit, verum etiam in his sartis tectisque dominata est. Venit ad Chelidonem C. Mustius, eques romanus, publicanus, homo cum primis honestus; venit M. Iunius, patruus pueri, frugalissimus homo et castissimus; venit homo summo honore, pudore et summo officio spectatissimus ordinis sui, P. Potitius tutor. O multis acerbam, o miseram, atque indignam praeturam tuam! Vt mittam cetera, quo tandem pudore tales viros, quo dolore, meretricis domum venisse arbitramini? qui nulla conditione istam turpitudinem subissent, nisi officii necessitudinisque ratio coëgisset. Veniunt, ut dico, ad Chelidonem. Domus erat plena; nova iura, nova decreta, nova iudicia petebantur. «Mihi det possessionem; mihi ne adimat; in me iudicium ne det; mihi bona addicat.» Alii nummos numerabant; alii tabulas obsignabant. Domus erat non meretricio conventu, sed praetoria turba referta. Simulac potestas primum data est, adeunt hi, quos dixi. Loquitur Mustius; rem demonstrat; petit auxilium; pecuniam pollicetur. Respondit illa, ut meretrix, non inhumane; libenter, ait, se esse facturam, et se cum isto diligenter sermocinaturam; reverti

Cap. LII. *Sartis tectisque dominata est*) Addidit *que*, ut esset plenum dictum, nam *sarta tecta* dicuntur. — *Eques R. publicanus*) Aut potius parcus et attentus, quo magis indignum sit, ad meretricem venisse.

Prae pretio) Vulg. *pro pretio*. Muret. Vrsin. Graev. viderunt verum esse *prae pretio*.

Sartis tectisque dominata est) Vulgo *sartis tectis*. Sed Ascon. legit *sartis tectisque* et ait additum esse *que* ut esset planum dictum. Holomannus arbitratur ita Ciceronem scripsisse, ut clausula hexametri vitaretur.

Non inhumane) Priscian. p. 1010 *non inhumaniter*.

iubet. Tum discedunt; postridie revertuntur. Negat illa posse hominem exorari; permagnam enm dicere ex illa re pecuniam confici posse.

LIII. Vereor, ne quis forte de populo, qui priori actione non affuit, haec, quia propter insignem turpitudinem sunt incredibilia, fingi a me arbitretur. Ea vos antea, iudices, cognovistis. Dixit iuratus P. Potitius, tutor pupilli Iunii; dixit M. Iunius tutor et patruus; Mustius dixisset, si viveret; sed pro Mustio, recenti re de Mustio auditum dixit L. Domitius; qui quum sciret, me ex Mustio vivo audisse, quod eo sum usus plurimum (etenim id iudicium, quod prope omnium fortunarum suarum C. Mustius habuit, me uno defendente vicit), quum hoc, ut dico, sciret L. Domitius, me scire, ad eum res omnes Mustium solitum esse deferre; tamen de Chelidone reticuit, quoad potuit; alio responsionem suam derivavit. Tantus in adolescente clarissimo ac principe iuventutis pudor fuit, ut aliquandiu, quum a me premeretur, omnia potius responderet, quam Chelidonem nominaret. Primo necessarios istius ad eum allegatos esse dicebat; deinde aliquando coactus Chelidonem nominavit. Non te pudet, Verres, eius mulieris arbitratu gessisse praeturam, quam L. Domitius ab se nominari vix sibi honestum esse arbitrabatur?

LIV. Reiecti a Chelidone capiunt consilium necessarium, ut suscipiant ipsi negotium. Cum Rabonio tutore, quod erat vix HS quadraginta millium, tran-

Cap. LIII. *Etenim iudicium id, quod prope omnium fortunarum*) Causam Mustius pecuniariam habuit Tullio defendente, cuius oratio non est edita.

Id iudicium) Pleraeque edd. vett. *in iudicium.* Ald. *iudicium.* MS. Franc. et edd. Mediol. *in iudicio.*

Rabonio tutore) Menardus, quia Rabonium tutorem haud fuisse sibi persuaserat, h. l. corrigendum censebat *tutores.*

signnt HS ducentis millibus. Refert ad istum rem Rabonius; ut sibi videatur, satis grandem pecuniam, et satis impudentem esse. Iste, qui aliquanto plus cogitasset, male accipit verbis Rabonium; negat eum sibi illa decisione satisfacere posse. Ne multa, locaturum se esse confirmat. Tutores haec nesciunt; quod actum erat cum Rabonio, putant id esse certissimum; nullam maiorem pupillo metuunt calamitatem. Iste vero non procrastinat; locare incipit; non proscripta neque edicta die, alienissimo tempore, ludis ipsis romanis, foro ornato. Itaque renuntiat Rabonius illam decisionem tutoribus. Accurrnnt tamen ad tempus tutores; digitum tollit Iunius patruus. Isti color immutatus est; vultus, oratio, mens denique excidit. Quid ageret, coepit cogitare. Si opus pupillò redimeretur, si res abiret ab eo mancipe, quem ipse apposuisset, sibi nullam praedam esse. Itaque excogitat, quid? nihil ingeniose; nihil, quod quisquam possit dicere, *improbe*, *verum callide;* nihil ab isto tectum, nihil veteratorium exspectaveritis: omnia aperta, omnia perspicua reperientur, impudentia, amentia, audacia. «Si pupillo opus redimitur, mihi praeda de manibus eripitur. Quod est igitur remedium? quod? Ne liceat pupillo redimere». Vbi illa consuetudo in bonis, praedibus praediisque

CAP. LIV. *Foro ornato*) Hoc fieri ludis solebat, qui in foro etiam tum dabantur. — *Renuntiat Rabanius*) Renuntiat, irritam nuntiat. — *Ab eo mancipe, quem ipse apposuisset*) Rabonio scilicet fabro. — *Veteratorium*) Acutum, callidum. — *Quod est igitur remedium, quod?*) Repetit *quod*, ut deliberantis cunctatio videatur inesse verbis eius. — *In bonis praedibus praediisque vendundis*) Bona praedia dicuntur bona satisdationibus obnoxia, sive siut in mancipiis, sive in pecunia numerata; praedia vero domus, agri,

Vt sibi videatur) Vulg. *videbatur* bene correxit Ern.

Edicta die) Lambin. *prodicta.*

In bonis, praedibus praediisque vendundis) Sic iam Asconius legit, et *bona* intpr. bona satisdationibus

vendundis, omnium consulum, censorum, praetorum, quaestorum denique, ut optima conditione sit is, cuia res sit, cuium periculum? Excludit eum solum, cui prope dicam soli potestatem factam esse oportebat. Quid enim quisquam ad meam pecuniam, me invito, adspirat? Locatur opus id, quod ex mea pecunia reficiatur; ego me refecturum esse dico; probatio futura est tua, qui locas; praedibus et praediis populo cautum est; et, si non putas cautum, scilicet tu praetor in mea bona, quos voles, immittes? me ad meas fortunas defendendas accedere non sines? Operae pretium est, ipsam legem cognoscere: dicetis, eundem conscripsisse, qui illud edictum de

haec omnia venduntur, si rationi publicae locator sartorum tectorum non responderit. Ad hoc autem haec omnia sunt obnoxia, ut pro sua voluntate agat redemptor operis quidquid suo periculo facit. Tu autem Verres, quum ego populo romano sim obnoxius et praedibus, id est fideiussoribus, et praediis oppositis, tu mihi non exactor sis operis, sed dominus voluntatis. — *Vt optima conditione sit*) Ad hoc, inquit, astrictus redemptor tenetur populo romano, ut optima conditione, quod vult, de redemptione sua agat. Et tu eum excludis, quem solum admitti oportuit; ut ad eius pecuniam ac sumptum operis, quem illi imperaturus est, alius accedat. — *Praedibus et praediis*) Praedia sunt res ipsae; praedes homines, id est fideiussores, quorum res bona praedia uno nomine dicuntur. — *Populo cautum est*) Aerario scilicet. —

obnoxis sive sint in mancipiis, sive in pecunia numerata; *praedia* vero, domos et agros. Alii ut Graevius *bonis* pro adiectivo accipiunt, quia bonis praedibus et bonis praediis publico cavebatur. Ernestio verbum *bonis* a glossatore ortum esse videbatur. *Praedes vendere* est bona eorum, quibus se publico obligarunt, si opus redemptum vel sarta tecta rationi publicae non responderint vendere. Pantagathus pro *vendundis* malebat *cavendi*. Senserat nimirum h. l. nondum de redemptorum publici operis praedibus praediisque vendundis agi, sed tantum de eorum cautione et periculo. Fortasse omissa sunt quaedam; e. c. *ubi illa consuetudo in operibus locandis, in b. p. p. vendundis.*

Ad meam pecuniam) Legendum arbitror, *ad meum negotium*, ut c. 56.

Me invito, adspirat?) Delevi verba *quid accedit?* Quae Gulielmius et Ernestius recte glossatori tribuerunt, qui vocabulum *adspirat* sic interpretatus sit.

hereditate! LEX OPERE FACIVNDO QVAE PVPILLI IVNII. Dic, dic, quaeso, clarius. C. VERRES PR. VRBIS ADDIDIT. Corriguntur leges censoriae. Quid enim? Video in multis veteribus legibus: CN. DOMITIVS, L. METELLVS, L. CASSIVS CN. SERVILIVS CENSORES ADDIDERVNT. Vult aliquid eiusmodi C. Verres. Dic. Quid addidit? QVI DE L. MARCIO, M. PERPERNA CENSORIBVS REDEMERIT, EVM SOCIVM NE ADMITTITO NEVE EI PARTEM DATO, NEVE EI REDIMITO. Quid ita? Ne vitiosum opus fieret? At erat probatio tua. Ne parum locuples esset? At erat, et esset amplius, si velles, populo cautum praedibus et praediis.

LV. Hic te si res ipsa, si indignitas iniuriae tuae non commovebat; si pupilli calamitas, propinquorum lacrymae, D. Bruti, cuius praedia subierunt periculum, M. Marcelli tutoris auctoritas apud te ponderis nihil habebat: ne illud quidem animadvertebas, eiusmodi fore hoc peccatum tuum, quod tu neque negare posses (in tabulas enim retulisti) nec cum defensione aliqua confiteri? Addicitur id opus HS IↃLX millibus; quum tutores HS LXXX millibus id opus ad illius hominis iniquissimi arbitrium se effecturos esse clamarent. Etenim quid erat operis? Id,

Corriguntur leges censoriae, quod enim video —) Non εἰρωνικῶς pronuntiandum. — *Socium ne admittito*) Eum qui tradere aedem debebat. — *Neve partem dato*) Aliud enim socius, aliud particeps. Nam particeps, qui certam habet partem, et non indivise agit, ut socius. — *Neve redimito*) Ne ipse iterum a se redimat, aut per suppositam personam, ut alter ei redimat.

CAP. LV. *Cuius praedia subierant periculum*) Satisdatorem dicit fuisse D. Brutum.

LEX OPERE) Sic Ern. ex certissima Ant. Augustini emendatione. Vulgo *EX OPERE*.

QVAE PVPILLI IVNII) Olim edebatur *Pupilli Iunii quae*. Augustino placebat *PVPILLI IVNII. Quae? dic*, *dic* etc. Manut. et Victor. *LEX OPERE FACIVNDO. Quae? PVPILLI IVNII. Dic, dic* etc.

D. Bruti) Qui praes erat factus pro Iunio pupillo.

quod vos vidistis. Omnes illae columnae, quas dealbatas videtis, machina apposita, nulla impensa deiectae, eisdemque lapidibus repositae sunt. Hoc tu HS ɪↃʟx millibus locavisti. Atqui in illis columnis dico esse, quae a tuo redemptore commotae non sint; dico esse, ex qua tantum tectorium vetus delitum sit, et novum inductum. Quod si tanta pecunia columnas dealbari putassem, certe nunquam aedilitatem petivissem.

LVI. At, ut videatur tamen res agi, et non eripi pupillo: SI QVID OPERIS CAVSA RESCIDERIS, REFICITO. Quid erat, quod rescinderet, quum suo quemque loco lapidem reponeret? QVI REDEMERIT, SATISDET DAMNI INFECTI EI, QVI A VETERE REDEMPTORE ACCEPERIT. Deridet, quum sibi ipsum iubet satisdare Rabonium. PECVNIA PRAESENS SOLVATVR. Quibus de bonis? eius, qui, quod tu HS ɪↃʟx millibus locasti, HS ʟxxx millibus effecturum se esse clamavit. Quibus de bonis? pupilli, cuius aetatem et solitudinem, etiamsi tutores non essent, defendere praetor debuit. Tutoribus defendentibus, non modo patrias eius fortunas, sed etiam bona tutorum ademisti. HOC OPVS BONVM

Cap. LVI. *Si quid operis causa rescideris*) Satisdet damni infecti redemptor novus veteri, si quid pro necessitate operis in aede laeserit. — *Qui redemerit*) Rabonium significat. — *Qui a vetere redemptore acceperit*) Pupillum dicit. Huic iubet satisdare Rabonium, hoc est, ipsum sibi. Nam quum sit tutor pupilli, utrobique res eius agitur. — *Hoc opus bonum suo cuique*)

Delitum sit) Priscian. lib. XVIII, p. 1151: *deiectum*, vet. ed. et cod. Pal. 2, *deletum*: Pal. 1, *delectum*.

A VETERE REDEMPTORE ACCEPERIT) Recte Manutius animadvertit, hic videri tres personas induci, quum tamen duae sint. Vetus enim redemptor est pupillus Iunius; qui ab eo accepit, est Rabonius, cui iam ante novam hanc Verris locationem aedem Castoris tradi oportebat (c. 50); qui autem nunc redemit, s. novus manceps a Verre appositus, est idem Rabonius; ridiculum igitur erat, quod illa formula Verres Rabonium sibi ipsum satisdare iubebat.

Bona tutorum) Fortasse legendum *praesidia tutorum*; cf. c. 58 extr.

SVO CVIQVE FACITO. Lapis aliquis caedendus, et apportandus fuit? Non. Illo non saxum, non materies advecta est: tantum operis in ista locatione fuit, quantum paucae operae fabrorum mercedis tulerunt, et manupretii machinae. Vtrum existimatis minus operis esse, unam columnam efficere ab integro novam nullo lapide redivivo, an quatuor illas reponere? Nemo dubitat, quin multo maius sit novam facere. Ostendam, in aedibus privatis, longa difficilique vectura, columnas singulas ad impluvium, HS quadragenis millibus, non minus magnas, locatas. Sed ineptum est de tam perspicua istius impudentia pluribus verbis disputare, praesertim quum iste aperte tota lege omnium sermonem atque existimationem contempserit, qui etiam ad extremum adscripserit, REDIVIVA SIBI HABETO, quasi quidquam redivivi ex opere illo tolleretur, ac non totum opus ex redivivis constitueretur. At enim si pupillo redimi non licebat, non necesse erat rem ad ipsum pervenire: poterat

Verbum est res diversas simul comprehendens, hoc est, bono latere, integris mensuris, apta arena, olili calce, machinis idoneis, proba materie. — *Manupretii machinae*) Manupretium dicitur, ubi non tam materiae ratio, quam

CVIQVE FACITO) Ita codd. et edd. pr. quod Graev. sic explicat: *bonum facito ex materia quae cuique convenit*, s. ut Asconius, *bono latere, integris mensuris, apta arena, utili calce, machinis idoneis, proba materie.* Hotom. et alii scripserunt: *bono suo quoque.*

Apportandus fuit?) Ita correxi vulgatum: *Lapis aliquis caedendus et apportandus fuit machina sua? Nam illo non saxum* etc. Verba *machina sua* genuina esse non possunt. Nam machinae illius usus erat in deiiciendis et reponendis columnis, non in advehendis novis lapidibus.

Tantum operis) Fortasse legendum: *tantum sumptus.*

Manupretii machinae) Sic Ascon. i. e. quantum manupretii machinae ad columnas deiiciendas et reponendas appositae tulerunt. — Corrigendum *manupretium*, in recto casu, ut sit: *quantum abstulit mercedis manupretium machinae.* HOTOM. Volgo *manus pretium machinae.*

Adscripserit) Sic Priscian. p. 1151 et codd. Pall. unde Lambio. etc. id receperunt pro vulg. *conscripserit.*

Ad ipsum pervenire) Hotomannus

aliquis ad id negotium de populo accedere. Omnes exclusi sunt non minus aperte, quam pupillus. Diem praestituit operi faciundo, Kalendas Decembres. Locat circiter Idus Septembres, angustiis temporis excluduntur omnes. Quid ergo? Rabonius istam diem quomodo assequitur? Nemo Rabonio molestus est, neque Kalendis Decembribus, neque Nonis, neque Idibus. Denique aliquanto in provinciam iste proficiscitur prius, quam opus effectum est.

manus atque artis ducitur. — *De populo accedere*) Hue usque a capite quod est *At enim*, interrogative pronuntiandum est, et contra responsive *omnes reiecti sunt.* Omnia, inquit, facta sunt, ne quis de populo redemptor fieret, qui aut pupillo parcere, aut conscius praedae praetoris esset. Sed quaeritur, qui fieri potuit, ut, quum ex Idibus Septembribus in Kalendas Decembres diem operi faciundo praestituerit, omnes angustiis temporis excluderentur, in tanta facilitate operis faciendi, quantam ipse ostendit, quum diceret, minus esse operis illas quatuor columnas reponere, quam unam ab integro novam efficere. Respondetur Ciceronem impensam operis parvam putare, non moram; sed has, inquit, angustias temporis non timuit Rabonius propter convenientiam Verris. — *Istam diem quo modo assequitur*) Quo modo accurrit (45) ad diem. — *Neque Kalendis Decembribus, neque Nonis, neque Idibus*) Religiose in me * nominat * vultu * divo * novit Idus Kaleo * Cicero Nonas addidit quamais hoc pronuntiatione solvatur. Et cum irrisione hoc dici videri possumus. — Subtilissime locum hunc interpretatus erat Asconius: quemadmodum quidem ex eius verborum vestigiis suspicari possumus. Sed verba prope omnia in iis quidem libris quos vidimus, interciderunt. Hanc tamen illorum fuisse sententiam suspicamur: Religiosis diebus vini cuiquam fieri non licebat. Idcirco Kalendas et Idus nominavit, quum diceret quia prooomen *ipsum* ad Rabonium referebat, pauca quaedam deesse putabat, in quibus Rabonius nominatus esset. Sed *ipsum* Cicero ad Verrem retulit, ad quem lucrum ex ista locatione perveniebat.

Istam diem quomodo assequitur? i. e. quomodo potuit exigua hac die praefinita opus illud efficere; s. quomodo potuit ante Kalendas decembres id efficere, cuius temporis angustiis ceteri ab hoc negotio absterrebantur.

Neque Idibus) Bene monuit Ernestius Kalendas, Nonas, Idus hic ideo nominari, quia omnia in quibus dies praestituti sint, quibus aliquid detur, aut accipiatur, facta sint ad rationem pecuniae collocandae sub usuris, aut omnino credendae et reddendae. Itaque ut, si Kalendis non solveretur creditum, prorogabatur solutio ad Nonas, sin et in iis non fieret ad Idus, quae erat ultima dies; sic quum dies operi faciundo Rabonio praestituta esset Kalendae Decembres, tamen neque hoc die, neque Nonis, neque Idibus hoc opus a Rabonio exigebatur.

LVII. Posteaquam reus factus est, primo negabat opus in acceptum referre posse. Quum instaret Rabonius, in me causam conferebat, quod suum codicem obsignassem. Petit a me Rabonius, et amicos allegat; facile impetrat. Iste, quid ageret, nesciebat. Si in acceptum non retulisset, putabat se aliquid defensionis habiturum. Rabonium porro intelligebat rem totam esse patefacturum. Tametsi, quid poterat esse apertius, quam nunc est, ut uno minus teste haberem? Rabonio opus in acceptum retulit quadriennio post, quam diem operi dixerat. Hac conditione si quis de populo redemptor accessisset, nemo non esset usus; nunc quum die ceteros redemptores exclusisset; tum in eius arbitrium ac potestatem ve-

Rabonio molestum neminem fuisse. Nam Idus Iovi, Kalendae Iunoni dicatae sunt. Nonas tamen, qui dies feriatus non erat, etiam nominavit: opinor, per occasionem inductus aliorum similitudine dierum solemnium. Tametsi haec ipsa actionis ratione, ac pronuntiationis, per irrisionem dici satis intelligi posse arbitratur Asconius. Sed de actione iudicare ipsi aut perquam difficulter, aut nullo prorsus modo possumus. Historiam quidem ex Macrobii Saturnalium libro primo repeti potest. HOTOM.

CAP. LVII. *Putabat se aliquid defensionis habiturum*) Vt diceret, adeo nullum redemptorem, ut post diem praestitutum operi non ab eo susceperim opus, nec in acceptum retulerim. — *Vt uno minus teste haberet*) Vt de tot,

Negabat) Nempe Rabonio, qui sibi cautum vellet de pecunia ei tradita, quam Verres ex isto de locatione lucrifecerat, omninoque de opere recte effecto.

In acceptum referre) Hotom. malebat *referri*.

Quod suum codicem) Sic Lambinus emendavit. Vulgo *quod tum codicem*. In cod. Vrsini et ap. Priscian. p. 1152 legitur, *quod eum codicem*. Idque recepit Beckius.

Petit Rabonius) Scil. codicem, s. ut sibi copiam faciam obsignandi codicis.

Se aliquid defensionis) Sic Ascon. et receperunt Manut. Graev. Ern. alii. Vulgo *defensionem*.

Vt uno minus teste haberem) Vulgo: *ut uno minus teste haberet Rabonio? Opus etc.* Primum hic pro *haberet* ex Lambini emendatione dedi *haberem*. Nam non agitur de testibus a Verre, sed contra Verrem, quibus Cicero uti poterat. Deinde *Rabonio* ad sequentem potius periodum trahendum putavi. Nam hic melius intelligitur ex antecedentibus *Rabonium—patefacturum*, quam scribitur.

nire nolebant, qui sibi ereptam praedam arbitraretur. Nam quid argumentamur, quo ista pecunia pervenerit? Fecit ipse indicium. Primum quum vehementius cum eo D. Brutus contenderet, qui de sua pecunia HS DLX millia numeraverat, quod iam iste ferre non poterat: opere addicto, praedibus acceptis, de HS

qui contra se sunt, testibus unum Rabonium detraheret. Quum die ceteros exclusisset, tum in eius arbitrium ac potestatem venire volebat. Praestituendo diem angustissimum operi, duas res assequutus est Verres, inquit, et ceteros exclusit conditione temporis, at ipsum Rabonium in sua potestate habuit; qui videbat quidem sibi praedam eripi a Verre, sed non se commovebat metu temporis praefiniti. — *Qui sibi ereptam praedam arbitraretur*) Rabonius scilicet, qui a Verre sibi arbitraretur lucrum redemptionis ereptum. — *Quod iam iste referre non poterat*) Nimis enim erat invidiosum. —

Ereptam praedam arbitraretur) Locum hunc, in quo omnes haeserunt, duabus voculis interiectis explanavi. Cicero nimirum hoc dicit: *Hac conditione*, (ut opus non Kalendis Decembribus exigeretur, quod erat locatum Idib. Sept. A. V. 676. Sed quadriennio post, quam Verres diem operi dixerat) *si quis de populo redemptor accessisset, nemo non esset usus, nunc, quum* (Verres exigua) *die ceteros redemptores, exclusisset* (ut nemo auderet intra tam breve tempus opus illud efficere) *tum in eius arbitrium ac potestatem* (scil. mense Decembri praeturam adhuc urbanam gerentis) *venire nolebant, qui sibi* (si quis de populo redemptor accessisset, ab eo) *ereptam* praedam arbitraretur; (ideoque illud opus acerbissime exacturus fuisset.) In textu nihil mutavi, nisi quod sensu aperte postulante, ante *non esset usus*, inserui *nemo*; et paulo post particulam *nunc*, quae hic locum habet eodem modo, quo in lib. de Orat. I, 53, in verbis: *tamen — evellisset vis orationis tuae, nunc talis vir amissus est.* Verba *non esset usus*, quae sunt apud Priscian. et in uno cod. Paris. in aliis omissa, adiecerunt Lamb. Graev. Ern. alii. Apud Priscian. sequitur: *Nam si qui accessisset*, perperam repetitum e superioribus. Paulo post *nolebant* est in codd. Franc. I, Pall. et al. *Aldus dedit* nolebat. Ascon. volebat. Totam periodum Hotomannus ita constituendam putabat: *Hac conditione quivis de populo redemptor accessisset; sed quum die ceteros redemptores exclusisset, tum in eius arbitrium ac potestatem nemo venire volebat, qui sibi ereptam praedam arbitraretur.*

Numeraverat) Sic auctore Ern. dedi pro, vulg. *numeravit.*

Quod iam iste ferre non poterat) Sic explicat Ernestius: ferre non poterat altercationem Bruti cum eo vehementius contendentis. Ursinus coni. *facere non poterat*, ut referatur ad sequentia. Sed hac ratione idem hic diceret Cicero, quod paulo post in verbis *Hoc si — potuisset.* Apud Asconium pro *ferre* legitur *referre.*

DLX millibus, remisit D. Bruto HS cx millia. Hoc si aliena res esset, certe facere non potuisset. Deinde nummi numerati sunt Cornificio: quem scribam suum fuisse negare non potest. Postremo ipsius Rabonii tabulae praedam illam istius fuisse clamant. Recita. NOMINA RABONII.

LVIII. Hic etiam priore actione Q. Hortensius pupillum Iunium venisse praetextatum in vestrum conspectum, et stetisse cum patruo testimonium dicente, questus est: et me populariter agere, atque invidiam commovere, quod puerum producerem, clamitavit. Quid erat, Hortensi, tandem in illo puero populare? quid invidiosum? Gracchi, credo, aut Saturnini aut alicuius hominis eiusmodi produxeram filium, ut nomine ipso, et memoria patris, animos imperitae multitudinis concitarem. P. Iunii erat, hominis de plebe romana, filius: quem pater moriens tum tutoribus et propinquis, tum legibus, tum aequitati magistratuum, tum iudiciis vestris commendandum putavit. Hic istius scelerata locatione, nefarioque latrocinio, bonis patriis fortunisque omnibus spoliatus, venit in iudicium; si nihil aliud, saltem, ut eum, cuius opera ipse multos annos est in sordibus, paulo tamen obsoletius vestitum videret. Itaque tibi, Hortensi, non illius aetas, sed causa; non vestitus,

Rabonii tabulae) In quibus scriptum est, ad Verrem pecuniam pervenisse, quam Rabonius tutor pupilli nomine dedit Verri, tanquam si ipse a pupillo acciperet.

CAP. LVIII. *Gracchi credo, aut Saturnini*) Seditiosorum tribunorum plebis.

Si aliena res esset) Si aliena res fuisset non potuisset de illa summa, quae redemptori pupilli Iunii nomine debebatur, aliquid remittere.

Quod puerum) Ern. coni. qui puerum.

In sordibus — vestitum videret) *In sordibus* propter paupertatem quum esset Iunii filius, volebat Verrem, ut reum, sordidatum et paulo obsoletius vestitum videre.

sed fortuna popularis videbatur: neque te tam commovebat, quod ille cum toga praetexta, quam quod sine bulla venerat. Vestitus enim neminem commovebat is, quem illi mos, et ius ingenuitatis dabat. Quod ornamentum pueritiae pater dederat, indicium atque insigne fortunae, hoc ab isto praedone ereptum esse, graviter et acerbe homines ferebant. Neque erant hae lacrymae populares magis, quam nostrae, quam tuae, Q. Hortensi, quam horum, qui sententiam laturi sunt; ideo quod communis est causa, commune periculum; communi praesidio talis improbitas, tanquam aliquod incendium, restinguenda est. Habemus enim liberos parvos. Incertum est, quam longa nostrum cuiusque vita futura sit. Consulere vivi ac prospicere debemus, ut illorum solitudo et pueritia quam firmissimo praesidio munita sit. Quis est enim, qui tueri possit liberum nostrorum pueritiam contra improbitatem magistratuum? Mater, credo. Scilicet magno praesidio fuit Anniae pupillae mater, femina primaria; minus, illa deos hominesque implorante, iste infanti pupillae fortunas patrias ademit. Tutoresne defenderent? perfacile vero apud istiusmodi praetorem, a quo M. Marcelli tutoris, in causa pupilli Iunii, et oratio et voluntas et auctoritas repudiata est.

LIX. Quaerimus etiam, quid iste in ultima Phrygia, quid in extremis Pamphyliae partibus fecerit? qualis in bello praedonum praedo ipse fuerit, qui in foro populi romani pirata nefarius reperiatur? Dubitamus, quid iste in hostium praeda molitus sit, qui manubias

— *Sine bulla*) Simul cum praetexta etiam bulla suspendi in collo infantibus ingenuis solet aurea, libertinis scortea, quasi bullientis aquae, sinus communiens pectusque puerile.

CAP. LIX. *Dubitamus, quid iste in hostium praeda molitus sit*) Scilicet,

sibi tantas ex L. Metelli manubiis fecerit, qui maiore pecunia quatuor columnas dealbandas, quam ille omnes aedificandas locaverit? Exspectamus, quid dicant ex Sicilia testes? Quis unquam templum illud adspexit, quin avaritiae tuae, quin iniuriae, quin audaciae testis esset? Quis a signo Vertumni in circum maximum venit, quin unoquoque gradu de avaritia tua commoneretur? quam tu viam thensarum atque pompae eiusmodi exegisti, ut tu ipse illa ire non audeas. Te putet quisquam, quum ab Italia freto disiunctus esses, sociis temperasse? qui aedem Castoris, testem furtorum tuorum esse volueris, quam populus romanus quotidie, iudices etiam tum, quum de te sententiam ferrent, viderent?

LX. Atque etiam iudicium in praetura publicum exercuit. Non enim praetereundum est ne id quidem. Petita multa est apud istum praetorem a Q. Opimio; qui adductus est in iudicium, verbo, quod, quum

quum piratarum navem cepit, et praedam omnem ad se avertit. — *Ex L. Metelli manubiis*) Ex aede Castoris, quam de manubiis L. Metellus exstruxerat; qui Metellus subactis Dalmatis Dalmaticus appellatus est. Manubiae autem sunt praeda imperatoris, pro portione de hostibus capta. — *A signo Vortumni*) Signum Vortumni in ultimo vico Thurario est, sub basilicae angulo flectentibus se ad postremam dexteram partem. Vortumnus autem Deus invertendarum rerum est, id est mercaturae. Circus autem maximus est idem, in quo nunc Circenses spectantur. — *Quam tu viam thensarum atque pompae eiusmodi exegisti*) Sic exegisti. Exigere viam dicuntur magistratus, quum viciniam cogunt munire, quam diligentissime sumptu facto. Thensae autem sunt sacra vehicula, pompa ordinum et hostiarum. Thensas alii a divinitate dici putant; alii quod ante ipsas lora tenduntur; quae gaudent manu tenere et tangere, qui eas deducunt. Orbita autem duas res significat; nam orbita et rota ipsa intelligitur, et vestigium rotae in molli solo.

Ex L. Metelli manubiis) Ex Castoris aede, monumento ex L. Metelli manubiis facto.

Exspectamus) Sic dedi ex Herelii coniectura pro vulg. *exspectemus*. Nam etiam antea indicativi sunt.

Quin unoquoque gradu) Vulg. *quin is in unoquoque gradu*, codd. Pall. omittunt *in*. Ernestio videbatur *is* abesse posse. Mihi utrumque visum est delendum.

esset tribunus plebis, intercessisset contra legem Corneliam; re, quod in tribunatu dixisset contra alicuius hominis nobilis voluntatem. De quo iudicio si velim dicere omnia, multi appellandi laedendique sint; quod mihi non est necesse. Tantum dicam, paucos homines, ut levissime dicam, arrogantes, hoc adiutore, Q. Opimium per ludum et iocum fortunis omnibus evertisse. Is mihi etiam queritur, quod a nobis, IX solis diebus, prima actio sui iudicii transacta sit: quum apud ipsum tribus horis Q. Opimius, senator populi romani, bona, fortunas, ornamenta omnia amiserit? cuius propter indignitatem iudicii, saepissime est actum in senatu, ut genus hoc totum multarum ac iudiciorum eiusmodi tolleretur. Iam vero in bonis Q. Opimii vendendis, quas iste praedas, quam aperte, quam improbe fecerit, longum est dicere. Hoc dico: nisi vobis id hominum honestissimorum tabulis planum fecero, fingi a me hoc totum temporis causa putatote.

LXI. Iam qui ex calamitate senatoris populi romani, quum praetor iudicio eius praefuisset, spolia domum suam referre, et manubias detrahere conatus est; is ullam ab sese calamitatem poterit deprecari? Nam de subsortitione illa Iuniana iudicum nihil dico. Quid

CAP. LX. *Intercessit contra legem Corneliam*) Vt tribuni plebis aliorum quoque magistratuum potestatem haberent. Persuasisse dicitur hanc legem Opimius. — *Contra alicuius hominis nobilis voluntatem*) Catulum significat, qui tunc princeps fuit Sullanae factionis. — *Paucos homines, ut levissime dicam, arrogantes*) Catulum, Hortensium, Curionemque significat.

CAP. LXI. *Manubias detrahere conatus sit*) Spolia quaesita de vivo hoste nobili per deditionem manubias veteres dicebant; et erat imperatorum haec praeda, et qua, quod vellent, facerent. — *Nam de subsortitione illa Iuniana,*

Intercessisset) Sic restituit Ernestius ex cdd. vett. pro vulg. *intercessit.*

Re) Abest Vict. et Car. Steph. Priscian. legit *re vera.*

Dixisset) Ern. mavult. *dixit*, vel

enim? Contra tabulas, quas tu protulisti, audeam dicere? Difficile est. Non enim me tua solum, et iudicum auctoritas, sed etiam annulus aureus scribae tui deterret. Non dicam id, quod probare difficile est; hoc dicam, quod ostendam, multos ex te viros primarios audisse, quum diceres, ignosci tibi oportere, quod falsum codicem protuleris. Nam, qua invidia C. Iunius conflagrarat, ea, nisi providisses, tibi ipsi tum pereundum fuisse. Hoc modo iste sibi et saluti suae prospicere didicit, referendo in tabulas et privatas et publicas, quod gestum non esset; tollendo, quod esset, et semper aliquid demendo, mutando, interpolando. Eo enim usque progreditur, ut ne defensionem quidem maleficiorum suorum sine aliis maleficiis reperire possit. Eiusdem modi subsortitionem homo amentissimus suorum quoque iudicum

iudices, nihil dico) Sortitns erat iudices praetor Verres in iudicio quo Oppianicus accusatus est a Cluentio. Reiectione utrinque facta, subsortitus est in eorum locum Verres, ut mos est, alios. Damnatu Oppianico, quum in invidia res esset, quod pecunia reus videretur oppressus, et princeps illorum iudicum damnatus esset Iunius, quod diceretur alios supposuisse, qui reum damnarent, non eos, quos praetor fueral subsortitus, etiam Verres ipse, ut haec invidia adversus Iunium vera videretur, sustulit, quos in suis tabulis habebat, et alios in litura scripsit, et obsignavit annulo non solum suo, sed etiam scribae sui, quem furtorum participem suorum et divitem fecerat, et annulo donaverat aureo. — *Eiusdem modi subsortitionem homo amentissimus suorum quoque iudicum putavit*) Obscurus locus, sed ut opinor hic sensus est: potavit, inquit, Verres eodem loco posse supponi iudices, qui se

dixerat. Idem mox *sint* reposuit pro vulg. *sunt.*

Non enim — deterret) Haec omnia ironice dicuntur; ad h. l. videndus est Asconius, et Verr. III, 80.

Mutando interpolando) Inter haec verba, vulgo inferciuntur ista: *curando ne litura appareret* (vel ut Ern. scripsit *appareret*) at illa non habet Nonius Marcellus v. *in templo* I, 145, 15: « *Interpolare*, inquit, est immittere et interponere, et novam formam e vetere fingere. Cic. *aliquid demendo, mutando, interpolando.* Et est tractum ab arte fullonia qui poliendo diligenter vetera quaeque quasi in novam speciem mutant. » Itaque iam Lambinus ista *curando ne litura app.* delenda censuit; Beckius uncis inclusit.

Subsortitionem) Sic Ascon. Vulgo *sortitionem.*

fore putavit per sodalem suum, Q. Curtium, iudicem quaestionis: cui nisi ego vi populi et hominum clamore atque convicio restitissem, ex hac decuria nostra, cuius mihi copiam quam largissime factam oportebat, erepta esset facultas eorum, quos, ubi iste annuerat, in suum consilium sine causa subsortiebatur.

Multa desunt.

corrupti absolverent, quemadmodum suppositi erant, qui Oppianicum condemnarant. Nam Q. Curtius sodalis eius, iudex quaestionis, subsortiebatur in locum reiectorum, quos iste redemerat improbos iudices, quibus ad venales sententias proferendas ultimo die subiectis uteretur. Facile autem pro veris iudicibus improbi supponi poterant, volente hoc iudice quaestionis, et illis patientibus qui veri iudices erant; quia nisi citati non considebant, at grave onus erat, et incommodum iudicare. — *Q. Curtium iudicem quaestionis*) Apparet hunc post hoc factum a Cicerone esse reiectum convicio populi, qui in corona aderat. — *Ex hac decuria nostra*) Decuriam modo ordinem, ac per hoc ex vobis, quia honestiorum decuriae, inferiorum centuriae dicebantur. — *Cuius mihi potestatem largissimam fieri oportebat*) Quae scilicet non fieret, si pro vobis alii subiicerentur. — *Quos ista annuerat*) Quasi diceret, suggereret. — *Sine causa*) Non reiectis scilicet iis, in quorum locum alios subsortiebatur; hoc est unoquoque vestrum nobis manente, neque reiecto.

Iudicem quaestionis) Asconius erravit, hunc Curtium opinatus inter iudices causae Verrinae fuisse, sed a Cicerone reiectum esse. Immo potius ille tum aliam quandam e quaestionibus perpetuis exercebat; et suum habebat consilium, in quod, ut Verri sodali consuleret, multos ex ea decuria, e quibus Cicero quam plurimos volebat iudices causae Verrinae habere, praeter necessitatem subsortiebatur, ideoque eorum facultatem Ciceroni eripere volebat, h. e. impedire ne in consilio Glabrionis qui iudicio de Verre praeerat, adesse possent.

Cuius mihi copiam quam largissime factam oportebat) Ascon. *cuius mihi potestatem largissimam fieri.* Cod. Vrsini *cuius mihi potestatem quam longissimam fieri.*

Quos ubi ista annuerat) Vulgo *quos iste annuerat.* Hotom. *cum iis quos iste annuerat.* Lamb. *cum eos quibus iste annuerat.* Ego rescripsi *quos, ubi iste,* scil. Verres *annuerat.*

ACTIONIS SECVNDAE

IN C. VERREM

LIBER SECVNDVS

DE

IVRISDICTIONE SICILIENSI

ACTIONIS SECVNDAE

IN C. VERREM

LIBER SECVNDVS

SVMMARIVM

In libro secundo Cicero accedit ad causam Siciliae pertractandam, et primum quidem hoc libro Verris iurisdictionem Siciliensem accusat. Antequam vero de Siciliae incommodis ex ea acceptis dicat, pauca de eius provinciae dignitate, vetustate, utilitate praemittit. Ostendit eam primam Romanorum provinciam, rei frumentariae subsidium, et classibus romanis receptaculum fuisse; sine qua non tam facile opes Carthaginis concidissent. Itaque ei a Scipione Africano et Marcello magnum esse honorem habitum; eamque non solum rei publicae cellam penariam, sed etiam Italico bello pro aerario fuisse; cap. 2. Praeterea multos in ea cives romanos cum quaestu negotiari; incolas ipsos patientia, virtute et frugalitate excellere; romanos homines diligere; ac saepe magistratuum romanorum iniurias patienter tulisse; donec tandem Verris luxuria, crudelitate, avaritia, superbia coacti sint, eius iniurias persequi, et Ciceronem, ut eum accusaret, rogaverint; c. 3. Magnis tamen opibus, magna cupiditate reum absentem contra inquisitionem accusatoris esse defensum, multisque modis Siculos, ne decernerent legationes, qui contra istum dicerent, tentatos esse; c. 4. Vnam tantum esse civitatem Mamertinam (Messanam urbem), quae publice legatos, qui Verrem laudarent, miserit; ceteris omnibus, ipsis quoque Syracusanis, eum summo odio esse; c. 5. Neque vero Siculos solos eum persequi, plurimos etiam cives romanos, gravibus ab eo iniuriis affectos, existimare, iuris, libertatis, rerum fortunarumque suarum salutem in eius damnatione consistere; c. 6. Iam demonstratur Verrem iam, antequam in Siciliam proficisceretur, cogitasse, quibusnam rebus in ea pro-

vincia maximam uno anno pecuniam facere posset, ac non modo genera furandi, sed etiam nomina quaesivisse. Cuius avaritiae primum exemplum affertur hoc, quod Dioni Halesino, cuius filio a propinquo homine hereditas venerat, HS undecies eripuerit; c. 7. Alterum quod Dioni cuidam siculo, cui permagna venisset hereditas, ea lege ut statuas in foro poneret, nisi posuisset, Veneri Erycinae esse multatum, illam hereditatem eripuit, etsi statuae positae essent ex testamento; c. 8. Tertium quod Sosippum et Epicratem fratres Agyrinenses fere tota heditate paterna Veneris nomine spoliavit; c. 9. Inanem vero esse rei defensionem, si quis dicat ad Verrem pecuniam istam non pervenisse; aut a comitibus suis et asseclis acceptam esse; c. 10. Rectores enim provinciarum non solum se ipsos abstinentes, sed etiam comites suos praestare debere; c. 11.

Sequitur locus de ipsa iurisdictione siciliensi. In quo primum omnino docetur, quantam sibi potestatem Verres arrogaverit, et quomodo omnia Siculorum iura perverterit; c. 12, 13. Deinde sequuntur exempla, 1°. Heraclio Hieronis filio syracusano magna hereditas venerat testamento propinqui sui Heraclii. In eo testamento erat scriptum, ut statuas in palaestra deberet ponere. Affines quidam eius monent Verrem, fieri posse, ut palaestritae negent statuas ex testamento esse positas, et petant hereditatem, quod cam palaestrae commissam esse dicant. Quod consilium Verres quum approbasset, non solum ex lege Rupilia iudices Heraclio non dedit, sed etiam per summam iniuriam hereditatem illam palaestritis adiudicavit, magna praedae parte ipse potitus, immo etiam Heraclium patriis bonis omnibus exturbavit; c. 14—20. 2°. Sequuntur iniuriae in senatum populumque syracusanum, quum non solum urbem, aedes sacras, curiamque spoliaverit, sed etiam Marcellea (diem festum Marcello sacrum) sustulerit, et ut Verrea agerent eos coëgerit; c. 21. 3. Epicratem Bidinum cui hereditas a propinqua venerat, non modo ea privavit, sed etiam quum ille Rhegium profectus esset, quasi fraudandi causa discessisset, omnibus bonis exuit, eaque Bidinis tradidit, magnam eorum partem ipse lucratus; c. 22—25. L. Metellus, qui Verri successit, simulac Syracusas venit, statim quidem iniurias Heraclio et Epicrati factas rescidit, eisque bona, quae restitui possent, restituit. Attamen quum Cicero in Siciliam venisset, repente mutatus est, dixitque se omnia Verris causa velle, nec Epicrati et Heraclio permisit ut Romam ad testimonium dicendum abirent; c. 26. 4°. Heracliu

Centuripino, a quo HS C millia per calumniam malitiamque petita erant, CCC millia extorqueoda curavit; c. 27.

Iam accedit orator ad rerum capitalium quaestiones. Ex his 1. narratur causa Supatri Halicyensis, quem hominem, innocentem, a C. Sacerdote absolutum, indicta causa condemnavit; c. 28–33. 2°. Deinde Sthenii Thermitani, cui iratus, quod sibi quum monumenta urbis patriae tollere vellet, fortiter restitisset, hospitium renuntiavit, eumque, quum pericula confictorum criminum vitaturus Romam profugisset, absentem sine crimine, sine teste, sine accusatore damnavit; c. 34–47.

Sequuntur Verris crimina ex aliis generibus. A multis ob ius dicundum pecunias accepit; c. 48. Honores vendidit; ut senatorium nomen et locum; c. 49, 50, magistratus curationes et sacerdotia c. 51–56. Magnam pecuniam a civitatibus statuarum nomine exegit; c. 57. Quamquam, si quis statuarum honore ducatur, tamen nec domum avertere pecuniam liceat; c. 58, et ipsarum statuarum modus quidam habendus sit, c. 59, denique ab invitis exigi statuas non oporteat. Verrem autem statuas ab invitis aratoribus, c. 60–62, et ab invitis civitatibus Siciliae exegisse, c. 63–69, demonstratur. Neque vero Verrem hac ratione se defendere posse ostenditur, quod apud publicanos gratiosus fuerit. Eius enim rei falsam speciem Carpinatii fraude effectam esse; c. 70. Vltimo loco docetur Verrem portorium haud solvisse pro multis rebus, quas Syracusis exportaverit, et quamquam literas societatis publicanorum, quibus hae fraudes continerentur, amovendas curaverit, Cicero tamen eius criminis ex duobus libellis inventis et publicanorum tabulis reum convincit; c. 71 – 79.

I.

Multa mihi necessario, iudices, praetermittenda sunt, ut possim aliquando de iis rebus, quae meae fidei commissae sunt, dicere. Recepi enim causam Siciliae; ea me ad hoc negotium provincia attraxit.

Asconii Pediani Scholia vetera.

Cap. I. *Ea me ad hoc negotium provincia attraxit*) Hoc vero plus est, quam

Vt possim) Edd. vett. addunt *aliquo modo*, quod recte deleverunt Man. Ald. Nepos. Hotom. Graev. alii. Contra Victor. expunxit *aliquando*; et servavit *aliquo modo*.

Ego tamen hoc onere suscepto, et recepta causa Siciliensi, amplexus animo sum aliquanto amplius. Suscepi enim causam totius ordinis; suscepi causam populi romani; quod putabam tum denique recte iudicari posse, si non modo reus improbus adduceretur; sed etiam diligens et firmus accusator ad iudicium veniret. Quo mihi maturius ad Siciliae causam veniendum est, relictis ceteris eius furtis ac flagitiis, ut et viribus quam integerrimis agere, et ad dicendum temporis satis habere possim. Atque adeo, antequam de incommodis Siciliae dico, pauca mihi videntur esse de provinciae dignitate, vetustate, utilitate dicenda. Nam quum omnium sociorum provinciarumque rationem diligenter habere debetis, tum praecipue Siciliae, iudices, plurimis iustissimisque de causis: primum, quod omnium nationum exterarum princeps Sicilia se ad amicitiam fidemque populi romani applicuit; prima omnium, id quod ornamentum imperii est, provincia est appellata; prima docuit maiores nostros, quam praeclarum esset, exteris gentibus imperare; sola fuit ea fide benivolentiaque erga populum romanum, ut civitates eius insulae, quae semel in amicitiam nostram venissent, nunquam postea deficerent: pleraeque autem, et maxime illustres in amicitia perpetuo manerent.

II. Itaque maioribus nostris in Africam ex hac pro-

quod in Divinatione dixit; *suscepi causam rei publicae.* — *Princeps Sicilia*) Tum quum Messana civitas seditione divisa auxilium contra Hieronem per legatos a populo romano petiit; quod initium fuit discordiae. — *Nunquam postea deficerent*) Apparet quia post societatem et amicitiam firmatam nihil tale commiserant. — *In amicitia perpetua manerent*) Quae nunquam defecerant.

Quod putabam) Hotom. et Ern. coni. *quam putabam*; vulgatam recte defendit Beckius.

vincia gradus imperii factus est. Neque enim tam facile opes Carthaginis tantae concidissent, nisi illud et rei frumentariae subsidium, et receptaculum classibus nostris pateret. Quare P. Africanus, Carthagine deleta, Siculorum urbes signis monumentisque pulcherrimis exornavit: ut, quos victoria populi romani maxime laetari arbitrabatur, apud eos monumenta victoriae plurima collocaret. Denique ille ipse M. Marcellus, cuius in Sicilia virtutem hostes, misericordiam victi, fidemque ceteri Siculi perspexerunt, non solum sociis in eo bello consuluit, verum etiam superatis hostibus temperavit. Vrbem pulcherrimam, Syracusas, quae quum manu munitissima esset, tum loci natura terra ac mari claudebatur, quum vi consilioque cepisset, non solum incolumem passus est esse, sed ita reliquit ornatam, ut esset idem monumentum victoriae, mansuetudinis, continentiae; quum homines viderent, et quid expugnasset, et quibus pepercisset, et quae reliquisset. Tantum ille honorem Siciliae habendum putavit, ut ne hostium quidem urbem ex sociorum insula tollendam arbitraretur. Itaque ad omnes res Sicilia provincia semper usi sumus, ut, quidquid ex sese posset efferre, id non apud eos nasci, sed domi nostrae conditum putaremus. Quando illa frumentum, quod deberet, non ad diem dedit? Quando id, quod opus esse putaret, non ultro pollicita est? Quando id, quod imperaretur, recusavit? Itaque ille M. Cato Sapiens, cellam penariam rei publicae nostrae, nutricem plebis ro-

CAP. II. *Signis monumentisque pulcherrimis*) Praeparatio ad librum de Signis. — *Denique ille ipse M. Marcellus*) Hic imperator quum esset, vicit cepitque Syracusas, et victis pepercit. — *Quae quum manu munitissima esset*) Ne quis diceret: non fuit, quod timeret. — *Quum vi consilioque cepisset*) Ne quis diceret non potuit hostium urbem Syracusas expugnare. — *Quando*

manae, Siciliam nominavit. Nos vero experti sumus, Italico maximo difficillimoque bello, Siciliam nobis non pro penaria cella, sed pro aerario illo maiorum vetere ac referto fuisse. Nam sine ullo sumptu nostro, coriis, tunicis, frumentoque suppeditato, maximos exercitus nostros vestivit, aluit, armavit.

III. Quid? illa, quae forsitan ne sentimus quidem, iudices, quanta sunt? quod multis locupletioribus civibus utimur, quod habent propinquam, fidelem, fructuosamque provinciam, quo facile excurrant, ubi libenter negotium gerant: quos illa partim mercibus suppeditandis cum quaestu compendioque dimittit, partim retinet, ut arare, ut pascere, ut negotiari libeat, ut denique sedes ac domicilium collocare. Quod commodum non mediocre populi romani est; tantum civium numerum, tam prope ab domo, tam bonis fructuosisque rebus detineri. Et quoniam quasi quaedam praedia populi romani sunt vectigalia nostra atque provinciae: quemadmodum propinquis vos vestris praediis maxime delectamini, sic populo romano iucunda suburbanitas est huiusce provinciae. Iam vero hominum ipsorum, iudices, ea patientia, virtus, frugalitasque est, ut proxime ad nostram disciplinam illam veterem, non ad hanc, quae nunc increbruit,

illa frumentum) Omne genus pensitationis in hoc capite positum est, canonis, oblationis, indictionis. — *Italico bello*) Sociali.

CAP. III. *Quae forsitan ne sentimus quidem iudices*) Quaedam commoda, ita ut non sentiantur, alia consequuntur, ut sanitatem integritas virium. Sentimus autem, si illa subtrahantur. Cuiusmodi est, quod nunc dicit: negotiatores romani lucra faciunt et locupletes sunt de opportunitate Siciliae. — *Illam veterem*) Bonam consuetudinem. — *Non hanc quae nunc increbruit*)

Venissent) Faërn. coni. *rediissent.*

Quod multis locupletioribus) Lam. e Nannii coniectura dedit *multo*. Sed *multis* verum est, quia deinde sequitur *tantum civium Romanorum.*

Tantum civium) Vulgo additur *Romanorum*, quod melius abest cod. Lambini et Metell.

videantur accedere. Nihil ceterorum simile Graecorum; nulla desidia, nulla luxuria; contra summus labor in publicis privatisque rebus, summa parsimonia, summa diligentia. Sic porro nostros homines diligunt, ut his solis neque publicanus, neque negotiator odio sit. Magistratuum autem nostrorum iniurias ita multorum tulerunt, ut nunquam ante hoc tempus ad aram legum praesidiumque vestrum publico consilio confugerint: tametsi et illum annum pertulerant, qui sic eos afflixerat, ut salvi esse non possent, nisi C. Marcellus quasi aliquo fato venisset, ut bis ex eadem familia salus Siciliae constitueretur, et postea M. Antonii infinitum illud imperium senserant. Sic a maioribus suis acceperant, tanta populi romani in Siculos esse beneficia, ut etiam iniurias nostrorum hominum perferendas putarent. In neminem civitates ante hunc testimonium publice dixerunt. Hunc denique ipsum pertulissent, si humano modo, si usitato more, si

Malam. — *Neque publicanus, neque negotiator*) Odiosissima haec sunt romanorum hominum per provincias nomina. — *Aram legum*) Tribunal praetoris ac subsellia iudicum. — *Publico consilio*) Quia non potest negari fuisse illos accusatores M. Lepidi, addidit *publico consilio*; quasi illud non omnes tunc fecerint. — *Tametsi illum annum*) M. Lepidi praetoris, qui accusari coeperat a duobus Metellis, Celere et Nepote, qui quum legibus interrogassent, victi eius apud populum gratia destiterunt. — *Vt bis ex ea familia*) Semel, quod proavus conservavit victor Syracusas; iterum hic pronepos magistratu suo Siculos recreavit. — *Et postea M. Antonii*) Hic est M. Antonius, qui gratia Cottae consulis et Cethegi factione in senatu curationem nactus totius orae maritimae, Siciliam et provincias omnes depopulatus est: et ad postremum inferens Cretensibus bellum morbo interiit. — *In neminem ante hunc*) Recte, quia Lepidus legibus tantum interrogatus, nec-

Iniurias ita multorum tulerunt) Forsitan legendum *iniurias multorum ita tulerunt.*

Illum annum) A. V. C. 673, quo M. Lepidus praetor Siciliae fuerat.

C. Marcellus) Successor Lepidi in Sicilia.

M. Antonii) M. F. Triumviri pater imperium in omnes oras maritimas nactus A. V. C. 679, Siciliam depopulatus est.

denique uno aliquo in genere peccasset. Sed quum perferre non possent luxuriem, crudelitatem, avaritiam, superbiam; quum omnia sua commoda, iura, beneficia senatus populique romani, unius scelere ac libidine perdidissent: hoc statuerunt, aut istius iniurias per vos ulcisci et persequi; aut, si vobis indigni essent visi, quibus opem auxiliumque ferretis, urbes ac sedes suas relinquere; quandoquidem agros iam ante istius iniuriis exagitati reliquissent. Hoc consilio a L. Metello legationes universae petiverunt, ut quamprimum isti succederet; hoc animo toties apud patronos de suis miseriis deplorarunt; hoc commoti dolore, postulata consulibus, quae non postulata, sed in istum crimina viderentur esse, ediderunt. Fecerunt etiam, ut me, cuius fidem continentiamque cognoverant, prope de vitae meae statu, dolore ac lacrymis suis deducerent, ut ego istum accusarem; a quo mea longissime ratio voluntasque abhorrebat (quamquam in hac causa multo plures partes mihi defensionis, quam accusationis, suscepisse videor): postremo homines ex tota provincia nobilissimi primique, publice privatimque venerunt: gravissima atque honestissima quaeque civitas vehementissime suas iniurias persequuta est.

dum etiam coeperat accusari. — *Postulat a consulibus, quae non postulata*) Ne ipse in Verrem concitasse Siculos videatur, voluntatem eorum contra Verrem quum multis aliis rebus esse monstratam dicit, tum etiam, quia petitiones ad senatum per legatos Siculi tales miserunt, ut non tam beneficia postulare, quam huius iniurias describere viderentur, ut puta, quum petunt, ne rei fiant absentes, quia Sthenius apud Verrem hoc passus fuerat; et alia huiusmodi. — *A quo mea longissime ratio*) *A quo*, a qua re, a quo negotio, accusationis scilicet. — *Publice privateque*) Aut legati, aut suas iniurias persequentes.

Sic a maioribus suis) Hotomanno placebat: *Scilicet sic*, Ursino *sed sic*.

Honestissima) Lamb. e cod. *amplissima*.

IV. At quemadmodum, iudices, venerunt? Videor enim mihi liberius apud vos iam pro Siculis loqui debere, quam forsitan ipsi velint: saluti enim eorum potius consulam, quam voluntati. Ecquem existimatis unquam, ulla in provincia, reum absentem contra inquisitionem accusatoris, tantis opibus, tanta cupiditate, esse defensum? Quaestores utriusque provinciae, qui isto praetore fuerant, cum fascibus mihi praesto fuerunt. Hi porro, qui successerunt, vehementer istius cupidi, liberaliter ex istius cibariis tractati, non minus acres contra me fuerunt. Videte, quid potuerit, qui quatuor, in una provincia, quaestores studiosissimos defensores propugnatoresque habuerit, praetorem vero cohortemque totam sic studiosam, ut facile appareret, non tam illis Siciliam, quam inanem offenderant, quam Verrem ipsum, qui plenus decesserat, provinciam fuisse. Minari Siculis, si decressent legationes, quae contra istum dicerent; minari, si qui essent profecti; aliis, si laudarent, benignissime promittere; gravissimos privatarum rerum testes, quibus nos praesentibus denuntiavimus, eos vi custodiisque retinere.

CAP. IV. *At quemadmodum indices venerint*) Obscuros sensus, et per hyperbaton cum parenthesi, figura el novo modo, in sentenlia magis, quam in verbis explicatur. Esl enim sensus hie: al quemadmodum iudices venerinl, id est quam animosc contra Verrem, ex hoc cognoscile. El docet, quoties delerriti, et per quos, et qoibus miois accusandi tamen Verris non deposuerinl voluntatem. — *Saluti enim potius illorum consulam, quam voluntati*) Hoc iden, quia contra Melellum dicturos est, Sieiliae nunc praelorem. — *Quaestores utriusque provinciae*) Duos quaeslores habet Sicilia; Lilybaetanum, et Syracusanum. Nam praelori una provincia esl; quaestoribos doae. — *Praesto fuerunt*) Vt impedirent scilicet meam inquisilionem. Seqoilur enim, *non minus acres contra me fuerunt.* Apparel, quom triennio Siciliam tenuerit unus Verres, quaestores tamen per annos singulos huic esse mulalos. — *Praetorem vero*) Ipsum Metellum successorem Verris.

Ecquem) Graev. e cod. Nann. el Franc. 1, *et quem.*

V. Quae quum omnia facta sint, tamen unam solam scitote esse civitatem Mamertinam, quae publice legatos, qui istum laudarent, miserit. Eius autem legationis principem, civitatis nobilissimum, C. Heium, iuratum dicere audistis, isti navem onerariam maximam Messanae esse, publice coactis operis, aedificatam. Idemque Mamertinorum legatus, istius laudator, non solum istum bona sua, verum etiam sacra, deosque penates, a maioribus traditos, ex aedibus suis eripuisse dixit. Praeclara laudatio, quum duabus in rebus legatorum una opera consumitur, in laudando atque repetendo. Atque ea ipsa civitas qua ratione illi amica sit, dicetur certo loco. Reperietis enim, quae causae benivolentiae sint Mamertinis erga istum, eas ipsas causas satis iustas esse damnationis. Alia civitas nulla, iudices, publico consilio laudat. Vis illa summi imperii tantum potuit apud perpaucos homines, non civitates, ut aut levissimi quidam ex miserrimis desertissimisque oppidis invenirentur, qui iniussu populi ac senatus proficiscerentur: aut ii, qui contra istum legati decreti erant, et testimonium publicum ac mandata acceperant, vi ac metu retinerentur. Quod ego in paucis tamen usuvenisse non mo-

Cap. V. *Vna opera*) Quod Romam venerunt aut quod processerunt in conspectum iudicum. — *Atque repetendo*) Accusando repetundarum. — *Qua ratione isti amica sit*) Ob remissa munera, societatemque praedarum. — *Alia civitas nulla iudices publico consilio*) Scilicet laudant aliae, sed non publico consilio, per privatos testes; supra enim dixit, *praeter duas civitates*, Mamertinam scilicet et Syracusanam. — *Vis illa summi imperii*) Metelli praetoris in Sicilia, et Romae fratris eius Metelli, alterius praetoris urbani, alterius consulis cum Hortensio. — *Iniussu populi ac senatus*) Magnifice quum de miserrimis et tenuissimis Siciliae loquatur, tamen dicit et populum et senatum. — *Testimonium publicum, mandataque acceperant*) A suis civitatibus scilicet. — *Vsuvenisse*) Contigisse.

Civitatis nobilissimum) *Civitatis* glossema visum est Gulielmio. Lambinus edidit, *nobilissimum civem.*

A maioribus traditos) Ernestio glossam sapere videbatur; quia omnes penates tales sunt.

Legati decreti erant) Perperam codd. vett. nonnulli *legatos decreverant.*

lesle fero, quo reliquae tot et tantae, et tam graves civitates, tota denique Sicilia plus auctoritatis apud vos haberet, quum videretis, nulla vi retineri, nullo periculo prohiberi potuisse, quo minus experirentur, ecquid apud vos querimoniae valerent antiquissimorum fidelissimorumque sociorum. Nam, quod fortasse nonnemo vestrum audierit, istum a Syracusanis publice laudari, id tametsi priore actione ex Heraclii Syracusani testimonio, cuiusmodi esset, cognovistis: tamen vobis alio loco, ut se tota res habeat, quod ad eam civitatem attinet, demonstrabitur. Intelligetis enim, nullis hominibus quemquam tanto odio, quanto istum Syracusanis, et esse, et fuisse.

VI. At enim istum soli Siculi persequuntur; cives romani, qui in Sicilia negotiantur, defendunt, diligunt, salvum esse cupiunt. Primum, si ita esset, tamen vos in hac quaestione de pecuniis repetundis, quae sociorum causa constituta est, lege iudicioque sociali, sociorum querimonias audire oporteret. Sed intelligere potuistis priore actione, cives romanos ex Sicilia plurimos, honestissimos, maximis de rebus, et quas ipsi accepissent iniurias, et quas scirent aliis esse factas, pro testimonio dicere. Ego hoc, quod intelligo, iudices, sic confirmo: videor mihi gratum fecisse Siculis, quod eorum iniurias meo labore, inimicitiis, periculo sim persequutus: non minus hoc gratum me nostris civibus intelligo fecisse; qui hoc existimant, iuris, libertatis, rerum fortunarumque suarum salutem in istius damnatione consistere. Quapropter de istius praetura Siciliensi non recuso, quin ita me audiatis, ut, si cuiquam generi hominum, sive Siculorum, sive nostrorum civium; si cuiquam or-

Inimicitiis) recte reposuit Ern. et MS. antiquo, pro vulg. *inimicitias*.

dini, sive aratorum, sive pecuariorum, sive mercatorum probatus sit; si non horum omnium communis hostis, praedoque fuerit; si cuiquam denique ulla in re unquam temperaverit: ut vos quoque ei temperetis.

VII. Qui simul atque ei sorte provincia Sicilia obvenit, statim Romae, et ad urbem, antequam proficisceretur, quaerere ipse secum, et agitare cum suis coepit, quibusnam rebus in ea provincia maximam uno anno pecuniam facere posset. Nolebat in agendo discere, tametsi non provinciae rudis erat et tiro, sed in Siciliam paratus ad praedam meditatusque venire cupiebat. O praeclare coniectum a vulgo in illam provinciam omen communis famae atque sermonis! quum ex nomine istius, quid in provincia facturus esset, perridicule homines augurabantur. Etenim quis dubitare posset, quum istius in quaestura fugam et furtum recognosceret; quum in legatione oppidorum fanorumque spoliationes cogitaret; quum

Cap. VII. *Statim Romae et ad urbem*) Praeturae ius; omnis enim magistratus, qui intramuranus non est, nec urbanus, etiamsi administrator eius Romae est, ad urbem dicitur. Sallustius: *ii utrique ad urbem imperatores erant.* — *Maximam uno anno pecuniam facere posset*) Cur uno anno? an quia non divinabat (1), Arrium sibi non successurum, per triennium se fuisse in Sicilia futurum. — *Quum videret in foro latrocinia*) Furta in aede Ca-

Sive mercatorum) Garaton. excidisse putat *sive negotiatorum.*

Ut vos quoque ei temperetis) *Ei vos quoque temperetis* maluit Hotom.

Et agitare) Sic codd. Pal. 2. Nann. Metell. olim edebatur *cogitare.*

Non provinciae rudis erat) Voc. *provinciae* interpolatum esse arbitror. Nolebat, inquit Cicero, *in agendo discere*, quomodo pecuniam faceret, *tametsi non rudis erat ac tiro* in arte pecuniae faciundae.

In Siciliam) Gulielmius quia Metelli codex habebat *sed Siciliae*, id ortum putabat e glossa *scilicet Siciliae*, malebatque legere: *et tiro, paratus ad praedam m. v. cupiebat.*

Perridicule) Sic cod. Metell. et Nann. melius vulgato *perridiculi.*

Homines augurabantur) Nempe sic dicere solebant: *Verres everres provinciam*, quod vidit Hotom. Ceterum homines illi Romae erant, quare paulo post *omen* dicitur *urbanum.*

videret in foro latrocinia praeturae: qualis iste in quarto actu improbitatis futurus esset. Atque ut intelligatis, eum Romae quaesisse non modo genera furandi, sed etiam nomina, certissimum accipite argumentum, quo facilius de singulari eius impudentia existimare possitis. Quo die Siciliam tetigit (videte, satisne paratus ex illo omine urbano, ad everrendam provinciam venerit), statim Messana literas Halesam mittit; quas ego istum in Italia scripsisse arbitror. Nam simul atque e navi egressus est, dedit operam, ut Halesinus ad se Dio continuo veniret: se de hereditate velle cognoscere, quae eius filio a propinquo homine, Apollodoro Laphirone, venisset. Ea erat, iudices, pergrandis pecunia. Hic est Dio, iudices, nunc beneficio Q. Metelli civis romanus factus; de quo, multis viris primariis testibus, multorumque tabulis vobis priore actione satisfactum est, HS decies numeratum esse, ut eam causam, in qua ne tenuissima quidem dubitatio posset esse, isto cognoscente obtineret; praeterea greges nobilissimarum equarum abactos; argenti vestisque stragulae domi quod fuerit, esse direptum; ita HS undecies Q. Dionem,

atoris, ac pro Rostris. — *In quarto actu improbitatis*) Fabula sive tragica, sive comica, quinque actus habere debet. Ergo el mire translulil: el significatur, administraliones in re publica Verris infames tanquam scenicos aclus spectaculo omnibus fuisse. — *Non solum genera furandi, sed etiam nomina*) Species negoliorum hominumque significat. — *Quas ego istum in Italia*

Sed etiam — argumentum) Gulielmus fide codd. Metelli corrigendum arbilrabatur: *sed etiam nomina certissima, accipite.*

Tetigit) *Attigit* Grut.

Ad everrendam) Ol. *evertendam*; sed *everrendam* recte Hotomanno, Rivio, Lambino placuil. Alluditur enim ad illum omen a Verris nomine caplum.

HS decies) Vulg. *undecies*. At legendum esse *decies* monuerunt Ferratius el Garatonus, ut summa conveniat cum ea quae lib. I, cap. 10, erepta Dion. dicitur.

Direptum) Graev. e codd. Metell. *dereptum*.

quod hereditas ei obvenisset, nullam aliam ob causam, perdidisse. Quid? Haec hereditas quo praetore Dionis filio venerat? Eodem, quo Anniae, P. Annii senatoris filiae; eodem, quo M. Liguri senatori, C. Sacerdote praetore. Quid? tum nemo molestus Dioni fuerat? non plus quam Liguri, Sacerdote praetore. Quid? ad Verrem quis detulit? nemo; nisi forte existimatis ei quadruplatores ad fretum praesto fuisse.

VIII. Ad urbem quum esset, audivit, Dioni cuidam siculo permagnam venisse hereditatem; heredem statuas iussum esse in foro ponere; nisi posuisset, Veneri Erycinae esse multatum. Tametsi positae essent ex testamento: putabat tamen, quoniam Veneris nomen esset, causam calumniae se reperturum. Itaque apponit, qui petat Veneri Erycinae illam hereditatem. Non enim quaestor petiit (ut est consuetudo) is, qui Erycinum montem obtinebat; petit Naevius Turpio quidam, istius excursor et emissarius, homo omnium ex illo conventu quadruplatorum teterrimus,

scripsisse arbitror) Quasi in navi scribere non potuerit; sed hoc eo dicit, quia constat Verrem negotia Siciliae extra Siciliam didicisse.

CAP. VIII. *Sacerdote praetore*) Hic et temporis admonitio est, et argumentum calumniae Verris, de qua Sacerdos nihil contra heredem statuerit. — *Quadruplatores*) Accusatores, sive delatores criminum publicorum, sub poena quadrupli; sive, quod ipsi ex damnatorum bonis, quos accusaverant, quartam partem consequebantur. — *Ad urbem*) Iam supra diximus, quid intersit ad urbem, et in urbe. — *Is qui Erycinum montem obtinebat*) Lilybaetanus scilicet quaestor, non Syracusanus. Nam hos binos quaestores annuos habuit Sicilia. — *Excursor et emissarius*) Sic vocantur conciliatores

Calumniae) Sic cod. Mctcll. quod Nann. Lamb. Graev. et Garat. praetulerunt. Vulgo *pecuniae*. Ernestius vulgatam sic defendit, ut quaerat; quid calumniae cum Venere? At quaestus et lucri spem esse a Venere posse. Verum hoc nihil valet ad repudiandam lectionem *calumniae*; nam, hac reperta, via parabatur ad pecuniam a Dione extorquendam.

Petiit) Recte ab Ernestio substitutum vulgato *petit*, quia sequitur *obtinebat*.

Teterrimus) Sic Pal. 2. Vulgo *deterrimus*.

C. Sacerdote praetore condemnatus iniuriarum: Etenim erat eiusmodi causa, ut ipse praetor, quum quaereret calumniatorem, paulo tamen consideratiorem reperire non posset. Iste Dionem Veneri absolvit; sibi condemnat. Maluit videlicet homines peccare, quam deos; se potius a Dione quod non licebat, quam Venerem, quod non debebatur, auferre. Quid ego hic nunc Sex. Pompeii Chlori testimonium recitem, qui causam egit Dionis? qui omnibus rebus interfuit; hominis honestissimi, tametsi civis romanus virtutis causa iamdiu est, tamen omnium Siculorum primi ac nobilissimi. Quid ipsius Q. Caecilii Dionis, hominis probatissimi ac pudentissimi? Quid L. Vetecilii Liguris, T. Manlii, L. Caleni? quorum omnium testimoniis de hac Dionis pecunia confirmatum est. Dixit hoc idem M. Lucullus, se de his Dionis incommodis pro hospitio, quod sibi cum eo esset, iam ante cognosse. Quid? Lucullus, qui tum in Macedonia fuit, melius haec cognovit, quam tu, Hortensi, qui Romae fuisti? ad quem Dio confugit? qui de

furtorum, quae a magistratibus committuntur, atque internuntii. — *Paulo tamen consideratiorem*) Si consideratiorem, inquit, aliquatenus calumniatorem quaereret, reperire non posset. — *Veneri absolvit, sibi condemnat*) Sensus hic est: ita Verrem in causa bona tamen praedatum, quasi minus damni esset, si Dionem Erycinae Veneri addicere voluisset. — *Quod non debebatur*) Mire perseveravit in causa, ut ostenderet calumniam fuisse praetoria. — *Quid ipsius Q. Caecilii Dionis*) *Ipsius* honorifice positum est,

Iste Dionem Veneri absolvit) Vulgata lectio *hunc hominem Veneri absolvit* defendi non potest, quia referri videtur ad Naevium Turpionem, qui proxima erat homo teterrimus appellatus. Rescripsi igitur *iste Dionem V. a.*; nam ut ambiguitas vitaretur, necessario hic omen eius, unde petebatur hereditas, enuntiandum erat. *Iste* autem saepius, praesertim initio periodi, ponitur, quum significatur Verres. Sic c. 15.

Sibi condemnat) H. e. indicat quidem illam hereditatem a Dione Veneri Erycinae non deberi, hactenusque eum absolvit, sibi tamen sumit illam pecuniam, quod erat idem ac si Dionem sibi condemnasset.

Vetecilii) *Veellii* cod. Metell.

Dionis iniuriis gravissime per literas cum Verre questus es? Nova tibi haec sunt, et inopinata? nunc primum hoc aures tuae crimen accipiunt? nihil ex Dione, nihil ex socru tua, femina primaria, Servilia, vetere Dionis hospita, audisti? Nonne multa mei testes, quae tu scis, nesciunt? nonne te mihi testem in hoc crimine eripuit non istius innocentia, sed legis exceptio? Recita testimonia. TESTIMONIA M. LVCVLLI, CHLORI, DIONIS. Satisne vobis magnam pecuniam Venerius homo, qui e Chelidonis sinu in provinciam profectus esset, Veneris nomine quaesisse videtur?

IX. Accipite aliam in minore pecunia non minus impudentem calumniam. Sosippus et Epicrates fratres sunt Agyrinenses. Horum pater abhinc duo et xx annos est mortuus. In cuius testamento, quodam loco, si commissum quid esset, multa erat Veneri. Ipso xx anno, quum tot interea praetores, tot quaestores, tot calumniatores in provincia fuissent, hereditas ab his Veneris nomine petita est. Causam Verres cognoscit. Pecuniam per Volcatium accipit, fere ad

quasi alicuius magni hominis. — *Qui tunc in Macedonia fuit*) Pro consule scilicet; nam, ut opinur, Curioni successerat. — *Sed legis exceptio*) Qua non licet, ut testimonium defensori denuntiet accusator. — *E Chelidonis sinu*) Alludit ad nomen, quod hirundo, quam Chelidona Graeci vocant, veri, id est tempori veris, sit amica (2).

CAP. IX. *Si commissum quid esset*) Commissa dicuntur, quae contra testatoris voluntatem facta, aut non facta ab herede mulcta aliqua poenaque plectuntur. — *Ipso vigesimo anno*) Praescripto tempore. — *Cognoscit*) Iam

Nihil ex Dione, nihil ex socru) Ita codd. Nann. et Metell. Vulgo *de Dione — de socru*, quod *de* etsi alibi sic a Cicerone usurpatur, hic tamen ambiguitatem parit, quum proxime alio sensu dictum sit *de Dionis iniuriis*.

Recita testimonia) Verba haec ex ed. Aldi nepotis revocavi.

Epicrates) *Philocrates*) cod. Met. Et sic edidit Lambin.

Ipso XX anno — petita est) Lamb. defendit lectionem, quam plerique libri scripti et edd. obtrudunt *ipsos XX annos — petita non est*.

Causam) Abest cod. Metell.

HS cccc millia, ab duobus fratribus. Multorum testimonia audistis antea. Vicerunt Agyrinenses fratres ita, ut egentes inanesque discederent.

X. At enim ad Verrem pecunia ista non pervenit. Quae est ista defensio? utrum asseveratur in hoc, an tentatur? Mihi enim nova res est. Verres calumniatores apponebat; Verres adesse iubebat; Verres cognoscebat; Verres iudicabat: pecuniae maximae dabantur; qui dabant, causas obtinebant; tu mihi ita defendas? «Non est ista Verri numerata pecunia.» Adiuvo te; mei quoque testes idem dicunt; Volcatio dicunt sese dedisse. Quae vis erat in Volcatio tanta, ut HS cccc millia a duobus hominibus auferret? et quis Volcatio, si sua sponte venisset, unam libellam dedisset? Veniat nunc; experiatur; tecto recipiet nemo. At ego amplius dico, HS quadringenties accepisse te arguo contra leges; nego tibi ipsi ullum nummum esse numeratum; sed quum ob tua decreta,

primum hoc peccatum. — *Ab duobus fratribus*) Pares voluntate videri vult, in pari damno; et non unam partem hereditatis ablatam, sed duas partes.

CAP. X. *At enim ad Verrem pecunia ista non pervenit*) Coniecturae status. — *Tentatur*) Mire contra Hortensium, qui improbos saepe defendit. — *Verres calumniatores apponebat*) A summo ad imum, hoc est, a primis ad postrema. — *Volcatio se dicunt dedisse*) Tollit coniecturam, causam quaerit. — *Et quis Volcatio* (3)) A persona. — *Veniat nunc*) A consequentibus. —

Vtrum asseveratur) Recte Holomannus intpr.: utrum serio id dicunt, ut defendant, an experiuntur, si possint ea ratione defendere, coll. Brut. c. 85, ubi eodem sensu ponitur *asseverare*. cf. c. 11 init.

Verres iudicabat) Apud Aquilam Romanum de figg. orat. c. 34, p. 177, ed. Ruhnk. sic legitur: *Verres calumniatorem apponebat, Verres de causa cognoscebat, Verres pronuntiabat*. In quo etsi Aquila saepe memoriter, nec semper ad verbum Ciceronis dicta citat, tamen *pronuntiabat* potius a Cicerone scriptum videtur, quam *iudicabat*. Probarem etiam *calumniatorem*, pro vulg. *calumniatores*, nisi fieri posset ut in verbis *Verres* — *obtinebant* Cicero generatim loqueretur de omnibus eiusmodi causis, non de sola fratrum Agyrinensium, et de pecunia ab his Volcatio data.

Ob tua decreta, ob imperata, ob iudicata) *Ob tua decreta, ob edicta, ob imperia, ob iudicata* cod. Metell. et Lambin.

ob imperata, ob iudicata, pecuniae dabantur, non erat quaerendum, in cuius manu numerarentur, sed cuius iniuria cogerentur. Comites illi tui delecti, manus erant tuae: praefecti, scribae, medici, accensi, haruspices, praecones erant manus tuae. Vt quisque te maxime necessitudine aliqua attingebat, ita maxime manus tua putabatur: cohors tota illa tua, quae plus mali Siciliae dedit, quam si centum cohortes fugitivorum fuissent, tua manus sine controversia fuit. Quidquid ab horum quopiam captum est, id non modo tibi datum, sed in tua manu numeratum iudicari necesse est. Nam, si hanc defensionem probabitis: Non accepit ipse; licet omnia de pecuniis repetundis iudicia tollatis. Nemo unquam reus tam nocens adducetur, qui ista defensione non possit uti. Etenim quum Verres utatur, quis erit unquam posthac reus tam perditus, qui non ad Q. Mucii innocentiam referatur, si cum isto conferatur?

Sed quum ob tua decreta) Collectio. — *Centum cohortes fugitivorum fuissent*) Propter Athenionem dicit, qui dux fugitivorum per Siciliam fuit. — *Sed in tua manu numeratum*) Diffiuitive. — *Nam si hanc defensionem probabitis*) Admittetis, accipietis. — *Non accepit ipse*) Sed non accepit ipse. — *Licet tollatis*) Pro eo quod est iam tollite. — *Ad Q. Mucii innocentiam referatur*) Q. Mucius Asiam singulariter rexerat, adeo ut dies festus a Graecis in honorem eius constitueretur, qui diceretur Mucia.

In cuius manu) Vulgo *cuius manu.*

Comites — putabatur) Aquila Romanus l. l. c. 18; p. 160, ed. Ruhuk. h. l. minus plene sic laudat: *Comites illi delecti manus erant tuae. Vt quisquis te familiaritate attigerat, ita maxime manus tua putabatur.* Vulgo autem hic editur, *ut quisque te maxime cognatione, affinitate, necessitudine aliqua attingebat.* Recte autem codd. Rom. Brix. Ernest. omittunt *cognatione, affinitate.*

Cohortes fugitivorum) Post *fugitivorum* Ernestio videbatur aliquid deesse, ut *in Sicilia*, vel *sibi*, aut simile quid.

In tua manu) Sic Ascon. et recepit Manul. probante Garatono. Vulgo *tua manu*, quod non est aptum.

Reus tam nocens) Sic codd. Vrsin. Hotom. Franc. 1, edd. Lamb. Graev. alii *tam reus, tam nocens.* Sed rei possunt esse vel *innocentes*, vel *nocentes.* Sic Orat. pro Mur. cap. 23, *si haberes nocentem reum.*

XI. Neque nunc tam mihi isti Verrem defendere videntur, quam in Verre suae defensionis tentare rationem. Qua de re, iudices, vobis magnopere providendum est. Pertinet hoc ad summam rei publicae, et ad existimationem ordinis nostri, salutemque sociorum. Si enim innocentes existimari volumus, non solum nos abstinentes, sed etiam nostros comites praestare debemus. Primum omnium opera danda est, ut eos nobiscum ducamus, qui nostrae famae capitique consulant; deinde, si in hominibus eligendis nos spes amicitiae fefellerit, ut vindicemus, missos faciamus, semper ita vivamus, ut rationem reddendam nobis arbitremur. Africani est hoc, hominis liberalissimi (verumtamen ea liberalitas est probanda, quae sine periculo existimationis est, ut in illo fuit): quum ab eo quidam vetus assectator non impetraret, uti se praefectum in Africam duceret, et id ferret moleste: « Noli, inquit, mirari, si tu a me hoc non impetras. Ego iam pridem ab eo, cui meam existimationem caram fore arbitror, peto, ut mecum praefectus proficiscatur, et adhuc impetrare non possum ». Etenim re vera multo magis est petendum ab hominibus, si salvi et honesti esse volumus, ut eant nobiscum in provinciam, quam hoc illis in beneficii

CAP. XI. *Missos faciamus*) Dimittamus a nobis de provincia, eorumquo opera nou utamur. —*Rationem reddendam nobis arbitremur*) Accusari nos

Quam in Verre) addidi *suae* quod hic abesse non potest vi oppositionis.

Nostri) Vulgo abest; at legitur in cod. Metell. idquo cum Lambino servandum putavi.

Vetus assectator) Vulgo additur *ex numero amicorum*. Ea recte Ernestius glossatori triboit. Nam *assectatores* de quibus cf. Q. Cic. de petitione consulatus c. 9 erant clientes virorum clarorum, plerumque homines tenoes. Eos non poterat Scipio in amicorum numero habere. Neque vero is assectator, de quo hic agitur, eiusmodi erat, ut eum Scipio in amicum habere vellet: quod satis patet e sequentibus. Itaque illa verba expunxi.

loco deferendum. Sed tu, quum et tuos amicos in provinciam, quasi in praedam, invitabas, et cum illis ac per eos praedabare, et eos in concione annulis aureis donabas, non statuebas, tibi non solum de te, sed etiam de illorum factis rationem esse reddendam?

XII. Quum hos sibi quaestus constituisset, magnos atque uberes, ex his causis, quas ipse instituerat in consilio, hoc est cum sua cohorte, cognoscere: tum infinitum genus invenerat ad innumerabilem pecuniam corripiendam. Dubium nemini est, quin omnes omnium pecuniae positae sint in eorum potestate, qui iudicia dant, et eorum, qui iudicant: quin nemo nostrum possit aedes suas, nemo fundum, nemo bona patria obtinere, si, quum haec a quopiam petita sint, praetor improbus, cui nemo intercedere possit, det, quem velit iudicem, iudex nequam et levis, quod praetor iusserit, iudicet. Quid vero? si illud quoque accedet, ut in ea verba praetor iudicium det, ut vel L. Octavius Balbus, homo et iuris et officii peritissi-

posse credamus. — *Et eos in concione*) Quaedam praemia et honori et lucro sunt, ut hastae, vexilla, phalerae, coronae civicae. At annuli aurei ingenuitatis signa et liberationis a cura invictae publicarum (4).

Cap. XII. *Qui iudicia dant*) Praetorum. — *Si quum haec a quopiam vestrum petita sunt, praetor improbus cui nemo intercedere possit*) In provincia scilicet; nam Romae appellari tribuni possunt contra omnem potestatem. — *Vt praetor in ea verba iudicium det*) In verba litis iure composita. — *L. Octavius*) Verbi gratia hunc dicit; qui nunc in numero iudicum sedet, subtiliterque laudat. — *L. Octavius Balbus iudex homo*) Haec sunt exempla verbo-

Constituisset) Lambinus malebat *instituisset* — *constituerat*.

A quopiam) Vulgo *a quopiam vestrum*. Sed sensus est: si cuispiam aedes nostras, aut fundum petere voluerit; ineptum fuisset hoc iudicibus tribuere. Ac si sic interpretari malis: quum haec a quopiam, qui illa possideat, petita sint, aptius tamen esset *nostrum* addi quam *vestrum*.

Intercedere) Sic Asc. codd. Nann. Iannoct. In aliis nonnullis est *interdicere*.

Si illud quoque accedet) Vulgo *Si vero illud quoque accedet*. At Vra. et Iannoct. habent *quid vero? si illud q. a.* quod Beckio auctore reposui.

L. Octavius Balbus) Vulgo additur *iudex*, quod de Lambini sententia

mus, non possit aliter iudicare: L. OCTAVIVS IVDEX ESTO: SI PARET, FVNDVM CAPENATEM, QVO DE AGITVR, EX IVRE QVIRITIVM P. SERVILII ESSE, NEQVE IS FVNDVS Q. CATVLO RESTITVETVR: non necesse erit L. Octavio iudici cogere P. Servilium Q. Catulo fundum restituere, aut condemnare eum, quem non oporteat? Eiusdemmodi totum ius praetorium, eiusdemmodi omnis res iudicaria fuit in Sicilia per triennium, Verre praetore. Decreta eiusmodi: SI NON ACCIPIT, QVOD TE DEBERE DICIS, ACCVSES: SI PETIT, DVCAS. C. Fuficium duci iussit petitorem, L. Suetium, L. Racilium. Iudi-

rum, quae in verba iudicium dare fingit praetorem improbum. — *Iuris et officii*) Ius ad doctrinam pertinet, officium ad virtutem. — *L. Octavius iudex esto*) Iudicio suo fungatur Balbus in Servilium, si constat, fundum Capenatem P. Servilii esse, neque is fundus restituetur Catulo, cuius non est. Memento autem indices praesentes esse, quorum nominibus utitur ad exemplum. — *Neque is fundus restituatur*) Hoc significat, coge, ut restituat. — *Aut condemnare eum quem non oporteat*) Quia de fundo exemplum dederat, subiecit clausulam etiam de condemnatione. — *Si non accipit, quod te debere dicis, accuses; si petitur, ducas*) Sensus hic est: si non acceperit creditor, quod se debere debitor dicit, accusetur, si petitur, condemnetur; idem scilicet. — *Duci iussit*) Vel reum fieri, at accusari eum, qui petitor esset, vel delevi. Hoc enim per se intelligitur, et est ex annotatione natum.

Non possit aliter iudicare) Post verbum *iudicare* edd. pr. habent *sic eiusmodi*. Aldus correxit *sit eiusmodi*. Lambin. et Gruter. *si iudicium sit eiusmodi*. Ernestio totum videbatur delendum, cui obsequutus sum.

SI PARET) Edd. Ascens. *si patet*, Edd. Vict. al. *si apparet*. Nannius ita corrigendum putabat: *Si apparet fundum Capenatem, quo de agitur, P. Servilii esse, neque is fundus restituetur, tum ad pretium fundi damnas esto.*

RESTITVETVR) Hotomannus subintelligi monet: *tum damnetur Servilius*. Idem postea pro *aut condemnare* legendum censet *et condemnare*, hoc sensu satis commodo: necesse erit L. Octavio iudici P. Servilium cogere Q. Catulo fundum restituere, eumque (*Servilium*) quem non oporteat condemnare. Manutius vulgatum *aut condemnare* defendit, et sic explicat: Aut condemnare Q. Catulum, quem condemnare non oporteat ex formula praetoris, id iubentis, non ut Catulus, verum ut Servilius condemnaretur. Alterutrum igitur necessario peccabit Octavius iudex: aut Servilium iniuste condemnabit quia formulam sequetur, aut Catulum contra quam oporteat, quia discedet a formula.

SI PETIT) Sic Hotom. P. Manut. et Car. Steph. recte. Restituit Ern. Cod. Franc. ed. Ven. al. *si patitur*. Plerique ut Victor. Lamb. Graev. *si*

cia huiusmodi: QVI CIVES ROMANI ERANT, SI SICVLI ESSENT, QVVM SICVLOS EORVM LEGIBVS DARI OPORTERET. QVI SICVLI SI CIVES ROMANI ESSENT. Verum ut totum genus complectamini iudiciorum, prius iura Siculorum, deinde istius instituta cognoscite.

XIII. Siculi hoc iure sunt, ut, quod civis cum civi agat, domi certet suis legibus: quod Siculus cum Siculo non eiusdem civitatis, ut de eo praetor iudices ex P. Rupilii decreto, quod is de decem legatorum sententia statuit, quam legem illi Rupiliam vocant, sortiatur. Quod privatus a populo petit, aut populus a privato, senatus ex aliqua civitate, qui iudicet, datur; quum alternae civitates reiectae sunt.

etiam damnari. Melius autem, *duci iussit*, damnavit. — *Qui cives romani erant*) Subauditur *dabantur*. — *Si Siculi essent*) Subauditur *rei*. — *Tum si eorum legibus dari oporteret*) Subauditur *iudicia*. — *Qui Siculi*) Subauditur *erant iudices*. — *Si cives romani essent*) Subauditur *rei*. Sic Terent. (*Phorm. II*, 1, 37): *Hic in noxa est, hic ad defendendam causam adest; quum ille est, hic praesto est; tradunt operas mutuas.* — *Verum ut totum genus complectamini iudiciorum, prius iura Siculorum*) Explanationem subiicit obscurae rei.

Cap. XIII. *Domi certet*) Apud cives suos. — *Suis legibus*) Siculis. Etenim apud veteres non romano tantum iure, sed et suae cuiusque civitatis legibus agebatur. — *Ex P. Rupilii decreto*) Hic est P. Rupilius, qui quondam ex publicano factus consul, postea de decem legatorum sententia leges Siculis conscripsit. — *Quum alternae civitates reiectae sunt*) Apparet ex hoc dictu, primum petitoris ac rei civitatem ad iudicandum proponi, postremo iri ad

petitur. Naunius coniecit Asconium legisse *si petitor*. Sensus est: *si non accipit* creditor, *quod te debere dicis*, *accuses* eum; *si petit* plusquam te debere dicis, *ducas* eum in vincula.

Si Siculi essent) Plene sic fuerat scribendum: *Dabantur iudices, qui cives Romani erant, si Siculi rei essent.* Paulo post vulgo legebatur: *tum si eorum legibus dare oporteret.* Quod cum Beckio recepi, partim Lambini coniectura partim Donati auctoritate nititur. Donatus enim habet *tum Siculos*. Lambinus plura etiam addenda putabat sic: *Dabantur iudices, qui cives Romani erant, si Siculi rei essent, quum Siculos eorum legibus dari oporteret; dabantur Siculi, si cives Romani rei essent, quum cives Romanos dari oporteret.*

Complectamini) *Amplectamini* Victor. Man. Lamb.

Civis cum civi) Sic Priscian. pag. 766 ed. Putsch. Vulgo *cive*.

Quod civis romanus a siculo petit, siculus iudex datur; quod siculus a civi romano, civis romanus datur; ceterarum rerum selecti iudices civium romanorum ex conventu proponi solent. Inter aratores et decumanos, lege frumentaria, quam Hieronicam appellant, iudicia fiunt. Haec omnia isto praetore non modo perturbata, sed plane et Siculis et civibus romanis erepta sunt. Primum quod civis cum cive ageret, aut eum iudicem, quem commodum erat, prae-

alism quamlibet, utriusque facta reiectione. — *Quod civis romanus*) Deest *in eo*, ut sit, in eo quod civis romanus. — *Ex civium romanorum conventu*) Ex iis civitatibus, ad quas cives romani convenire soleut, agendae suae aut publicae rei causa. — *Aut eum iudicem, quem commodum erat*) Veluste posuit pro eo, quem volebat. Sic Terentius (*Adelph. I*, 2, 38): *Amat? da-*

Proponi solent) Ita I. Fr. Gronovius haec verba transponi iussit Obss. III, 22, quae vulgo hoc ordine legebantur: *ceterarum rerum selecti iudices ex conventu civium Romanorum proponi solent*, quem ordinem servant praeter codd. MSS. et edd. ante Gronovium, Graev. et Beck. Nos cum Iac. Gron. Verb. Oliv. Lall. Ern. Io. Frid. Gronovii sententiam sequimur, quam ille his argumentis confirmat. « Notavit ad h. l. Asconius Pedianus: *Ex iis civitatibus ad quas cives Romani convenire solent agendae suae et publicae rei causa.* Quae annotatio Asconii satis demonstrat in verbis Ciceronis aliquid esse supputati. Nam *conventus civium Romanorum* hic locum non habet. Scripserat autem Cicero *ceterarum rerum selecti iudices civium Romanorum ex conventu proponi solent*; — *ceterarum rerum* nempe quibus disceptant non Siculi, sed inter se cives Romani et peregrini; *selecti iudices*, (nam et hoc nomine Romae vocabantur Ovid. amor. I, 10, 38) *civium Romanorum* h. e. ex civibus romanis, *ex conventu* unoquoque scilicet, id est, ex illo oppido et regione, ubi conventus agitur et iurisdictio celebratur, qui negotientur illic et domicilium habeant. *Proponi solent*, nempe in albo ut Romae quoque fiebat. » Sic et postea *selecti ex conventu*. Ceterum vulgata lectio non est eiusmodi ut prorsus ferri nequeat. Nam etiam Verrin. V, 36, dicitur *conventus civium Romanorum* Syracusis esse. At tamen Gronoviana ratio h. l. praeferenda est, quia antecedentibus aptius ad structuram et ordinem verborum respondet.

Primum) Vulgo additur *suae leges*, in quo iam Nonnius corruptelam latere opinabatur. Vetus eius codex habebat *sciae leges*, unde ille coniiciebat legendum *Primum non secundum leges*. Ego vero illa verba *suae leges* ex nota marginali in textum immigrasse puto. Nam omnia quae sequuntur ad iura s. leges Siculorum violata pertinent. Et illud *primum* refertur ad verba *selecti ex conventu*, in quibus est membrum secundum.

conem, haruspicem, medicum suum dabat: aut, si legibus erat iudicium constitutum, et ad civem suum iudicem venerat, libere civi iudicare non licebat. Edictum enim hominis cognoscite, quo edicto omnia iudicia redegerat in suam potestatem: SI QVI PERPERAM IVDICASSET, SE COGNITVRVM; QVVM COGNOSSET, ANIMADVERSVRVM. Idque quum faciebat, nemo dubitabat, quin, quum iudex alium de suo iudicio putaret iudicaturum, seque in eo capitis periculum aditurum, voluntatem spectaret eius, quem statim de capite suo putaret iudicaturum. Selecti e conventu, aut propositi ex negotiatoribus iudices nulli. Haec copia, quam dico, iudicum, cohors, non Q. Scaevolae, qui tamen de cohorte sua dare non solebat, sed C. Verris. Cuiusmodi cohortem putatis hoc principe fuisse? Sicuti videtis edictum: SI QVID PERPERAM IVDICARIT SENATVS. Eum quoque ostendam, si quando sit datus, coactu istius, quod non senserit, iudicasse. Ex lege Rupilia sortitio nulla, nisi quum nihil intererat istius. Lege Hieronica iudicia plurimarum controversiarum, sublata uno nomine omnia; de conventu ac negotia-

bitur o me orgentum dum erit commodum. Nam meretrici dare quando est commodum? sed est positum pro eo, quam diu libuerit. — *Si quid perperom iudicavit senatus*) Multi subdistinguunt, et separatim addunt: *senatus?* ut quasi per interrogationem ostendat, ne senatui quidem cuiusquam civitatis in potestate fuisse iudicare, quod senserat. — *Nisi quum nihil intererat istius*) Nisi, quum quid iussu ederet, non habebat.

IVDICASSET) Graev. coni. *iudicassit.*

Putaret — spectaret — putaret) Ita recte edidit Ern. pro vulg. *putet — spectet — putet*, e Lambini correctione.

Propositi ex negotiatoribus iudices nulli) *Negotiatores* quod vidit Ern. distinguuntur *a conventu*, in quo possunt esse cives ex ordine plebeio, negotiatores autem sunt equites romani.

Sicuti videtis edictum) Iure hic locus Hotomanno suspectus erat. Ernestius coni. *sicuti videtis ipsum*, vel *sicuti videtis*, ut referatur ad antecedentia. Ego vero suspicor ita scriptum fuisse: *De Siculis videtis edictum*: Nempe Cicero hic transit ad id genus actionum in quo senatus ex aliqua civitate dabatur, qui iudicaret.

Vno nomine) Scil. edicto illo de iudicio in octuplum, de quo agitur

toribus nulli iudices. Quantam potestatem habuerit, videtis; quas res gesserit, cognoscite.

XIV. Heraclius est Hieronis filius, syracusanus, homo in primis domi suae nobilis, et ante hunc praetorem vel pecuniosissimus Syracusanorum: nunc nulla alia calamitate, nisi istius avaritia atque iniuria, pauperrimus. Huic hereditas facile ad HS tricies venit testamento propinqui sui, Heraclii; plena domus caelati argenti optimi, multaeque stragulae vestis, pretiosissimorumque mancipiorum; quibus in rebus istius cupiditates et insanias quis ignorat? Erat in sermone res, magnam Heraclio pecuniam venisse; non solum Heraclium divitem, sed etiam ornatum supellectili, argento, veste, mancipiis futurum. Audit haec etiam Verres; et primo, illo suo leviore artificio Heraclium aggredi conatur, ut eum roget inspicienda, quae non reddat. Deinde a quibusdam Syracusanis admonetur; hi autem quidam erant affines istius, quorum iste uxores nunquam alienas existimavit, Cleomenes et Aeschrio; qui quantum apud istum, et quam turpi de causa potuerint, ex reliquis criminibus intelligetis. Hi, ut dico, hominem admonent: rem esse praeclaram, domum refertam omnibus rebus; ipsum autem Heraclium, hominem esse maiorem natu, non promptissimum; et eum, praeter Marcellos, patronum, quem iure suo adire aut appellare posset,

Cap. XIV. *Stragulae vestis*) Stragula vestis est picta. — *Insanias*) Nove, sed proprie.

(*Reliqua Asconii desiderantur in orationes Verrinas*)

lib. III, c. 10 seqq. Ceterum *lege Hieronica iudicia* sunt ea, quae lege Hieronica fieri debebant, s. lege Hieronica constituta; quod vocabulum *constituta* hic intelligi potest, adscribi, quod Lambino placebat, non est necesse.

Insanias) Ita legunt Ascon. Edd. vett. Vict. Lambin. *insaniam*.

habere neminem; esse in eo testamento, quo ille heres esset, scriptum, ut statuas in palaestra deberet ponere. «Faciemus, ut palaestritae negent ex testamento esse positas: petant hereditatem, quod eam palaestrae commissam esse dicant». Placuit ratio Verri. Nam hoc animo providebat, quum tanta hereditas in controversiam venisset, iudicioque peteretur, fieri non posse, ut sine praeda ipse discederet. Approbat consilium; auctor est, ut quam primum agere incipiant, hominemque id aetatis, minime litigiosum, quam tumultuosissime adoriantur.

XV. Scribitur Heraclio dica. Primo mirantur omnes improbitatem calumniae; deinde qui istum nossent, partim suspicabantur, partim plane videbant, adiectum esse oculum hereditati. Interea dies advenit, quo die sese ex instituto, ac lege Rupilia, dicas sortiturum Syracusis iste edixerat; paratus ad hanc dicam sortiendam venerat. Tum eum docet Heraclius, non posse eo die sortiri, quod lex Rupilia vetaret diebus XXX sortiri dicam, quibus scripta esset. Dies XXX nondum fuerant. Sperabat Heraclius, si illum diem effugisset, ante alteram sortitionem Q. Arrium, quem provincia tum maxime exspectabat, successurum. Iste omnibus dicis diem distulit: et eam

Heraclio dica) *Dicam* Latine dixit, Syracusanorum linguam exprimens. Est autem δίκη actio, sive lis; ut apud Terentium in Phormione: *Et unquam iniuriarum audivisti mi scriptam dicam?* et alibi. *Et tibi scribam dicam*. Sed postea *dicas* καταχρηστικῶς pro δικαστάς usurpat. Hotom.

Adiectum esse oculum hereditati) Galli eleganter, *Qu'il avoit assiégé de l'oeil*, quam obsederat oculo, hoc est, notarat et designarat oculis ad praedam. Id.

Dicas sortiturum) Id est iudices qui de controversiis institutis cognoscerent: et similiter δικὰς dixit pro δικαστὰς, ut apud Latinos *iudicium* pro iudices. *Sortiri dicam*, est, sortiri iudices qui de dica, id est, actione instituta disceptarent. Id.

Diem distulit) Faërn. coni. *diffidit* probante F. Ursino. Diem *diffindere* est iudicium in alium diem differre.

diem constituit, ut hanc Heraclii dicam sortiri post dies XXX ex lege posset. Posteaquam ea dies venit, iste incipit simulare, se velle sortiri. Heraclius cum advocatis adit, et postulat, ut sibi cum palaestritis, hoc est, cum populo syracusano, aequo iure disceptare liceat. Adversarii postulant, ut in eam rem iudices dentur ex his civitatibus, quae in id forum convenirent. Electi, qui Verri viderentur. Heraclius contra, ut iudices e lege Rupilia dentur: ut ab institutis superiorum, ab auctoritate senatus, ab iure omnium Siculorum ne recedatur.

XVI. Quid ego istius in iure dicundo libidinem demonstrem? quis vestrum non ex urbana iurisdictione cognovit? quis unquam, isto praetore, Chelidone invita, lege agere potuit? non istum, ut non neminem, provincia corrupit: idem fuit, qui Romae. Quum id, quod omnes intelligebant, diceret Heraclius, ius esse certum Siculis, inter se quo iure certarent; legem esse Rupiliam, quam P. Rupilius consul de decem legatorum sententia dedisset; hoc omnes semper in Sicilia consules praetoresque servasse: negavit se lege Rupilia sortiturum. Quinque iudices, quos commodum ipsi fuit, dedit. Quid hoc homine facias? quod supplicium dignum libidini eius invenias? Praescriptum tibi quum esset, homo teterrime et impudentissime, quemadmodum inter Siculos iudices dares, quum imperatoris populi romani auctoritas, legatorum decem, summorum hominum,

Convenirent) Codd. Metell. *convenerant*, quod Garatonus ideo probat, quia conventus tum Syracusis iam agebatur.

Negavit se lege Rupilia sortiturum) Ita cod. Metell. probantibus Lamb. et Grut. Vulgo *se iudices e lege Rupilia sortiturum.*

Hoc homine) Recepit Graevius e codd. Nann. et Mel. Vulgo *huic homini.*

Teterrime) Ita Graevius e cod.

dignitas, senatusconsultum intercederet, cuius consulto P. Rupilius de X legatorum sententia leges in Sicilia constituerat; quum omnes ante te praetorem, Rupilias leges et in ceteris rebus et in iudiciis maxime observassent: tu ausus es pro nihilo prae tua praeda tot res sanctissimas ducere? tibi nulla lex fuit? nulla religio? nullus existimationis pudor? nullus iudicii metus? nullius apud te gravis auctoritas? nullum exemplum, quod sequi velles? Verum, ut institui dicere, quinque iudicibus nulla lege, nullo instituto, nulla religione, nulla sorte, ex libidine istius datis, non qui causam cognoscerent, sed qui, quod imperatum esset, iudicarent, eo die nihil actum est; adesse iubentur postridie.

XVII. Heraclius interea, quum omnes insidias a praetore fortunis suis fieri videret, capit consilium de amicorum et propinquorum sententia, non adesse ad iudicium. Itaque Syracusis illa nocte profugit. Iste postero die mane, quum multo maturius, quam unquam antea, surrexisset, iudices citari iubet. Vbi comperit Heraclium non adesse, cogere incipit eos, ut absentem Heraclium condemnarent. Illi eum commonefaciunt, ut si ei videatur, utatur instituto suo, nec cogat ante horam decimam de absente secundum praesentem iudicare. Impetrant. Interea sane perturbatus et ipse et eius amici et consiliarii moleste ferre coeperunt, Heraclium profugisse. Putabant absentis damnationem, praesertim tantae pecuniae, multo invidiosiorem fore, quam si praesens damnatus esset.

Pal. 2 quod hic aptius est quam vulg. *deterrime*. Cod. Metell. hoc omittit.

Praetorem) Vulgo *praetores* quod servarunt Graev. Oliv. *praetorem* e cod. Metell. receperunt Grut. Lall. Ern. *etc.*

Et in ceteris rebus et in iudiciis maxime observassent) Cod. Metell. *et in ceteris rebus servassent.*

Nulla religione) *Nulla reiectione* Grut. e codd. Metell. et Fabr.

Eo accedebat, quod iudices e lege Rupilia dati non erant; multo etiam rem turpiorem et iniquiorem visum iri intelligebant. Itaque hoc dum corrigere vult, apertior eius cupiditas improbitasque facta est. Nam illis quinque iudicibus uti sese negat. Iubet, id quod initio e lege Rupilia fieri oportuerat, citari Heraclium, et eos, qui dicam scripserant: ait, se iudices e lege velle sortiri. Quod ab eo pridie, quum multis lacrymis eum oraret atque obsecraret Heraclius, impetrare non potuerat, id ei postera die venit in mentem, e lege Rupilia sortiri dicas oportere. Educit ex urna tres; iis ut absentem Heraclium condemnent, imperat. Itaque condemnant.

XVIII. Quae, malum, ista fuit amentia? ecquando te rationem factorum tuorum redditurum putasti? ecquando his de rebus tales viros audituros existimasti? Petatur hereditas ea, quae nulla debetur, in praedam praetoris? interponatur nomen civitatis? imponatur honestae civitati turpissima persona calumniae? neque hoc solum, sed ita res agatur, ut ne simulatio quidem aequitatis ulla adhibeatur? Nam, per deos immortales, quid interest, utrum praetor imperet, vique cogat aliquem de suis bonis omnibus decedere; an huiusmodi iudicium det, quo iudicio, indicta causa, fortunis omnibus everti necesse sit? Profecto enim negare non potes, te ex lege Rupilia sortiri iudicium debuisse, quum praesertim Heraclius id postularet. Sin illud dices, te Heraclii voluntate

Rem turpiorem) Lamb. Grut. aliique addunt *fore*, recte a Graev. et Ern. sublatum.

Quum multis lacrymis eum oraret) Sic edd. vett. Graev. Ern. At Lamb. Grut. alii, *multis lacrymis quum eum oraret.*

Postera die) Sic Grut. Ern. ex edd. vett. *postero die* Lamb. alii ut Oliv. Lall. *postridie.*

Sortiri iudicium) *Sortiri iudices* cod. Naun. ed. Lambin.

ab lege recessisse, ipse te impedies, ipse tu tua defensione implicabere. Quare enim primum ille ipse adesse noluit, quum ex eo numero iudices haberet, quos postularat? Deinde tu cur post illius fugam iudices alios sortitus es, si eos, qui erant antea dati, utriusque dederas voluntate? Deinde ceteras dicas omnes illo foro M. Postumius quaestor sortitus est: hanc solam tu illo conventu reperiere sortitus. « Ergo, inquiet aliquis, donavit populo syracusano illam hereditatem. » Primum, si id confiteri velim, tamen istum condemnetis, necesse est. Neque enim permissum est, ut impune nobis liceat, quod alicui eripuerimus, id alteri tradere. Verum ex ista reperietis hereditate ita istum praedatum, ut perpauca occulte fecerit; populum quidem syracusanum in maximam invidiam sua infamia, alieno praemio pervenisse; paucos Syracusanos, eos, qui se nunc publice laudationis causa venisse dicunt, et tunc participes praedae fuisse, et nunc non ad istius laudationem, sed ad communem litium aestimationem venisse. Posteaquam damnatus est absens, non solum illius hereditatis, de qua ambigebatur, quae erat HS tricies, sed omnium bonorum paternorum ipsius Heraclii, quae non minor erat pecunia, palaestrae Syracusanorum, hoc est Syracusanis, possessio traditur.

Ipse tu tua) Sic Graev. alii. Ernestius omisit *tu*, quia nec in primo membro sit. Verum in altero membro vim auget illud *tu:* quare id cum Beckio restitui. Quod Ernestius malebat *ipsa tua*, vel *ipsa* simpliciter, minus placet, quia tollitur anaphorae figura.

Quos postularet?) Ern. reposuit *quo*, quia Heraclius non indices certos petierit nominatim, sed ex eo numero, ex quo secundum legem esse deberent. At recte Beckius monuit *quos* h. l. idem esse ac quales.

Ad communem litium aestimationem) Id est, paucos Syracusanos venisse Romam, non tam ut laudent Verrem, quam ut communem causam defendant. Si enim damnabitur Verres repetundarum, ipsi quoque recuperatorio iudicio convenientur ad restituenda bona Heraclii, et quanti ea

XIX. Quae est ista praetura? Eripis hereditatem, quae venerat a propinquo, venerat testamento, venerat legibus: quae bona is, qui testamentum fecit, huic Heraclio, ante aliquanto, quam est mortuus, omnia utenda ac possidenda tradiderat; cuius hereditatis, quum ille aliquanto ante te praetorem esset mortuus, controversia fuerat nulla, mentionem fecerat nemo. Verum esto; eripe hereditatem propinquis, da palaestritis; praedare in bonis alienis, nomine civitatis; everte leges, testamenta, voluntates mortuorum, iura vivorum. Num etiam patriis Heraclium bonis exturbare oportuit? Qui simulac profugit, quam impudenter, quam palam, quam acerbe, dii immortales, illa bona direpta sunt! quam illa res calamitosa Heraclio, quaestuosa Verri, turpis Syracusanis, miseranda omnibus videbatur! Nam illud quidem statim curatur, ut quidquid caelati argenti fuit in illis bonis, ad istum deferatur; quidquid Corinthiorum vasorum, stragulae vestis, haec nemo dubitabat, quin non modo ex illa domo capta et oppressa, verum ex tota provincia ad istum comportari necesse esset. Mancipia, quae voluit, abduxit; alia divisit; auctio facta est; in qua cohors istius invicta dominata est. Verum illud est praeclarum: Syracusani, qui praefuerant his Heraclii bonis, verbo redigendis, re dispertiendis, reddebant eorum negotiorum rationem in senatu: dicebant, scyphorum paria complura, hydrias argenteas, pretiosam vestem stragulam, multa mancipia pretiosa Verri data esse; di-

tes in iudicio aestimata fuerit, tantum cogeutur refundere. NANNIVS.

Quam est mortuus) *Esset mortuus* malebat Ern. quia sequitur *tradiderat*.

Exturbare) *Exturbari* placebat Grutero.

Stragulae vestis) Ed. 1483, Naug. Manut. puncti signo post *stragulae vestis* distinguunt.

Multa mancipia pretiosa) Lamb.

cebant, quantum cuique, eius iussu, nummorum esset datum. Gemebant Syracusani; sed tamen patiebantur. Repente recitatur, uno nomine HS CCL millia iussu praetoris data. Fit maximus clamor omnium, non modo optimi cuiusque, neque eorum, quibus indignum semper visum erat, bona privati, populi nomine, per summam iniuriam erepta; verum etiam ipsi illi auctores iniuriae, et ex aliqua particula socii praedae ac rapinarum, clamare coeperunt, sibi ut haberet hereditatem. Tantus in curia clamor factus est, ut populus concurreret.

XX. Res ab omni conventu cognita, celeriter domum nuntiatur isti Mucio. Homo inimicus his, qui recitassent, hostis omnibus, qui acclamassent, exarsit iracundia ac stomacho. Verumtamen fuit tum sui dissimilis. Nostis os hominis, nostis audaciam; tamen tum rumore populi, et clamore, et furto manifesto grandis pecuniae perturbatus est. Vbi se collegit, vocat ad se Syracusanos: quia non posset negare ab illis pecuniam datam, non quaesivit procul alicunde (neque enim probaret), sed proximum, paene alterum filium, quem illam pecuniam diceret abstulisse. Ostendit se reddere coacturum. Qui posteaquam id audivit, habuit dignitatis et aetatis et nobilitatis suae rationem. Verba apud senatum fecit; docuit, ad se nihil pertinere. De isto, id quod omnes videbant, neque ille quidem obscure, loquutus est. Itaque illi Syracusani statuam postea statuerunt; et is, ubi primum potuit, istum reliquit, de

Grut. e codd. Mel. et Fabr. *argenteas pretiosas v. str. multam m. p.*

Isti Mucio) Haec verba hic addenda esse acutissime coniecit Herelius, eiusque lectionis vestigia deprehendit in corrupta scriptura *iste mutet*, cod. Metell.

Quia non posset) Cod. Metell. *qui non posset*, quod probat Grut.

Paene alterum filium) Generum suum. Hor.

provinciaque decessit. Et tamen aiunt eum queri solere nonnunquam, se miserum, quod non suis, sed suorum peccatis et criminibus prematur. Triennium provinciam obtinuisti; gener electus adolescens unum annum tecum fuit; sodales, viri fortes, legati tui primo anno te reliquerunt; unus legatus P. Tadius, qui erat reliquus, non ita multum tecum fuit; qui si semper una fuisset, tamen cura tum tuae, tum multo etiam magis suae famae pepercisset. Quid est, quod tu alios accuses? quid est, quamobrem putes te tuam culpam non modo derivare in aliquem, sed communicare cum altero posse? Numerantur illa HS ducenta quinquaginta Syracusanis. Ea quemadmodum ad istum postea per pseudothyron revertantur, tabulis vobis, et testibus, iudices, planum faciam.

XXI. Ex hac iniquitate istius et improbitate, iudices, quod praeda ex illis bonis ad multos Syracusanos, invito populo senatuque syracusano, venerat, illa scelera per Theomnastum, et Aeschrionem, et Dionysodorum, et Cleomenem invitissima civitate facta sunt, primum ut urbs tota spoliaretur: qua de re alius mihi locus ad dicendum est constitutus; ut omnia signa iste per eos homines, quos nominavi, omne ebur ex aedibus sacris, omnes undique tabulas pictas, deorum denique simulacra, quae vellet, auferret; deinde ut in curia Syracusis, quem locum

Decessit) Hotom. praeferebat *discessit*, quod in codd. MS. et edit. Cratandr. repererat, falsa opinione deceptus *decedendi* verbum non nisi de iis poni, qui de provincia excederent, in qua cum imperio et potestate fuissent. Quod secus esse docuit Ern. in Clave.

Sed suorum) Plerique codd. et edd. vett. addunt *comitum*.

Per pseudothyron revertantur) Quum palam exire a Verre viderentur, latenter postea, quasi per posticum revertebantur. HOTOM. Est autem *pseudothyron* latens ianua, et fallax, et quae speciem ostii non praebet, qualem Virgilius descripsit Aeneid. II, 453. NANNIVS.

illi buleuterion vocant, honestissimo loco, et apud illos clarissimo (ubi illius ipsius M. Marcelli, qui eum Syracusanis locum, quem eripere belli ac victoriae lege posset, conservavit et reddidit, statua ex aere facta); ibi inauratam isti, et alteram filio statuam posuerint; ut, dum istius hominis memoria maneret, senatus Syracusanus sine lacrymis et gemitu in curia esse non posset. Per eosdem istius iniuriarum, furtorum, uxorumque socios, istius imperio Syracusis Marcellea tolluntur maximo gemitu luctuque civitatis; quem illi diem festum quum recentibus beneficiis C. Marcelli debitum reddebant, tum generi, nomini, familiae Marcellorum maxima voluntate tribuebant. Mithridates in Asia, quum eam provinciam totam occupasset, Mucia non sustulit. Hostis, et hostis in ceteris rebus nimis ferus et immanis, tamen honorem hominis, deorum religione consecratum, violare noluit: tu Syracusanos unum diem festum Marcellis impartire noluisti, per quos illi adepti sunt, ut ceteros dies festos agitare possent. At vero praeclarum diem reposuisti, Verrea ut agerent, et ut ad eum diem, quae sacris epulisque opus essent, in complures annos locarentur. Sed iam in tanta istius impudentia remittendum aliquid videtur, ne omnia contendamus, ne omnia cum dolore agere videamur. Nam me dies, vox, latera deficiant, si hoc nunc vociferari velim, quam miserum indignumque sit, istius nomine apud eos diem festum esse, qui sese istius opera funditus

Buleuterion vocant) Βουλευτήριον, ubi consultationes fiunt, ubi Βουλευταί, hoc est senatores, de republica sententias dicunt. Hotom.

C. Marcelli) Recentia beneficia fuerunt C. Marcelli IV, 40, qui Siciliae praefuit A. V. C. 675. Recte igitur Ern. e coni. Vrsini et Laller. e cod. Paris. hoc recepit pro vulg. *M. Marcelli.*

Mucia) Quae Asiani, in Q. Mucii Scaevolae, qui abstinenter provinciam rexerat, honorem instituerant. Hotom.

exstinctos esse arbitrentur. O Verrea praeclara! Quoquam accessisti, quo non attuleris tecum istum diem? Etenim quam tu domum, quam urbem adiisti, quod fanum denique, quod non eversum atque extersum reliqueris? Quare appellentur sane ista Verrea, quae non ex nomine, sed ex moribus naturaque tua constituta esse videantur.

XXII. Quam facile serpat iniuria, et peccandi consuetudo; quam non facile reprimatur, videte, iudices. Bidis oppidum est, tenue sane, non longe a Syracusis. Huius longe primus civitatis est Epicrates quidam. Huic hereditas HS quingentorum millium venerat a muliere quadam propinqua, atque ita propinqua, ut ea etiamsi intestata esset mortua, Epicratem Bidinorum legibus heredem esse oporteret. Recens Syracusana erat illa res, quam ante demonstravi, de Heraclio Syracusano, qui bona non perdidisset, nisi ei venisset hereditas. Huic quoque Epicrati venerat, ut dixi, hereditas. Cogitare coeperunt eius inimici, nihilo minus eodem praetore hunc everti bonis posse, quo Heraclius esset eversus. Rem occulte instituunt; ad Verrem per eius interpretes deferunt. Ita causa componitur, ut item palaestritae Bidenses peterent ab Epicrate hereditatem, quemadmodum palaestritae

Quoquam accessisti) Valgo *quoquam si accessisti.* Grut. *Quoquam, quaeso, accessisti, quo.* Hotom. *Quonam enim accessisti.* Fortasse tamen Cicero scripsit: *Quamquam quo accessisti*; ut respiciatur ad antecedentia, quibus Syracusis istum diem institutum esse dixerat. Interea secutus sum Goëreozium qui ad Cic. de leg. p. 176 legendum censebat *quoquam accessisti*; quod iam Harlesio placuerat.

Ex moribus) Ita legendum esse viderunt Io. Lucanius et Holomanous; Gruterus quidem vulgatam *ex manibus* defendit coll. lib. III, c. 2, 7, ubi dicitur insula *a manibus* Verris remota. Verum *manus* pro *rapacitate* dici nemo dubitat. Sed h. l. compositio offendit *ex manibus naturaque tua*; quia *manus* partes sunt *naturae*; *mores* et *natura* vero saepius a Cic. componuntur.

Syracusani ab Heraclio petissent. Nunquam vos praetorem tam palaestricum vidistis. Verum ita palaestritas defendebat, ut ab illis ipse unctior discederet. Qui statim quum praesensisset, iubet cuidam suorum amicorum numerari HS LXXX. Res occultari satis non posse. Per quendam eorum, qui interfuerat, fit Epicrates certior. Primo negligere et contemnere coepit, quod causa prorsus, quod dubitari posset, nihil habebat. Deinde, quum de Heraclio cogitaret, et istius libidinem nosset, commodissimum putavit esse de provincia clam abire. Itaque fecit. Profectus est Rhegium.

XXIII. Quod ubi auditum est, aestuare illi, qui dederant pecuniam. Putare nihil agi posse, absente Epicrate. Nam Heraclius tamen affuerat, quum primum dati sunt iudices: de hoc, qui antequam in ius aditum esset, antequam denique mentio controversiae facta esset, discessisset, putabant nihil agi posse. Homines Rhegium proficiscuntur, Epicratem conveniunt; demonstrant id, quod ille sciebat, se HS LXXX dedisse; rogant eum, ut id, quod ab ipsis abisset pecuniae, curet; ab sese caveat, quemadmodum velit; de illa hereditate cum Epicrate neminem esse acturum. Epicrates homines multis verbis a se male acceptos dimisit; redeunt illi Rhegio Syracusas; queri cum multis, ita ut fit, incipiunt, sese HS LXXX nummum frustra dedisse. Res percrebruit; in ore atque sermone omnium coepit esse. Verres refert illam suam Syracusanam: ait se velle de illis HS LXXX cognoscere: advocat

Tamen affuerat) Sic cod. Franc. Manul. Lamb. Beck. Recte. Alii *tum affuerat*.

Rogant eum, ut id) *Vt sibi id* Lamb. Grut.

Refert illam suam Syracusanam) Lamb. edidit: *refert illam suam rationem Syracusanam*. At potius in *illam suam* intelligendum est *fabulam*. *Referre fabulam* est eam reponere et iterum in scena agere. — Syracusis culpam suam in generum contulerat;

multos. Dicunt Bidini Volcatio se dedisse; illud non addunt, iussu istius. Volcatium vocat; pecuniam referri imperat. Volcatius animo aequissimo nummos affert, qui nihil amitteret: reddit inspectantibus multis; Bidini nummos auferunt.

XXIV. Dicet aliquis: « Quid ergo in hoc Verrem reprehendis, qui non modo ipse fur non est, sed ne alium quidem passus est esse? » Attendite. Iam intelligetis hanc pecuniam, quae viâ modo visa est exire ab isto, eandem semitâ revertisse. Quid enim? non debuit praetor, cum consilio re cognita, quum comperisset, suum comitem, iuris, decreti, iudicii corrumpendi causa, qua in re ipsius praetoris caput existimatioque ageretur, pecuniam accepisse, Bidinos autem contra praetoris famam ac fortunas dedisse; et in eum, qui accepisset, animadvertisse; et in eos, qui dedissent? Tu, qui institueras in eos animadvertere, qui perperam iudicassent, quod saepe per imprudentiam fit: hos pateris impune discedere, qui ob tuum decretum, ob tuum iudicium, pecuniam aut dandam, aut accipiendam putarant? Volcatius idem apud te postea fuit, eques romanus, tanta accepta ignominia. Nam quid est turpius ingenuo, quid minus libero dignum, quam in conventu maximo cogi a magistratu furtum reddere? qui si eo animo esset, quo non modo eques romanus, sed quivis liber

nunc idem facere instituit, quum in Volcatium derivare hoc crimen voluit. Hotom.

Quae via — eandem semita revertisse) Vnice vera haec est lectio, quae Holomanni ingenio debetur. Eadem Wyttenbachio placuit, Bibl. Crit. P. II, p. 10, etsi eam iam Holomanno in mentem venisse ignoravit. Et hic quidem sensum recte sic explicat: *pecunia quae palam visa est exire ab isto, occulte est ei reddita.* Vulgo inepte: *qua via — eadem semita.*

Quid enim? Non debuit praetor) Sequutus sum Holomannum qui particulam *non* huc retraxit, quae vulgo minus apte ponitur infra ante verba *non et in eum.*

Bidinos autem) Cod. Naun. hic repetit *pecuniam.*

debet esse, adspicere te postea non potuisset; inimicus, hostis esset tanta contumelia accepta, nisi tecum collusisset, et tuae potius existimationi servisset, quam suae. Qui quam tibi amicus non modo tum fuerit, quamdiu tecum in provincia fuit, verum etiam nunc sit, quum iam a ceteris amicis sis relictus, et tu intelligis, et nos existimare possumus. An hoc solum argumentum est, nihil isto imprudente factum, quod Volcatius ei non succensuit? quod iste nec in Volcatium, nec in Bidinos animadvertit? Est magnum argumentum; verum illud maximum, quod illis ipsis Bidinis, quibus iratus esse debuit, ut a quibus comperit, quod iure agere cum Epicrate nihil possent, etiamsi adesset, idcirco suum decretum pecunia esse tentatum: his, inquam, ipsis non modo illam hereditatem, quae Epicrati venerat, sed, ut in Heraclio syracusano, item in hoc, paulo etiam atrocius, quod Epicrates appellatus omnino non erat, bona patria fortunasque eius Bidinis tradidit. Ostendit enim novo modo, si quis quid ab absente peteret, se auditurum. Adeunt Bidini; petunt hereditatem; procuratores postulant, ut se ad leges suas reiiciat, aut ex lege Rupilia dicam scribi iubeat. Adversarii non audebant contra dicere; exitus nullus reperiebatur. Insimulant hominem fraudandi causa discessisse; postulant, ut bona possidere liceat. Debebat Epicrates nullum nummum nemini. Amici, si quis quid peteret, iudicium se passuros, iudicatum solvi satisdaturos esse dicebant.

XXV. Quum omnia consilia frigerent; admonitu istius insimulare coeperunt, Epicratem literas pu-

Quum omnia consilia frigerent) Ita cod. Met. et Fabr. quod cum Hotom. Lamb. Graev. servandum duxi. Vulgo *quum omnia iudicia frigerent*. Ern. voc. *iudicia* uncis inclusit, ut spurium.

blicas corrupisse; a qua suspicione ille aberat plurimum. Actionem eius rei postulant. Amici recusare, ne quod novum iudicium, ne qua istius cognitio, illo absente, de existimatione eius constitueretur: et simul idem illud postulare non desistebant, ut se ad leges suas reiiceret. Iste amplam occasionem calumniae nactus, ubi videt esse aliquid, quod amici absentem Epicratem nollent defendere: asseverat se eius rei in primis actionem esse daturum. Quum omnes perspicerent, ad istum non modo illos nummos, qui per simulationem ab isto exierant, revertisse; sed multo etiam plures eum postea nummos abstulisse: amici Epicratem defendere destiterunt. Iste Epicratis bona Bidinos omnia possidere et sibi habere iussit. Ad illa HS ꟾↃ millia hereditaria accessit ipsius antiqua HS quindecies pecunia. Vtrum res ab initio ita ducta est? an ad extremum ita perducta est? an ita parva est pecunia? an is homo Verres, ut haec, quae dixi, gratis facta esse videantur?

XXVI. Hic nunc de miseria Siculorum, iudices, audite. Et Heraclius ille syracusanus, et hic bidinus Epicrates, expulsi bonis omnibus, Romam venerunt. Sordidati, maxima barba et capillo, Romae biennium prope fuerunt. Quum L. Metellus in provinciam profectus est, tum isti bene commendati cum Metello una proficiscuntur. Metellus simulac venit Syracusas, utrumque rescidit, et de Epicrate, et de Heraclio. In utrinsque bonis nihil erat, quod restitui posset, nisi quod moveri loco non poterat. Fecerat haec egregie primo adventu Metellus, ut omnes istius

Istius cognitio) Vulgo *ipsius cognitio*. Sed quum hoc ad Verrem pertineat, dedi *istius cognitio*, quod Beckio quoque placuisse videtur.

Absentem Epicratem) *Absente Epicrate* Graev. e cod. Nann.

Nummos abstulisse) Repetitum *nummos* Ern. vix a Cicerone esse putabat.

iniurias, quas modo posset, rescinderet, et irritas faceret. Heraclium restitui iusserat; non restituebatur. Quisquis erat eductus senator syracusanus ab Heraclio, duci iubebat. Itaque permulti ducti sunt. Epicrates quidem continuo restitutus est. Alia iudicia Lilybaei, alia Agrigenti, alia Panormi restituta sunt. Census, qui isto praetore sunt habiti, non servaturum se, Metellus ostenderat; decumas, quas iste contra legem Hieronicam vendiderat, sese venditurum Hieronica lege, dixerat. Omnia erant Metelli eiusmodi, ut totam istius praeturam retexere videretur. Simul atque ego in Siciliam veni, mutatus est. Venerat ad eum illo biduo Letilius quidam, homo non alienus a literis. Itaque eo iste tabellario semper usus est. Is epistolas complures attulerat; in his unam domo, quae totum immutarat hominem. Repente coepit dicere, se omnia Verris causa velle, sibi cum eo amicitiam cognationemque esse. Mirabantur omnes, hoc ei tum denique in mentem venisse, posteaquam tam multis eum factis decretisque iugulasset. Erant qui putarent, Letilium legatum a Verre venisse, qui gratiam, amicitiam cognationemque commemoraret. Ex illo tempore a civitatibus laudationes petere, testes non solum deterrere verbis, sed etiam vi retinere coepit. Quod ego nisi meo adventu illius conatus

Ad illa HS) Id est: Non illa solum D millia HS, quae Epicrati venerant hereditate, sed illa etiam bona quae possidebat Epicrates ante hanc hereditatem, et quae erant sestertium quindecies centenum millium, Verres Bidinis adiudicavit. Hot.

Duci iubebat) H. e. quisquis senator Syracusanus ab Heraclio in iudicium ductus esset, propterea quod bona Heraclii a se possessa non restitueret, eum Metellus duci in vincula iubebat, vel eum Heraclio addicebat. Pro *eductus* Lambin. e cod. Fabr. dedit *editus*.

Vt totam istius praeturam retexere videretur) Lambin. *ut non tam suam praeturam gerere, quam istius retexere videretur.* At vulgata ut brevior, sic et aptior est.

Letilius) *L. Atilius* cod. Pal. 2.

aliquantulum repressissem, et apud Siculos non Metelli, sed Glabrionis literis ac lege pugnassem: tam multos huc evocare non potuissem. Verum, quod institui dicere, miserias cognoscite Siculorum. Heraclius ille et Epicrates longe mihi obviam cum suis omnibus processerunt. Venienti Syracusas egerunt gratias, flentes; Romam decedere mecum cupierunt. Quod erant mihi oppida complura etiam reliqua, quae adire vellem, constitui cum hominibus, quo die mihi Messanae praesto essent. Eo mihi nuntium miserunt, se a praetore retineri. Quibus ego testimonium denuntiavi, quorum nomina edidi Metello, cupidissimi veniendi, maximis iniuriis affecti, adhuc non venerunt. Hoc iure sunt socii, ut iis ne deplorare quidem de suis incommodis liceat.

XXVII. Iam Heraclii Centuripini, optimi, nobilissimique adolescentis, testimonium audistis: a quo HS c millia per calumniam malitiamque petita sunt. Iste poenis compromissisque interpositis, HS ccc extorquenda curavit: quodque iudicium secundum Heraclium de compromissis factum erat, quod civis Centuripinus inter duos cives iudicasset, id irritum iussit esse, eumque iudicem falsum iudicasse iudicavit; in senatu ne esset, locis commodisque publicis uti vetuit. Si quis eum pulsasset, edixit, sese iudicium iniuriarum non daturum; quidquid ab eo peteretur, iudicem de sua cohorte daturum, ipsi

Glabrionis literis) Qui Romae quaestor repetundarum iudicium exercebat, mihique in Siciliam inquirendi causa proficiscenti literas, potestatemque et quaerendi et exscribendi omnis permiserat. Hot.

Edidi Metello) Vt eos mihi de provincia decedere, et mecum Romam venire sineret. Id.

Compromissis) *Compromissum* dicitur certa pecunia ab utroque litigatore mutuo promissa, ni arbitri sententiae pareant. Id.

Quod civis — inter duos cives iudicasset) Non quod non id ius esset, verum quod ipse iudices de sua cohorte arbitratu suo dare volebat. Id.

autem nullius actionem rei sese daturum. Quae istius auctoritas tantum valuit, ut neque illum pulsaret quisquam, quum praetor in provincia sua verbo permitteret, re hortaretur; neque quisquam ab eo quidquam peteret, quum iste calumniae licentiam sua auctoritate dedisset. Ignominia autem illa gravis, tamdiu in illo homine fuit, quamdiu iste in provincia mansit. Hoc iniecto metu iudicibus, novo more, nullo exemplo, ecquam rem putatis esse in Sicilia, nisi ad nutum istius, iudicatam? Vtrum id solum videtur esse actum, quod est tamen actum, ut Heraclio pecunia eriperetur? an etiam illud, in quo praeda erat maxima, ut nomine iudiciorum, omnium bona atque fortunae in istius unius essent potestate?

XXVIII. Iam vero in rerum capitalium quaestionibus quid ego unamquamque rem colligam et causam? Ex multis similibus ea sumam, quae maxime improbitate excellere videbuntur. Sopater quidam fuit Halicyensis, homo domi suae cum primis locuples atque honestus. Is ab inimicis suis apud C. Sacerdotem praetorem rei capitalis quum accusatus esset, facile eo iudicio est liberatus. Huic eidem Sopatro iidem inimici ad C. Verrem, quum is Sacerdoti successisset, eiusdem rei nomen detulerunt. Res Sopatro facilis videbatur; et quod erat innocens, et quod Sacerdotis iudicium improbare istum ausurum non arbitrabatur. Citatur reus; causa agitur Syracusis; crimina tractantur ab accusatore ea, quae erant antea non solum defensione, verum etiam iudicio dissoluta. Causam

Calumniae licentiam — dedisset) Manut. Lamb. al. *praebuisset*. Gruterus *dedisset*, quod cum Ern. et Beckio servavi.

Potestate?) Cod. Naun. *potestatum*.

Ex multis similibus) Holom. e codd. laudat *ex multis millibus* quod siue causa ei placebat. Idem invito Lambino in primam eius editionem venit, vitio operarum.

Sopatri defendebat Q. Minucius, eques romanus in primis splendidus atque honestus, vobisque, iudices, non ignotus. Nihil erat in causa, quod metuendum, aut omnino quod dubitandum videretur. Interea istius libertus, et accensus idem Timarchides, qui est, id quod ex plurimis testibus priore actione didicistis, rerum huiusmodi omnium transactor et administer, ad Sopatrum venit; monet hominem, ne nimis iudicio Sacerdotis, et causae suae confidat; accusatores inimicosque eius habere in animo pecuniam praetori dare; praetorem tamen ab salute malle accipere; et simul malle, si fieri posset, rem iudicatam non rescindere. Sopater, quum hoc illi improvisum atque inopinatum accidisset, commotus est sane; neque in praesentia, Timarchidi quid responderet, habuit, nisi se consideraturum, quid sibi de ea re esset faciendum: et simul ostendit, se in summa difficultate esse nummaria. Post ad amicos retulit; qui quum ei fuissent auctores redimendae salutis, ad Timarchidem venit. Expositis suis difficultatibus, hominem ad HS LXXX perducit: eamque ei pecuniam numerat.

XXIX. Posteaquam ad causam dicendam ventum est, tum vero sine metu, sine cura omnes erant, qui Sopatrum defendebant. Crimen nullum erat; res iudicata; Verres nummos acceperat. Quis posset dubitare, quidnam esset futurum? Res illo die non peroratur: dimittitur iudicium. Iterum ad Sopatrum Timarchides venit: ait, accusatores eius multo maiorem

Et causae suae confidat) Sic Lambin. et MS. Vulgo abest *suae*.

Ab salute) Edd. pr. *absolute*. Aldus ex ista lectione fecit *ob salutem*, quod receperunt Graev. Oliv. Lall. Oxx. Lamb. et Grut. *a salute*. Ern. *ab salute*, h. e. ab ea parte, quae absolveretur iudicio potius, quam ab accusatoribus. Nempe *dare salutem* est i. q. absolvere, s. efficere ut reus absolvatur; ut Orat. I. c. 8.

De ea re) abest cod. Met.

pecuniam praetori polliceri, quam quantam hic dedisset: proinde, si saperet, videret, quid sibi esset faciendum. Homo, quamquam erat et siculus, et reus, hoc est, et iure iniquo, et tempore adverso, ferre tamen atque audire diutius Timarchidem non potuit. « Facite, inquit, quod libet, daturus non sum amplius. » Idemque hoc amicis eius et defensoribus videbatur: atque eo etiam magis, quod iste, quoquo modo se in ea quaestione praebebat, tamen in consilio habebat homines honestos e conventu syracusano, qui Sacerdoti quoque in consilio fuerant tum, quum esset idem hic Sopater absolutus. Hoc rationis habebant, facere eos nullo modo posse, ut eodem crimine, iisdem testibus, Sopatrum condemnarent iidem homines, qui antea absolvissent. Itaque hac una spe ad iudicium venitur. Quo posteaquam ventum est, quum in consilium frequentes convenissent iidem, qui solebant, et hac una spe tota defensio Sopatri niteretur, consilii frequentia et dignitate, et quod erant, ut dixi, iidem, qui antea Sopatrum eodem illo crimine liberarant: cognoscite hominis apertam, ac non modo non ratione, sed ne dissimulatione quidem tectam improbitatem et audaciam. M. Petilium, equitem romanum, quem habebat in consilio, iubet operam dare, quod rei privatae iudex esset. Petilius recusabat, quod suos amicos, quos sibi in consilio esse

Quid sibi esset faciendum) Cod. Met. M. *proinde saperet, videret*, omissis *quid sibi esset faciendum*, quae etiam in cod. Franc. abesse testatur Lambin. Brevior lectio mihi, ut Grutero, verior videtur.

Quamquam erat et Siculus) *Quamquam erat Siculus* Cod. Franc.

Quod libet) Vulgo *quod vobis libet*. Sed *vobis* melius abest in cod. Metell.

Rei privatae iudex esset) I. e. iussit eum discedere, et rei cuidam privatae cuius iudex esset, operam dare.

In consilio esse vellet) Nempe inimicos, quos Petilius elegerat, ut sibi istius rei privatae iudici adessent in consilio.

vellet, ipse Verres retineret. Iste homo liberalis, negat se quemquam retinere eorum, qui Petilio vellent adesse. Itaque discedunt omnes. Nam ceteri quoque impetrant, ne retineantur, qui se velle dicebant alterutri eorum, qui tum illud iudicium habebant, adesse. Itaque iste solus cum sua cohorte nequissima relinquitur.

XXX. Non dubitabat Minucius, qui Sopatrum defendebat, quin iste, quoniam consilium dimisisset, illo die rem illam quaesiturus non esset; quum repente iubetur dicere. Respondet: ad quos? — Ad me, inquit, si tibi idoneus videor, qui de homine Siculo ac Graeculo iudicem. — Idoneus es, inquit: sed pervellem adessent ii, qui affuerant antea, causamque cognorant. — Dic, inquit: illi adesse non possunt. — Nam hercule, inquit Q. Minucius, me quoque Petilius, ut sibi in consilio adessem, rogavit. Et simul a subselliis abire coepit. Iste iratus, hominem verbis vehementioribus prosequitur, atque ei gravius etiam minari coepit, quod in se tantum crimen invidiamque conflaret. Minucius, qui Syracusis sic negotiaretur, ut sui iuris dignitatisque meminisset, et qui sciret, ita se in provincia rem augere oportere, ut ne quid de libertate deperderet, homini quae visa sunt, et quae tempus illud tulit et causa, respondit: causam sese, dimisso atque ablegato consilio, defensurum negavit. Itaque a subselliis discessit; idemque hoc, praeter Siculos, ceteri Sopatri amici advocatique fecerunt. Iste, quamquam est in-

Alterutri eorum — habebant) Nempe vel petitori, vel ei unde petebatur.

Respondet — idoneus videor) Fulvio Vrsino placuit lectio vet. cod. *Respondet abiisse iudices. — An non, inquit, tibi idoneus videor?*

Rem augere) Cod. Nanu. Franc, *rem agere.*.

credibili importunitate et audacia, tamen, subito solus destitutus, pertimuit et conturbatus est. Quid ageret, quo se verteret, nesciebat. Si dimisisset eo tempore quaestionem, post illis adhibitis, quos ablegarat, absolutum iri Sopatrum videbat: sin autem hominem miserum atque innocentem condemnasset, quum ipse praetor sine consilio, reus autem sine patrono atque advocatis fuisset, iudiciumque C. Sacerdotis rescidisset: invidiam se sustinere non posse tantam arbitrabatur. Itaque aestuabat dubitatione, versabat se in utramque partem, non solum mente, verum etiam corpore; ut omnes, qui aderant, intelligere possent, in animo eius metum cupiditatemque pugnare. Erat hominum conventus maximus, summum silentium, summa exspectatio, quonam esset eius cupiditas eruptura; crebro demittebat se accensus ad aurem Timarchides. Tum iste aliquando, Age, dic, inquit. Sopatrus implorare hominum atque deum fidem, ut cum consilio cognosceret. Tum repente iste testes citari iubet. Dicit unus et alter breviter. Nihil interrogatur. Praeco DIXISSE pronuntiat. Iste, quasi metueret, ne Petilius, privato illo iudicio transacto aut dilato, cum ceteris in consilium reverteretur, ita properans de sella exsiluit: hominem innocentem, a C. Sacerdote absolutum, indicta causa, de sententia scribae, medici haruspicisque condemnavit.

XXXI. Retinete, retinete hominem in civitate, iudices. Parcite et conservate, ut sit qui vobiscum res

Metum cupiditatemque) Cod. Naun. Mel. *metum cum cupiditate.*

Implorare hominum atque deum fidem) Codd. Mel. et Fabr. *Reus orare atque obsecrare ut c. c. c.* unde Garat. legendum coniicit: *Sopatrus* (vel *reus*) *implorare hominum atque deum fidem, orare atque obsecrare ut — cognosceret.*

Vobiscum) Sic Cod. Paris. edd. pr. Beck. Vulgo *nobiscum.*

iudicet; qui in senatu sine ulla cupiditate de bello et pace sententiam ferat. Tametsi minus id quidem nobis, minus populo romano laborandum est, qualis istius in senatu sententia futura sit. Quae enim eius auctoritas erit? quando iste sententiam dicere audebit, aut poterit? quando autem homo tanta luxuria, atque desidia, nisi Februario mense, adspirabit in curiam? Verum veniat sane; decernat bellum Cretensibus; liberet Byzantios; regem appellet Ptolemaeum; quae vult Hortensius, omnia dicat et sentiat; minus haec ad nos, minus ad vitae nostrae discrimen, minus ad fortunarum nostrarum periculum pertinent. Illud, illud est capitale, illud formidolosum, illud optimo cuique metuendum, quod iste, ex hoc iudicio si aliqua vi se eripuerit, in iudicibus sit necesse est; sententiam de capite civis romani ferat; sit in eius exercitu signifer, qui imperium iudiciorum tenere vult. Hoc populus romanus recusat, hoc ferre non potest; clamat, permittitque vobis, ut, si istis

Sententiam ferat) Lamb. edidit *sententiam dicat.*

Februario) Qui mensis audiendis exterarum gentium et provinciarum legationibus destinatus erat. Quare hoc puto significari, senatorias senatorum legatos emere solitos: Verrem eo mense venalem suam sententiam habiturum, et pretio ut in curiam veniat facile adductum iri. HOTOM.

Decernat bellum Cretensibus) Hoc tempore *Cretenses* belli societatem cum piratis adversus populum Romanum coierant: ut ex Plutarcho intelligitur in Pompeii vita, et Livio lib. XCVIII, et XCIX. Ergo *decernat bellum Cretensibus*, scilicet, ut eius belli administratio Q. Hortensio mandetur. Sed Q. Metello tamen collegae mandata. Nam quum consules sortirentur, Hortensio, ut bellum gereret cum Cretensibus, obvenit. Sed is urbe delectatus et foro, in quo primum locum post Ciceronem obtinebat, collegae ultro exercitum cessit, ipse in urbe remansit. Metellus autem in Cretam missus eam insulam cepit. Haec Dio. IDEM.

Liberet Byzantios) *Liberari* dicuntur provinciae, quum statuitur ne amplius sint provinciae (ut apparet ex secunda Philippica) id est, ut Romanis magistratibus ius in iis dicere non liceat: ut ex Orat. de Prov. consul. intelligitur. ID.

Sit in eius exercitu) Hortensium significat, quem duabus primis orationibus saepe *dominum et regem iudiciorum* appellavit. ID.

hominibus delectemini, si ex hoc genere splendorem ordini atque ornamentum curiae constituere velitis, habeatis sane vobis istum senatorem; istum etiam de vobis iudicem, si vultis, habeatis; de se homines, qui extra istum ordinem sunt, quibus ne reiiciundi quidem amplius, quam trium iudicum, praeclarae leges Corneliae faciunt potestatem, hunc hominem tam crudelem, tam sceleratum, tam nefarium, nolunt iudicare.

XXXII. Etenim si illud est flagitiosum (quod mihi omnium rerum turpissimum maximeque nefarium videtur), ob rem iudicandam pecuniam accipere, pretio habere addictam fidem et religionem: quanto illud flagitiosius, improbius, indignius, eum a quo pecuniam ob absolvendum acceperis, condemnare: ut ne praedonum quidem praetor in fide retinenda consuetudinem conservaret? Scelus est accipere ab reo; quanto magis ab accusatore? quanto etiam sceleratius ab utroque? Fidem quum proposuisses venalem in provincia, valuit apud te plus is, qui pecuniam maiorem dedit. Concedo. Forsitan aliquis aliquando eiusmodi quippiam fecerit. Quum vero fidem ac religionem tuam iam alteri addictam pecunia accepta habueris, post eandem adversario tradideris maiore pecunia: utrumque falles? et trades cui voles? et ei, quem fefelleris, ne pecuniam quidem red-

Sane vobis) Ita e cod. Hotom. ediderunt Manut. Lamb. Graev. Ern. pro vulg. *vobiscum*.

Qui extra istum ordinem) Vulgo *si qui*. Particulam *si*, quam codd. Naun. et Pariss. haud agnoscunt, recte deleverunt Lallem. Beck.

Reiiciundi — quam trium iudicum) Ellipsis latinis perquam usitata. Subauditur *negotium*. Potestas nimirum reiiciendi trium iudicum negotium. Vide Sanctii Minervam, sive de causis latinae linguae Comment. lib. III, cap. 8. GRAEV.

Pecunia accepta) A MS. Naunii aberat; idque ei placebat. At bene monuit Ern. sequentia *maiore pecunia* requirere, et in illo addi pecuniae

des? Quem mihi tu Bulbum, quem Stalenum? quod unquam huiusmodi monstrum, aut prodigium audivimus, aut vidimus, qui cum reo transigat, post cum accusatore decidat? honestos homines, qui causam norint, ableget, a consilioque dimittat? ipse solus reum absolutum, a quo pecuniam acceperit, condemnet, pecuniamque non reddat? Hunc hominem iudicum numero habebimus? hic alteram decuriam senatoriam iudex obtinebit? hic de capite libero iudicabit? huic iudicialis tabella committetur? quam iste non modo cera, verum etiam sanguine, si visum erit, notabit.

XXXIII. Quid enim horum se negat fecisse? Illud videlicet unum, quod necesse est, pecuniam accepisse. Quidni iste negct? At eques romanus, qui Sopatrum defendit, qui omnibus eius consiliis rebusque interfuit, Q. Minucius iuratus dicit pecuniam datam: iuratus dicit Timarchidem dixisse, maiorem ab accusatoribus pecuniam dari. Dicent hoc Siculi omnes; dicent omnes Halicyenses; dicet etiam praetextatus Sopatri filius, qui ab isto homine crudelissimo, patre innocentissimo, pecuniaque patria privatus est. Verum, si de pecunia testibus planum facere non possem, illud negare posses, aut nunc negabis, te consilio tuo dimisso, viris primariis, qui in consilio C. Sacerdoti fuerant, tibique esse solebant, remotis, de

nomen, praesertim quum et alias ob causas fides addicta alteri esse possit.

Bulbum) Cod. Mel. *Tubulum*. Iam L. Tubulus quidem praetor pecunias ob rem iudicandam accepit Cic. de Fin. II, 16. Attamen Bulbus cum Staleno coniungitur etiam Orat. pro Cluent. c. 28.

A consilioque dimittat?) *Consilioque* sine praepositione edd. velt. Graev. al. At Lambin. dedit *consiliumque dimittat.*

Iudicum numero) *In iudicum numero* cod. Nann. ed. Lamb. Grut.

Si visum) Cod. Mel. *si visus*. Guielm. coni. *si usus*.

Sacerdoti) Ita recte e cod. Nann. ediderunt Lamb. Beck. Vulgo *Sacerdotis*.

re iudicata iudicasse? teque eum, quem C. Sacerdos, adhibito consilio, causa cognita, absolvisset, eundem, remoto consilio, causa incognita, condemnasse? quum haec confessus eris, quae in foro palam Syracusis, in ore atque in oculis provinciae gesta sunt: negato sane, si voles, pecuniam accepisse; reperies, credo, aliquem, qui, quum haec, quae palam gesta sunt, videat, quaerat quid tu occulte egeris; aut qui dubitet, utrum malit meis testibus, an tuis defensoribus credere.

XXXIV. Dixi iam antea, iudices, me non omnia istius, quae in hoc genere essent, enumeraturum, sed electurum ea, quae maxime excellerent. Accipite nunc aliud eius facinus nobile, et multis locis saepe commemoratum, et eiusmodi, ut in uno omnia maleficia inesse videantur. Attendite diligenter; invenietis enim, id facinus natum a cupiditate, auctum per stuprum, crudelitate perfectum atque conclusum. Sthenius est, is qui nobis assidet, thermitanus, antea multis propter summam virtutem, summamque nobilitatem, nunc, propter suam calamitatem, atque istius insignem iniuriam, omnibus notus. Huius hospitio Verres quum esset usus, et quum apud eum, non modo Thermis saepenumero fuisset, sed etiam habitasset: domo eius omnia abstulit, quae paulo magis animum cuiuspiam aut oculos possent commovere. Etenim Sthenius ab adolescentia paulo studiosius haec compararat, supellectilem ex aere elegan-

Negato sane) Cod. Mel. *negato totum sane* Guilielm. coni. *negato tum sane*.

Vt in uno) Hotom. malebat *ut in hoc uno*, vel *ut in eo uno*.

Suam calamitatem) Edd. vett. *summam calamitatem*.

Quum apud eum) Codd. Nann. *et quum solum apud eum*.

Compararat) Ita hic et statim codd. Nann. Grut. Graev. Vulgo *comparabat*, quod Ern. restituit, quia sequatur *ferebant*. At recte monuit Beckius

tiorem, et Deliacam et Corinthiam, tabulas pictas, etiam argenti bene facti, prout thermitani hominis facultates ferebant, satis. Quae, quum esset in Asia adolescens, studiose, ut dixi, compararat, non tam suae delectationis causa, quam ad invitationes adventusque nostrorum hominum, amicorum suorum atque hospitum. Quae posteaquam iste omnia abstulit, alia rogando, alia poscendo, alia sumendo, ferebat Sthenius, ut poterat; angebatur tamen animi dolore necessario, quod domum eius exornatam atque instructam fere iam iste reddiderat nudam atque inanem. Verumtamen dolorem suum nemini impertiebat: praetoris iniurias tacite, hospitis placide ferendas arbitrabatur. Interea cupiditate iste illa sua nota, atque apud omnes pervagata, quum signa quaedam pulcherrima atque antiquissima Thermis in publico posita vidisset, adamavit: a Sthenio petere coepit, ut ad ea tollenda operam suam profiteretur, seque adiuvaret. Sthenius vero non solum negavit, sed etiam ostendit, fieri nullo modo posse, ut signa antiquissima, monumenta P. Africani, ex oppido Thermitanorum, incolumi illa civitate imperioque populi romani, tollerentur.

XXXV. Etenim, ut simul P. Africani quoque humanitatem et aequitatem cognoscatis, oppidum Himeram Carthaginienses quondam ceperant, quod fuerat in primis Siciliae clarum et ornatum. Scipio, qui hoc dignum populo romano arbitraretur, bello confecto socios sua per nostram victoriam recupera-

hoc *ferebat* non a *comparaverat*, sed a *satis* pendere.

Angebatur) Sic C. Steph. Grut. melius quam ut est in aliis *tangebatur*. Non enim mediocris erat Sthenii dolor.

Pervagata) Sic est in codd. Nonn. Mel. Franc. Pall. duobus aliis; et receperunt Graev. Beck. Vulg. *pervulgata*, quod restituit Ern.

Fieri) Vulgo *id fieri*. Pronomen delendum esse vidit Herelius l. l.

re; Siculis omnibus, Carthagine capta, quae potnit, restituenda curavit. Himera deleta, quos cives belli calamitas reliquos fecerat, ii sese Thermis collocarant, in eiusdem agri finibus, neque longe ab oppido antiquo. Hi se patrum fortunam ac dignitatem recuperare arbitrabantur, quum illa maiorum ornamenta in eorum oppido collocabantur. Erant signa ex aere complura; in his mira pulcritudine ipsa Himera, in muliebrem figuram habitumque formata, ex oppidi nomine et fluminis. Erat etiam Stesichori poëtae statua senilis, incurva cum libro, summo, ut putant, artificio facta; qui fuit Himerae, sed et est, et fuit tota Graecia summo propter ingenium honore et nomine. Haec iste ad insaniam concupierat. Etiam, quod paene praeterii, capella quaedam est, ea quidem mire, ut etiam nos, qui rudes harum rerum sumus, intelligere possumus, scite facta et venuste. Haec et alia Scipio non negligenter abiecerat, ut homo intelligens Verres auferre posset; sed Thermitanis restituerat; non quo ipse hortos, aut suburbanum, aut locum omnino, ubi ea poneret, nullum haberet; sed si domum abstulisset, non diu Scipionis appellarentur, sed eorum, ad quoscumque ipsius morte venissent: nunc his locis posita sunt, ut mihi semper Scipionis fore videantur, itáque dicantur.

XXXVI. Haec quum iste posceret, agereturque ea res in senatu, Sthenius vehementissime restitit; multaque, ut in primis Siculorum in dicendo copiosus est, commemoravit: urbem relinquere Thermitanos

Qui fuit Himerae) Ita Grut. etc. Olim edebatur *ab eo qui f. H.* Recte autem omissum *ab eo* in cod. Naun. Nam quae sequuntur non ad artificem, sed ad Stesichorum spectant.

Tota Graecia) Sic Lamb. Ern. Vulg. *tota in Graecia.*

Thermitanos) Ernestio placebat *Thermitanis* ut referretur ad *honestius.*

esse honestius, quam pati, tolli ex urbe monumenta maiorum, spolia hostium, beneficia clarissimi viri, indicia societatis populi romani atque amicitiae. Commoti sunt animi omnium. Repertus est nemo, quin mori diceret satius esse. Itaque hoc adhuc oppidum Verres invenit prope solum in orbe terrarum, unde nihil eiusmodi rerum de publico per vim, nihil occulte, nihil imperio, nihil gratia, nihil pretio posset auferre.

XXXVII. Verumtamen hasce huius cupiditates exponam alio loco: nunc ad Sthenium revertar. Iratus iste vehementer Sthenio atque infensus hospitium ei renunciat; domo eius emigrat, atque adeo exit. Nam iam ante migrarat. Eum autem inimicissimi Sthenii domum suam statim invitant, ut animum eius in Sthenium inflammarent, ementiendo aliquid et criminando. Hi autem erant Agathinus, homo nobilis, et

Nihil pretio) Vulgo: *Nihil imperio, nihil gratia, nihil pretio.* In edd. pr. et cod. Franc. absunt verba *nihil gratia*. Ernestius verba *nihil pretio* uncis inclusit, ut spuria et prorsus aliena, quod Verres non sit emere solitus. Cui recte Beckius opposuit, ea quae Verr. IV, 4 sq. leguntur. Is contra verba *nihil gratia* uncinis inclusit, quae in Franc. et edd. pr. desiderantur. Nobis omnia genuina esse videntur. Significantur enim quinque eiusmodi res, ut signa, tabulas, vasa pretiosa auferendi modi: 1 quum per vim eripiuntur: 2 quum clandestino furto auferuntur: 3 quum imperatur a praetore ut sibi tradantur: 4 quum quia apud principes urbis gratiosus est, per hos civibus persuadet, ut sibi dono dentur: 5 denique quum pretio emuntur. Pro *pretio* in aliquot codd. legitur *precario* ab Holom. et Garat. probatum.

Atque infensus) Sic edd. Metell. et Fabr. ed. Lamb. At Victor, eumsqq. *Itaque iste vehementer Sthenio infensus.*

Atque adeo exit) Subtilem differentiam hic observat orator inter verba *migrare*, et *exire*: quae promiscue fere semper et ab aliis, et ab ipso etiam alias accipiuntur. Igitur iuxta loci huius sententiam, *migrare* est, relictis tamen vasis, alio se conferre ad habitandum. *Exire* vero est, universa sua discedendo secum exportare. Vasa sua colligit, et alio transfert Verres, qui iam ante migrarat, id est, ad alios se contulerat. HOTT.

Hi autem erant) Vulgo additur *inimici*, quod Ern. recte spurium iudicavit.

Dorotheus, qui habebat in matrimonio Callidamam, Agathini eius filiam, de qua iste andierat. Itaque ad generum Agathini migrare maluit. Vna nox intercesserat, quum iste Dorotheum sic diligebat, ut diceres, omnia inter eos esse communia: Agathinum ita observabat, ut aliquem affinem ac propinquum. Contemnere etiam signum illud Himerae iam videbatur, quod eum multo magis figura et lineamenta hospitae delectabant. Itaque hortare homines coepit, ut aliquid Sthenio periculi crearent, criminisque confingerent. Dicebant se illi nihil habere, quod dicerent. Tum iste his aperte ostendit et confirmavit, eos in Sthenium, quidquid vellent, simul atque ad se detulissent, probaturos. Ita illi non procrastinant; Sthenium statim educnnt: aiunt ab eo literas publicas esse corruptas. Sthenius postulat, ut quum secum sui cives agant de literis publicis corruptis, eiusque rei legibus Thermitanorum actio sit: quum senatus populusque romanus Thermitanis, quod semper in amicitia fideque mansissent, urbem, agros, legesque suas reddidisset; Publiusque Rupilius postea leges ita Siculis ex senatusconsulto de decem legatorum sententia dedisset, ut cives inter se legibus suis agerent, idemque hoc habuerit Verres ipse in edicto: ut de his omnibus causis se ad leges suas reiiceret. Iste, homo omnium aequissimus, atque a cupiditate remotissimus, se cogniturum esse confir-

Eiusque rei) Edebatur in plerisque *eiusce rei*. Correxit Ern. ex edd. pr. et eod. Metell.

Vrbem) Hoc Ern. enm Graev. recepit e MS. Nann. pro vulg. *urbes*.

Ad leges suas) Addidi *suas* de Wittenbachii sententia Bibl. Crit. vol. I, P. II, p. 10. Sensus enim est: Sthenius postulabat ut Verres de his omnibus causis *propter has omnes rationes se* (*Sthenium*) *ad suas leges* (scil. Siculas) *reiiceret*. Quod quum Ernestius non attenderet, et verba de *omnibus causis* acciperet de omni harum accusationum genere, frustra in h. l. tricatus est.

Atque a cupiditate) Ald. addidit *omnium*, quod abest Ms. Nann. Met.

mat: paratum ad causam dicendam venire hora octava iubet. Non erat obscurum, quid homo improbus ac nefarius cogitaret. Neque enim ipse satis occultarat, nec mulier tacere poterat. Intellectum est, id istum agere, ut, quum Sthenium, sine ullo argumento, ac sine teste, damnasset, tum homo nefarius de homine nobili, atque id aetatis, suoque hospite, virgis supplicium crudelissime sumeret.

XXXVIII. Quod quum esset perspicuum, de amicorum hospitumque suorum sententia Thermis Sthenius Romam profugit. Hiemi sese fluctibusque committere maluit, quam non istam communem Siculorum tempestatem calamitatemque vitare. Iste, homo certus et diligens, ad horam octavam praesto est. Sthenium citari iubet: quem posteaquam videt non adesse, dolore ardere, atque iracundia furere coepit; Venerios in domum Sthenii mittere; equites circum agros eius villasque dimittere. Itaque dum exspectat, quidnam sibi certi afferatur, ante horam tertiam noctis de foro non discessit. Postridie mane descendit; Agathinum ad sese vocat; iubet, eum de literis publicis in absentem Sthenium dicere. Erat eiusmodi causa, ut ille ne sine adversario quidem, apud inimicum iudicem, reperire posset, quid diceret. Itaque tantum verbo posuit, Sacerdote praetore, Sthenium literas publicas corrupisse. Vix ille hoc dixerat, quum iste pronuntiat, STHENIVM LITERAS PVBLICAS CORRVPISSE VIDERI: et haec praeterea addidit homo Venerius, novo modo,

edd. pr. recte a Graevio Ernestioque deletum.

Hora octava) *Hora nona* dederunt Grut. Oliv. Lall. alii e codd. Mel. Fabr.

Nec mulier tacere poterat) Ernestius, quia praecedit *occultorat*, mavult *nec mulier* (sc. Callidama) *tacere potuerat*. Sed verum est *poterat*; requiritur enim hic tempus infinitum.

Id istum agere) *Istum* ex edd. pr. Graev. et Ern. recte restituerunt pro vulg. *ipsum*.

Novo modo) Ernestio placebat *novo more*, quod est usitatius.

nullo exemplo, OB EAM REM HS QVINDECIES VENERI ERYCINAE DE STHENII BONIS EXACTVRVM; bonaque eius statim coepit vendere; et vendidisset, si tantulum morae fuisset, quo minus ei pecunia illa numeraretur. Ea posteaquam numerata est, contentus hac iniquitate non fuit: palam de sella ac tribunali pronuntiat, SI QVIS ABSENTEM STHENIVM REI CAPITALIS REVM FACERE VELLET, SESE EIVS NOMEN RECEPTVRVM: et simul, ut ad causam accederet, nomenque deferret, Agathinum, novum affinem atque hospitem, coepit hortari. Tum ille clare, omnibus audientibus, sese id non esse facturum, neque se usque eo Sthenio esse inimicum, ut eum rei capitalis affinem esse diceret. Hic tum repente Pacilius quidam, homo egens et levis, accedit. Ait, si liceret, nomen absentis deferre se velle. Iste vero, et licere et fieri solere, et se recepturum. Itaque defertur. Edicit statim, ut Kalendis Decembr. adsit Sthenius Syracusis. Hic, qui Romam venisset, satisque feliciter anni iam adverso tempore navigasset, omniaque habuisset aequiora et placabiliora, quam animum praetoris atque hospitis, rem ad amicos suos detulit: quae, ut erant acerba atque indigna, sic videbantur omnibus.

XXXIX. Itaque in senatu continuo Cn. Lentulus et L. Gellius consules faciunt mentionem, placere statui, si patribus conscriptis videretur, NE ABSENTES

QVINDECIES) Vulgo est *QVINGENTIES*, quam summam Holomannus recte coniiciebat maiorem esse, quam verisimile sit. Immo certissimum est falsum esse hunc numerum, quia Cicero alibi, ut Act. I in Verr. cap. 18, omnem pecuniam quam Verres ex Sicilia contra leges abstulerit *quadringenties* fuisse dixit. Ergo rescripsi *quindecies*. Holomanno videbatur legendum *quingenta millia*.

Affinem esse diceret) Wyttenbachio l. l. *affinem* frigere videtur ortumque a librarii negligentia, cui ex proximis illud in mente versaretur. Itaque malebat *reum*. Si tamen hoc Cicero scripsisset, reliqua sic exarasset: *ut e. r. c. reum facere vellet.*

HOMINES IN PROVINCIIS REI FIERENT RERVM CAPITALIVM. Causam Sthenii totam, et istius crudelitatem et iniquitatem senatum docent. Aderat in senatu Verres, pater istius, et flens unumquemque senatorem rogabat, ut filio suo parceret; neque tamen multum proficiebat. Erat enim summa voluntas senatus. Itaque sententiae dicebantur: QVVM STHENIVS ABSENS REVS FACTVS ESSET, DE ABSENTE IVDICIVM NVLLVM FIERI PLACERE; ET, SI QVOD ESSET FACTVM, ID RATVM ESSE NON PLACERE. Eo die transigi nihil potuit, quod et id temporis erat, et ille, pater istius, invenerat homines, qui dicendo tempus consumerent. Postea senex Verres defensores atque hospites omnes Sthenii convenit; rogat eos atque orat, ne oppugnent filium suum; de Sthenio ne laborent; confirmat his, curaturum se esse, ne quid ei per filium suum noceatur; se homines certos eius rei causa in Siciliam et terra et mari missurum. Et erat spatium dierum fere triginta ante Kalendas Decembr. quo die iste, ut Syracusis Sthenius adesset, edixerat. Commoventur amici Sthenii, sperant fore, ut patris literis nuntiisque filius ab illo furore revocetur. In senatu postea causa non agitur. Veniunt ad istum domestici nuntii, literasque a patre afferunt ante Kalendas Decembr. quum isti etiam tum de Sthenio integra tota res esset; eodemque ei tempore de eadem re literae complures a multis eius amicis ac necessariis afferuntur.

XL. Hic iste, qui prae cupiditate neque officii sui, neque periculi, neque pietatis, neque humanitatis rationem habuisset unquam, neque in eo, quod mo-

Noceatur) Sic Ern. pro vulg. *noceretur*, praesens enim convenit antecedentibus *oppugnent*, *laborent*.

Ab illo furore) Ita cod. Lamb. Metell. Et receperunt Graev. Beck. Vulgo *incepto furore*. Lamb. coni. ab *incepto revocetur*. Ernestio placebat *ab incepto et furore*.

nebatur, auctoritatem patris, nec in eo, quod rogabatur, voluntatem anteponendam putavit libidini suae; mane Kalendis Decembr., ut edixerat, Sthenium citari iubet. Si abs te istam rem parens tuus, alicuius amici rogatu, benignitate aut ambitione inductus, petisset: gravissima tamen apud te voluntas patris esse debuisset; quum vero abs te tui capitis causa peteret, hominesque certos domo misisset, hique eo tempore ad te venissent, quum tibi in integro tota res esset, ne tum quidem te potuit, si non pietatis, at salutis tuae ratio ad officium sanitatemque reducere? Citat reum. Non respondet. Citat accusatorem (attendite, quaeso, iudices! videte, quantopere istius amentiae fortuna ipsa adversata sit; et simul videte, quis Sthenii causam casus adiuverit); citatus accusator, M. Pacilius, nescio quo casu, non respondit, non affuit. Si praesens Sthenius reus esset factus; si manifesto in maleficio teneretur: tamen, quum accusator non adesset, Sthenium condemnari non oporteret. Etenim, si posset reus, absente accusatore, damnari, non ego a Vibone Veliam parvulo navigio inter fugitivorum ac praedonum ac tua tela venissem, quo tempore omnis illa mea festinatio fuit cum periculo capitis, ob eam causam, ne tu ex reis eximerere, si ego non affuissem ad diem. Quod igitur tibi erat in tuo iudicio optatissimum, me, quum citatus essem, non adesse: cur Sthenio non putasti prodesse oportere, quum eius accusator non affuisset? Itaque fecit, ut exitus principio simillimus reperiretur. Quem absentem reum fecerat, eum absente accusatore condemnat.

Voluntatem) Ernestius inseruit *amicorum*, quod iure repudiavit Beckius. Nam et paulo post commemoratur *voluntas patris*.

Videte) abest in codd. Mel. et Pall. quod placuit Grutero.

XLI. Nuntiabatur illi primis illis temporibus id, quod pater quoque ad eum pluribus verbis scripserat, agitatam rem esse in senatu; etiam in concione tribunum plebis de causa Sthenii M. Palicanum esse questum; postremo me ipsum apud collegium hoc tribunorum plebis, quum eorum omnium edicto non liceret quemquam Romae esse, qui rei capitalis condemnatus esset, egisse causam Sthenii; quum rem ita exposuissem, quemadmodum nunc apud vos, docuissemque hanc damnationem duci non oportere: tribunos plebis hoc statuisse, idque de omnium sententia pronuntiatum esse, NON VIDERI STHENIVM IMPEDIRI EDICTO, QVO MINVS EI LICERET ROMAE ESSE. Quum haec ad istum afferrentur, timuit aliquando, et commotus est. Vertit stilum in tabulis suis; quo facto causam omnem evertit suam. Nihil enim sibi reliqui fecit, quod defendi aliqua ratione posset. Nam si ita defenderet: recipi nomen absentis licet; hoc fieri in provincia nulla lex vetat: mala et improba defensione, verum aliqua tamen uti videretur. Postremo illo desperatissimo perfugio uti posset, se imprudentem fecisse, existimasse id licere. Quamquam haec perditissima defensio est, tamen aliquid dici videretur. Tollit ex tabulis id, quod erat, et facit, coram delatum esse.

XLII. Hic videte, in quot se laqueos induerit, quo-

Timuit) Cod. Fabr. et Met. *pertimuit* probatum a Lamb. et Grut. a Graevio receptum. Sed bene monuit Ern. id verbum vehementius esse quam pro re et pro loco.

Vertit stilum) Delevit quae antea scripserat. Stili pars altera, qua veteres ad scribendum in tabulis ceratis utebantur, in acumen desinebat, altera autem erat plana, et apta ad id delendum quod scriptum fuerat, ut aliud aliquid scriberetur. Hinc nata est familiaris illa veteribus locutio, *stilum vertere*, pro *delere*. Horat. I, Sat. 10, 72: *Saepe stilum vertas.* HORTENS.

Quamquam haec) *Haec* omiserunt Grut. Ern.

rum ex nullo se unquam expediret. Primum ipse in Sicilia saepe et palam de loco superiore dixerat, et in sermone multis demonstrarat, licere nomen recipere absentis: se exemplo fecisse id, quod fecisset. Haec eum dictitasse, priore actione et Sex. Pompeius Chlorus dixit, de cuius virtute antea commemoravi, et Cn. Pompeius Theodorus, homo et Cn. Pompeii, clarissimi viri, iudicio plurimis maximisque in rebus probatissimus, et omnium existimatione ornatissimus, et Posides Matro Solentinus, homo summa nobilitate, existimatione, virtute: et hac actione quam voletis multi dicent, et qui ex isto ipso audierint, viri primarii nostri ordinis, et alii, qui interfuerint, quum absentis nomen reciperetur. Deinde Romae, quum res esset acta in senatu, omnes istius amici, in his etiam pater eius hoc defendebat licere fieri; saepe esse factum; istum, quod fecisset, aliorum exemplo institutoque fecisse. Dicit praeterea testimonium tota Sicilia; quae, in communibus postulatis civitatum omnium, consulibus edidit, rogare atque orare patres conscriptos, ut statuerent, ne absentium nomina reciperentur. Qua de re Cn. Lentulum, patronum Siciliae, clarissimum adolescentem, dicere audistis: Siculos, quum se causam, quae pro his sibi in senatu agenda esset, docerent, de Sthenii calamitate questos esse; propterque hanc iniuriam, quae Sthenio facta esset, eos statuisse, ut, quod dico, postularetur. Quae quum ita essent, tantane amentia praeditus atque audacia fuisti, ut in re tam clara, tam testata, tam abs te ipso pervulgata, tabulas publicas corrumpere auderes? At quemadmodum corrupisti? Nonne

Haec eum dictitasse) Sic codd. Met. Fabr. Pall. edd. pr. In seqq. nonnullis *dictasse*.

ita, ut, omnibus nobis tacentibus, ipsae te tuae tabulae condemnare possent? — Cedo, quaeso, codicem; circumfer; ostende. — Videtisne totum hoc nomen, coram ubi facit delatum, esse in litura? Quid fuit istic antea scriptum? quod mendum ista litura correxit? Quid a nobis, iudices, exspectatis argumenta huius criminis? Nihil dicimus; tabulae sunt in medio, quae se corruptas atque interlitas esse clamant. Ex istis etiam tu rebus effugere te posse confidis, quum te nos non opinione dubia, sed tuis vestigiis persequamur, quae tu in tabulis publicis expressa ac recentia reliquisti? Is mihi etiam Sthenium literas publicas corrupisse, causa incognita, iudicavit, qui defendere non potuerit, se non in ipsius Sthenii nomine literas publicas corrupisse?

XLIII. Videte porro aliam dementiam; videte, ut, dum expedire sese vult, induat. Cognitorem adscribit Sthenio. Quem? Cognatum aliquem, aut propinquum? non. Thermitanum aliquem, honestum hominem ac nobilem? ne id quidem. At Siculum, in quo aliquis splendor dignitasque esset? minime. Quem igitur? civem romanum. Cui hoc probari potest? Quum esset Sthenius civitatis suae nobilissimus, amplissima cognatione, plurimis amicitiis; quum praeterea tota Sicilia multum auctoritate et gratia posset; invenire neminem Siculum potuit, qui pro se cognitor fieret?

Circumfer) Vulgo: *quaeso, codicem circumfer.* At in cod. Nann. et Mel. repertum *cedo, quaeso, codicem; circumfer;* quod cum Graevio recepimus. Nam quod Ern. contendit nusquam a Cicerone *cedo* et *quaeso* componi, id Schellerus confutavit allato loco Brut. c. 86.

Quod mendum ista litura) *Quam mendum ista denique litura* corr. P. Victor. Var. Lect. III, 2.

In ipsius Sthenii nomine) Sic Lamb. Vulgo *ex ipsius Sthenii nomine*, quod Ern. ita excusandum putat, ut *ex* positum sit pro *in*, ut in formula *ex qua parte laborat* et similibus. Graevius delevit *ex*, quod abest cod. Metell.

Quem igitur?) Sic Lambinus. Vulg. *quid igitur?* scil. fecit.

Hoc probabis? An ipse civem romanum maluit? Cedo, cui Siculo, quum is reus fieret, civis romanus cognitor factus unquam sit? Omnium praetorum literas, qui ante fuerunt, profer, explica. Si unum inveneris, ego hoc tibi, quemadmodum in tabulis scriptum habes, ita gestum esse concedam. At, credo, Sthenius hoc sibi amplum esse putavit, eligere e civium romanorum numero, ex amicorum atque hospitum suorum copia, quem cognitorem daret. Quem delegit? quis in tabulis scriptus est? C. Claudius, C. F. Palatina. Non quaero, quis hic sit Claudius, quam splendidus, quam honestus, quam idoneus, propter cuius auctoritatem et dignitatem Sthenius ab omnium Siculorum consuetudine discederet, et civem romanum cognitorem daret. Nihil horum quaero. Fortasse enim Sthenius non splendorem hominis, sed familiaritatem sequutus est. Quid? si omnium mortalium Sthenio nemo inimicior, quam hic C. Claudius, tum semper, tum in his ipsis rebus et temporibus fuit? si de literis corruptis contra venit? si contra omni ratione pugnavit? utrum potius pro Sthenio inimicum cognitorem esse factum, an te in Sthenii periculo inimici eius nomine abusum esse credemus?

XLIV. Ac, ne quis forte dubitet, cuiusmodi totum sit negotium, tametsi iamdudum omnibus istius improbitatem perspicuam esse confido, tamen paululum etiam attendite. Videtis illum subcrispo capillo, nigrum, qui eo vultu nos intuetur, ut sibi ipse peracutus esse videatur? qui tabulas tenet? qui scribit?

Hoc probabis?) Sic Manut. cod. Met. probante Lambino. Est enim i. q. *hoccine alicui persuadebis*. In codd. et edd. nonnullis *probabitis*.

Qui ante fuerunt) *Ante te* coni. Hotom. et recepit Lambin.

Si de literis corruptis contra venit?) Si acerrimum se adversarium in illa causa praebuit. Hotom.

In Sthenii periculo) Sic Lambin. At in edd. pr. est *periculum*.

qui monet? qui proximus est? Is est C. Claudius, qui in Sicilia sequester istius, interpres, confector negotiorum, prope collega Timarchidi numerabatur: nunc obtinet eum locum, ut vix Apronio illi de familiaritate concedere videatur, et qui se non Timarchidi, sed ipsius Verris collegam et socium esse dicebat. Dubitate etiam, si potestis, quin eum iste potissimum ex omni numero delegerit, cui improbam falsi cognitoris personam imponeret, quem et huic inimicissimum, et sibi amicum esse arbitraretur. Hic vos dubitabitis, iudices, tantam istius audaciam, tantam crudelitatem, tantam iniuriam vindicare? Dubitabitis exemplum iudicum illorum sequi, qui, damnato Cn. Dolabella, damnationem Philodami Opuntii resciderunt, quod is non absens reus factus esset, quae res iniquissima et acerbissima est, sed quum ei legatio Romam a suis civibus esset data? Quod illi iudices multo in leviore causa statuerunt, aequitatem sequuti, vos id statuere in gravissima causa, praesertim aliorum auctoritate iam confirmatum, dubitabitis?

XLV. At quem hominem, C. Verres, tanta, tam

Obtinet — videatur) *Obtinebat — videretur* Lambin.

Timarchidi) Vulgo *Timarchidis*. Sed quia altera genitivi forma *Timarchidi* proxime praecedit, non est verisimile Ciceronem hanc statim mutasse.

Cui improbam falsi cognitoris personam) Ita cod. Nann. At Graev. *cui hanc falsi cognitoris improbam personam*, quem sequutus est Ern. In cod. Metell. legebatur *cui hanc cognitoris falsi improbam personam*.

Dubitabitis exemplum) Ita cod. Nann. et Graev. Ern. Vulgo *hic vos dubitatis — Dubitatis exemplum*.

Philodami Opuntii) Philodamus Opuntius (alius a Philodamo Lampsaceno, cuius mentio fit Verr. I, 25) a Dolabella, Ciliciae praetore in leviore quadam causa damnatus est. Quum autem Dolabella a Scauro repetundarum accusatus et damnatus esset, iudices Philodami damnationem resciderunt, etsi non absens reus factus erat, tamen propterea quod esset accusatus, quum ei iam legatio Romam a civibus suis data esset, quod scil. iniquum videbatur eum, qui mox legationis causa Romam profecturus erat, reum fieri, antequam hanc legationem obiisset, ab eaque rediisset. Fortasse autem legendum: *non quod is absens reus f. e.*

insigni iniuria affecisti? Cuius absentis nomen recepisti? Quem absentem, non modo, sine crimine, et sine teste, verum etiam sine accusatore damnasti? Quem hominem? dii immortales! non dicam amicum tuum, quod apud homines carissimum est; non hospitem, quod sanctissimum est; nihil enim minus libenter de Sthenio commemoro, nihil aliud in eo, quod reprehendi possit, invenio, nisi quod homo frugalissimus, atque integerrimus, te, hominem plenum stupri, flagitii, sceleris, domum suam invitavit; nisi quod, qui C. Marii, Cn. Pompeii, C. Marcelli, L. Sisennae, tui defensoris, ceterorumque virorum fortissimorum hospes fuisset atque esset, ad eum numerum clarissimorum hominum tuum quoque nomen adscripsit.

XLVI. Quare de hospitio violato, et de isto tuo nefario scelere nihil queror: hoc dico, non iis, qui Sthenium norunt, hoc est, nemini eorum, qui in Sicilia fuerunt; nemo enim ignorat, quo hic in civitate sua splendore, qua apud omnes Siculos dignitate atque existimatione sit; sed, ut illi quoque, qui in ea provincia non fuerunt, intelligere possint, in quo homine tu statueris exemplum eiusmodi, quod tum propter iniquitatem rei, tum etiam propter hominis dignitatem, acerbum omnibus atque intolerandum videretur. Estne Sthenius is, qui omnes honores domi suae facillime quum adeptus esset, amplissime ac magnificentissime gessit? qui oppidum non maximum, maximis ex pecunia sua locis communibus

Iniuria affecisti) Lambinus post *affecisti* in cod. MS. invenit ista: *quem hominem absentem de literis corruptis, causa incognita condemnasti?* Eaque in codicem recepit. Ego vero ea glossatori deberi arbitror; nec absum a suspicione, illa quoque *cuius absentis — nomen recepisti* ab aliena manu esse.

Domi suae) *Suae* delendum putabat I. Fr. Gronov. obss. I, 12, quod hoc addito privata domus non patria

monumentisque decoravit? cuius de meritis in rem publicam Thermitanorum, Siculosque universos, fuit aenea tabula fixa Thermis in curia, in qua publice erat de huius beneficiis scriptum et incisum? quae tabula tum imperio tuo revulsa, nunc a me tamen deportata est, ut omnes huius honores inter suos, et amplitudinem possent cognoscere. Estne hic, qui apud Cn. Pompeium, clarissimum virum, quum accusatus esset, quod propter C. Marii familiaritatem et hospitium, contra rem publicam sensisse eum inimici et accusatores eius dicerent, quum magis invidioso crimine, quam vero arcesseretur: ita a Cn. Pompeio absolutus est, ut in eo ipso iudicio Pompeius hunc hospitio suo dignissimum statuerit? ita porro laudatus defensusque ab omnibus Siculis, ut idem Pompeius non ab homine solum, sed etiam a provincia tota se huius absolutione inire gratiam arbitraretur? Postremo, estne hic, qui et animum in rem publicam habuit eiusmodi, et tantum auctoritate apud suos cives potuit, ut perficeret in Sicilia solus, te praetore, quod non modo Siculus nemo, sed ne Sicilia quidem tota potuisset: ut ex oppido Thermis nullum signum, nullum ornamentum, nihil ex sacro, nihil de publico attingeres; quum praesertim essent multa praeclara, et tu omnia concupisses? Denique nunc vide, quid inter te, cuius nomine apud Siculos dies festi agitantur, et praeclara illa Verrea celebrantur, cui statuae Romae stant inauratae, a communi

intelligatur. Contraria tamen exempla alia adduxit filius, Verr. II, 28; III, 23.

Deportata) in curiam, id est refixa, restituta. HOTOM. Edd. pr. *reportata*. Vetus, *Inde a me deportata est*. Et rectius. Non enim *tabulam* in locum suum Thermis restitui, sed Romam eam secum ad iudicium extulit. NAN.

Apud Cn. Pompeium) Quum in Sicilia fuit, Carbonem persequens, Marianarum partium ducem. HORTENS.

Siciliae, quemadmodum inscriptum videmus, datae: vide, inquam, quid inter te, et hunc Siculum, qui abs te est, patrono Siciliae, condemnatus, intersit. Hunc civitates ex Sicilia permultae, testimonio suo, legationibusque ob eam rem missis, publice laudant: te omnium Siculorum patronum, una Mamertina civitas, socia furtorum ac flagitiorum tuorum, publice laudat: ita tamen, novo more, ut legati laedant, legatio laudet; ceterae quidem civitates publice literis, legationibus, testimoniis accusant, queruntur, arguunt; si tu absolutus sis, funditus eversas se esse arbitrantur.

XLVII. Hoc de homine, ac de huius bonis, etiam in Erycino monte monumentum tuorum flagitiorum crudelitatisque posuisti: in quo Sthenii thermitani nomen adscriptum est. Vide argenteum Cupidinem cum lampade. Quid tandem habuit argumenti aut rationis res, quamobrem in eo potissimum Sthenianum praemium poneretur? Vtrum hoc signum cupiditatis tuae, an tropaeum necessitudinis atque hospitii, an amoris indicium esse voluisti? Faciunt hoc homines, quos in summa nequitia non solum libido et voluptas, verum etiam ipsius nequitiae fama delectat, ut multis in locis notas ac vestigia flagitiorum suorum relinqui velint. Ardebat amore illius hospitae, propter quam hospitii iura violarat. Hoc non solum sciri tum, verum etiam commemorari semper volebat. Itaque ex illa ipsa re, quam, accusante Agathino, gesserat, Veneri potissimum deberi pracmium statuit, quae illam totam accusationem iudiciumque conflarat. Putarem te gratum

Ob eam rem) Sic Lamb. Grut. et seqq. Edd. vett. *ad eam rem.*

Flagitiorum) Vulgo *scelerum*. Melius Lambin. *flagitiorum* quod est verbum proprium ubi de libidinibus et nequitia voluptatum agitur.

Vide arg. Cup.) Alii *Vidi. arg. C.*

Quae illam totam accusationem) Nam ob amorem hospitae, cuius et vir et pater inimici erant Sthenio, recepta erat absentis a Verre et delatio et accusatio. Hotom.

in deos, si hoc donum Veneri non de Sthenii bonis dedisses, sed de tuis; quod facere debuisti, praesertim quum tibi illo ipso anno a Chelidone venisset hereditas. Hic ego, si hanc causam non omnium Siculorum rogatu recepissem; si hoc a me muneris non universa provincia poposcisset; si me animus atque amor in rem publicam existimatioque offensa nostri ordinis ac iudiciorum non hoc facere coëgisset, atque haec una causa fuisset, quod amicum atque hospitem meum Sthenium, quem in quaestura mea singulariter dilexissem, de quo optime existimassem, quem in provincia existimationis meae studiosissimum cupidissimumque cognossem, tam crudeliter, scelerate, nefarieque tractasses: tamen digna causa videretur, cur inimicitias hominis improbissimi susciperem, ut hospitis salutem fortunasque defenderem. Fecerunt hoc multi apud maiores nostros; fecit etiam nuper homo clarissimus, Cn. Domitius, qui M. Silanum, consularem virum, accusavit propter Egritomari transalpini hospitis iniurias. Putarem me idoneum, qui exemplum sequerer humanitatis atque officii, proponeremque spem meis hospitibus ac necessariis, quo tutiorem vitam sese meo praesidio victuros esse arbitrarentur. Quum vero in communibus iniuriis totius provinciae, Sthenii quoque causa contineatur, multique uno tempore a me hospites atque amici publice privatimque defendantur: profecto vereri non debeo, ne quis hoc, quod facio, non existimet me summi officii ratione impulsum coactumque suscepisse.

XLVIII. Atque, ut aliquando de rebus ab isto co-

Tamen digna causa videretur) Edd. pr. et codd. Pall. *tamen digna causa, cur*. Graev. et alii *tamen digna causa esset cur*. Ego scripturam codd. Fabr. et Metell. praeferendum duxi. Nam *videretur* bene respondet sequenti *putarem me idoneum*.

gnitis iudicatisque, et de iudiciis datis dicere desistamus; et, quoniam facta istius in his generibus infinita sunt, nos modum aliquem, et finem orationi nostrae, criminibusque faciamus: pauca ex aliis generibus sumemus. Audistis ob ius dicundum, Q. Varium dicere, procuratores suos isti centum et triginta millia nummum dedisse; meministis Q. Varii testimonium, remque hanc totam C. Sacerdotis, hominis ornatissimi, testimonio comprobari: scitis, Cn. Sertium, M. Modium, equites romanos, sexcentos praeterea cives romanos, multosque siculos dixisse, se isti pecuniam ob ius dicundum dedisse. De quo crimine quid ego disputem, quum id totum positum sit in testibus? quid porro argumenter, qua de re dubitare nemo possit? An hoc dubitabit quisquam omnium, quin is venalem in Sicilia iurisdictionem habuerit, qui Romae totum edictum atque omnia decreta vendiderit? quin is ab Siculis ob decreta interponenda pecuniam acceperit, qui M. Octavium Ligurem ob ius dicundum poposcerit?

XLIX. Quod enim iste praeterea genus pecuniae cogendae praeteriit? quod non, ab omnibus aliis praeteritum, excogitavit? Ecqua res apud civitates siculas expetitur, in qua aut honos aliquis sit, aut potestas, aut procuratio, quin eam rem tu ad tuum quaestum nundinationemque hominum traduxeris? Dicta sunt priore actione et privatim et publice testimonia; legati Centuripini, Halesini, Catinenses, Panormitanique dixerunt, multarum praeterea civitatum; iam

Sumemus) *Sumamus* Lambin.

Acceperit) *Ceperit* Lamb.

Quod enim iste praeterea) Suspicor legendum: *Quod enim iste genus pecuniae cogendae praeteriit.* Nam illud *praeterea* inculcatum languet, et ob sequens *praeteriit* male sonat. Fieri tamen potest ut Cicero scripserit *quod enim iste praetor*, quod Gulielmio in mentem venit.

vero privatim plurimi; quorum ex testimoniis cognoscere potuistis, tota Sicilia per triennium neminem ulla in civitate senatorem factum esse gratis; neminem, ut leges eorum sunt, suffragiis; neminem, nisi istius imperio, aut literis; atque in his omnibus senatoribus cooptandis non modo suffragia nulla fuisse, sed ne genera quidem spectata esse, ex quibus in eum ordinem cooptari liceret, neque census, neque aetatis, neque cetera Siculorum iura valuisse. Quicumque senator voluerit fieri, quamvis puer, quamvis indignus, quamvis ex eo loco, ex quo non liceret; si is pretio apud istum fieret idoneus, ut vinceret, factum esse semper: non modo Siculorum nihil in hac re valuisse leges, sed ne ab senatu quidem populoque romano datas. Quas enim leges sociis amicisque dat is, qui habet imperium a populo romano, auctoritatem legum dandarum a senatu: hae debent et populi romani et senatus existimari. Halesini pro multis et magnis suis maiorumque suorum in rem publicam nostram meritis atque beneficiis, suo iure nuper, L. Licinio, Q. Mucio consulibus, quum haberent inter se controversias de senatu cooptando, leges ab senatu nostro petiverunt. Decrevit senatus honorifico senatus consulto, ut his C. Claudius, Appii filius, Pulcher, praetor, de senatu cooptando, leges conscriberet. C. Claudius, adhibitis omnibus Marcellis;

Cooptandis) suspectum fuit Ernestio. Equidem vel hoc genuinum, vel si delendum sit, omnino etiam ista *in his omnibus senatoribus* delenda putem, ut sententia sic procedat: *atque non modo suffragia nulla fuisse.*

Fieret idoneus, ut vinceret) Sic codd. Pall. edd. vett. quod ita explicatur, ut sit i. q. *idoneus qui vinceret.* At si vera est lectio, malim cum Beckio ita construere, *si fieret idoneus, factum esse semper, ut vinceret.* Codd. Nann. Met. *apud istum idoneus vinceret, factum.* Ern. coni. *si is pretio vinceret*, vel *si is pretio fieret idoneus.*

Consulibus) A. V. C. 658.

qui tum erant, de eorum sententia leges Halesinis dedit: in quibus multa sanxit de aetate hominum, ne qui minor triginta annis natu; de quaestu, quem qui fecisset, ne legeretur; de censu, de ceteris rebus. Quae omnia, ante istum praetorem, et nostrorum magistratuum auctoritate, et Halesinorum summa voluntate valuerunt. Ab isto et praeco, qui voluit, istum ordinem pretio mercatus est, et pueri annorum senum septenumque denum, senatorium nomen nundinati sunt: et quod Halesini, antiquissimi et fidelissimi socii atque amici, Romae impetrarant, ut apud se ne suffragiis quidem fieri liceret, id pretio ut fieri posset, effecit.

L. Agrigentini de senatu cooptando Scipionis leges antiquas habent; in quibus et eadem illa sancta sunt, et hoc amplius: Quum Agrigentinorum duo genera sint, unum veterum, alterum colonorum, quos C. Mamilius praetor ex senatusconsulto de oppidis Siculorum deduxit Agrigentum; cautum est in Scipionis legibus, ne plures essent in senatu ex colonorum numero, quam ex veterum Agrigentinorum. Iste, qui omnia iura pretio exaequasset, omniumque rerum delectum atque discrimen pecunia sustulisset, non modo illa, quae erant aetatis, ordinis, quaestusque, permiscuit, sed etiam in his duobus generibus, civium novorum veterumque, delectum ordinemque turbavit. Nam,

Ne qui) Ita cod. Nann. Franc. probante Graevio. Vulgo *ne quis*.

Annis natu) Garat. *natus* legi mavult.

C. Mamilius) Sic recte correxit Pighius ad A. V. C. 546: vulg. *T. Manlius praetor*. Nam postquam M. Valerius in secundo consulatu Siciliam obtinens Agrigentum Annone praefecto pulso receperat, triennio post A. 546 C. Mamilius L. F. L. N. Vitulus Agrigentum restauravit, residuos ex clade cives in urbem revocavit, et colonos ex oppidis Siculorum eo deduxit (Liv. XXVII, 36).

Ex veterum) Ita cum Man. Lamb. Graev. Pigh. e coniectura Hotomanni rescripsi pro vulg. *vetere*, quod Ern. cum Grutero defendit.

quum esset ex veterum numero quidam senator demortuus, et quum ex utroque genere par numerus reliquus esset: veterem cooptari necesse erat legibus, ut is amplior numerus esset. Quae quum ita se res haberet, tamen ad istum venerunt emptum locum illum senatorium non solum veteres, sed etiam novi. Fit, ut pretio novus vincat, literasque a praetore auferat. Agrigentini ad istum legatos mittunt, qui eum leges doceant, consuetudinemque omnium annorum demonstrent: ut iste intelligeret, ei se illum locum vendidisse, cui ne commercium quidem esse oporteret. Quorum oratione iste, quum pretium iam accepisset, ne tantulum quidem commotus est. Idem fecit Heracleae. Nam eo quoque colonos P. Rupilius deduxit, legesque similes de cooptando senatu, ac de numero veterum, ac novorum dedit. Ibi non solum iste, ut apud ceteros, pecuniam accepit, sed etiam genera veterum ac novorum, numerumque permiscuit. Nolite exspectare, dum omnes obeam oratione mea civitates. Hoc uno complector omnia, neminem isto praetore senatorem fieri potuisse, nisi qui isti pecuniam dedisset.

LI. Hoc idem transfero in magistratus, curationes, sacerdotia: quibus in rebus non solum hominum iura, sed etiam deorum religiones immortalium omnes repudiavit. Syracusis lex est de religione, quae in annos singulos Iovis sacerdotem sortito capi iubeat: quod apud illos amplissimum sacerdotium putatur. Quum suffragiis tres ex tribus generibus creati sunt, res revocatur ad sortem. Perfecerat iste imperio, ut

Cui ne commercium) Cui propter suam indignitatem, ne licere quidem oporteret de loco illo emendo agere. Eodem modo dixit Vlpianus, *commercium rei habere*, pro, rem aliquam iure suo vendere, aut emere. HORTENS.

De religione) Grutero suspectum.

pro suffragio Theomnastus familiaris suus in tribus illis renuntiaretur. In sorte, cui imperare non poterat, exspectabant homines, quidnam acturus esset. Homo, id quod erat facillimum, primo vetat sortiri: iubet extra sortem Theomnastum renuntiari. Negant id Syracusani per religiones sacrorum ullo modo fieri posse: fas denique negant esse. Iubet ille sibi legem recitari. Recitatur; in qua scriptum erat, VT, QVOT ESSENT RENVNTIATI, TOT IN HYDRIAM SORTES CONIICERENTVR: CVIVS NOMEN EXISSET, VT IS HABERET ID SACERDOTIVM. Iste, homo ingeniosus et peracutus, Optime, inquit; nempe scriptum ita est, *quot renuntiati erunt.* Quot ergo, inquit, sunt renuntiati? Responsum, tres — Numquid igitur oportet, nisi tres sortes coniici, unam educi? — Nihil. Coniici iubet tres, in quibus omnibus scriptum esset nomen Theomnasti. Fit clamor maximus, quum id universis indignum atque nefarium videretur. Ita Iovis illud sacerdotium amplissimum per hanc rationem Theomnasto datur.

LII. Cephaloedi mensis est certus, quo mense sacerdotem maximum creari oporteat. Erat eius honoris cupidus Artemo quidam, Climachias cognomine, homo sane locuples, et domi nobilis: sed is fieri nullo modo poterat, si Herodotus quidam adesset. Ei locus ille atque honos in illum annum ita deberi putabatur, ut ne Climachias quidem contra diceret. Res ad istum defertur, et istius more deciditur. Toreumata sane nota ac pretiosa auferuntur. Herodotus Romae erat: satis putabat se ad comitia tempore venturum, si pridie venisset. Iste, ne aut alio mense, ac fas erat,

Ingeniosus) Grul. *negotiosus*. At edd. vett. et MS. Franc. *ingeniosus*, quod recte praetulit Graevius.

Toreumata) Dicuntur proprie torno facta, itemque sculpta et caelata opera. FACC.

comitia haberentur, aut Herodoto praesenti honos adimeretur (id quod iste non laborabat, Climachias minime volebat), excogitat (dixi iamdudum; non est homo acutior quisquam, nec fuit) excogitat, inquam, quemadmodum mense illo legitimo comitia haberentur, nec tamen Herodotus adesse posset. Est consuetudo Siculorum, ceterorumque Graecorum, quod suos dies mensesque congruere volunt cum solis lunaeque ratione, ut nonnunquam, si quid discrepet, eximant unum aliquem diem, aut summum, biduum ex mense; quos illi ἐξαιρεσίμους dies nominant: item nonnunquam uno die longiorem mensem faciunt, aut biduo. Quae iste quum cognovisset, novus astrologus, qui non tam caeli rationem, quam caelati argenti duceret, eximi iubet non diem ex mense, sed ex anno unum dimidiatumque mensem; hoc modo, ut, quo die, verbi causa, esse oporteret Idus Ianua-

Climachias minime volebat) Nempe Verres facile vel alio mense, ac mos erat, comitia habuisset, aut Herodoto praesenti honorem ademisset, nisi Climachias obstitisset: qui minime volebat contra morem et leges sacerdos creari; etsi Verres id non laborabat, i. e. ipse eius moris rationem non habebat.

Ἐξαιρεσίμους) Ἐξαιρέσιμοι sunt, quae eximuntur de mense duplici ex causa, aut ut rationes solis cum lunaribus congruant, ut in anno veteri Graecorum, et in enneadecaëteride paschali, saltus lunae Latinis dictus, Graecis ὑποτομὴ σελήνης, aut ut solemnia festa cum feria septimanae, ut in anno iudaico. Ios. Scalig. 1 *de emend. temp.* in eodem libro ait, in anno graeco unum diem abundare, non quidem lunae supra annum, sed anni supra lunam. Huic rei remedium excogitatum esse τὴν ἐξαίρεσιν quum diem eximerent in aliquo mense, unde dies, quae eximebatur, dicta fuerit ἐξαιρέσιμος. Sed nihil certi de his diebus exemptilibus dici potest et definiri, quum videatur nonnunquam extra ordinem id fecisse Siculos. Tradit Geminus post annos 16, ut solis mutui responderet annus lunaris Graecorum, triduum exemptum esse de octaëteride graeca. Similis videtur fuisse, quae et Petavii est sententia, haec detractio, quum Siculi propter eandem causam extra ordinem diem unum, aut summum duos mensi alicui detraherent; idque faciebant, ut omnes menses sui cum sole et luna convenirent. Diebus his exemptilibus opponuntur intercalares. GRAEV.

Idus Ianuarias) Pontedera, quia Februarium illo tempore non XXVIII, sed XXIII dierum fuisse putat, cor-

rias, eo die Kalendas Martias proscriberet. Itáque fit, omnibus recusantibus et plorantibus. Dies is erat legitimus comitiis habendis. Eo modo sacerdos Climachias renuntiatus est. Herodotus quum Roma revertitur, diebus, ut ipse putabat, quindecim ante comitia, offendit eum mensem comitialem, comitiis iam ab hinc triginta diebus habitis. Tunc Cephaloeditani decreverunt intercalarium XLV dies longum, ut reliqui menses in suam rationem reverterentur. Hoc si Romae fieri posset, certe aliqua ratione expugnasset iste, ut dies XLV inter binos ludos tollerentur, per quos solos iudicium fieri posset.

LIII. Iam vero censores quemadmodum in Sicilia isto praetore creati sint, operae pretium est cognoscere. Ille enim est magistratus apud Siculos, qui diligentissime mandatur a populo, propter hanc causam, quod omnes Siculi ex censu quotannis tributa conferunt: in censu habendo potestas omnis aestimationis habendae summaeque faciundae censori permittitur. Itaque eum populus, cui maxime fidem suarum rerum habeat, maxima cura deligit: et propter magnitudinem potestatis hic magistratus a populo summa ambitione contenditur. In ea re iste nihil obscure facere voluit,

rigi vult *V Idus Ianonrias;* ot illi XLV dies efficiantur: cf. eius Antiquitates Grr. et Latt. p. 322.

Proscriberet) Cod. Nann. *proscribere iuberet.*

Recusantibus et plorantibus) In multis codd. et edd. vett. est *implorantibus*, unde Nann. coni. *deos hominesque implorantibus.*

Mensem comitialem) Nempe Herodotus redierat die XIV febr. h. e. XV diebus ante Kal. Mart. Quum autem Verres XLV dies exemisset, XIV febr. iam erat Cephaloedi XXXI Martii et comitia abhinc triginta diebus erant habita, scil. Kal. mart. e Verris institutione. Itaque non necesse est Lambinum imitari, qui sine codd. auctoritate rescripsit *eum mensem qui consequitur mensem comitialem.*

Inter binos ludos) Scil. inter ludos Romanos, et ludos Victoriae, ut bene monuit Manut.

Creati sint) Vulgo *sunt.* Ern. corr. *sint.* Indicativum defendit Goërenz. ad Cic. de Fin. IV, 24.

non in sortitione fallere, neque dies de fastis eximere. Nihil sane vafre, nec malitiose facere conatus est: sed, ut studia cupiditatesque honorum atque ambitiones ex omnibus civitatibus tolleret, quae res evertendae rei publicae solent esse, ostendit, sese in omnibus civitatibus censores esse facturum. Tanto mercatu praetoris indicto, concurritur undique ad istum Syracusas. Flagrabat domus tota praetoria studio hominum et cupiditate: nec mirum, omnibus comitiis tot civitatum unam in domum revocatis, tantaque ambitione provinciae totius in uno cubiculo inclusa. Exquisitis palam pretiis, et licitationibus factis, describebat censores binos in singulas civitates Timarchides. Is suo labore, suisque accessionibus, huius negotii atque operis molestia consequebatur, ut ad istum sine ulla sollicitudine summa pecunia referretur. Iam hic Timarchides quantam pecuniam fecerit, plane adhuc cognoscere non potuistis: verumtamen priore actione, quam varie, quam improbe praedatus esset, multorum ex testimoniis cognovistis.

LIV. Sed ne miremini, qua ratione hic tantum apud istum libertus potuerit, exponam vobis breviter, quid hominis sit: ut et istius nequitiam, qui illum secum habuerit, eo praesertim numero ac loco, et calamitatem provinciae cognoscatis. In mulierum corruptelis, et in omni eiusmodi luxuria atque nequitia, mirandum in modum reperiebam hunc Timarchidem ad istius flagitiosas libidines singularemque nequitiam

Suisque accessionibus) I. e. homines istos adeundo, compellando. Frustra Naugius coni. *accensionibus*, quia accensus fuerit Timarchides.

Molestia) In edd. pr. *molestiam*. Sed recte Lamb. Manut. e codd. Naug. Fabr. Mel. dederunt *molestia*. Haud scio tamen an verba *huius negotii atque operis molestia* a glossatore forte adscripta in contextum venerint. Certe aptius ista iungerentur proxime praecedentibus, si legeretur: *suscepta huius negotii atque operis molestia*.

natum atque aptum fuisse; investigare, adire, appellare, corrumpere, quidvis facere in eiusmodi rebus, quamvis callide, quamvis audacter, quamvis impudenter; eundem mira quaedam excogitasse genera furandi. Nam ipsum Verrem tantum avaritia semper hiante atque imminenti fuisse; ingenio et cogitatione nulla: ut, quidquid sua sponte faciebat, item ut vos Romae cognovistis, eripere potius, quam fallere videretur. Haec vero huius erat ars et malitia miranda, quod acutissime tota provincia, quid cuique accidisset, quid cuique esset necesse, indagare et odorari solebat: omnium adversarios, omnium inimicos diligenter cognoscere, colloqui, attentare; ex utraque parte causas, voluntates perspicere, facultates et copias; quibus opus esset, metum afferre; quibus expediret, spem ostendere; accusatorum et quadruplatorum quidquid erat, habebat in potestate; quod cuique negotii conflare volebat, nullo labore faciebat; istius omnia decreta, imperia, literas peritissime et callidissime venditabat. Ac non solum erat administer istius cupiditatum, verum etiam ipse sui meminerat aeque. Non solum nummos, si qui isti exciderant, tollere solebat, ex quibus pecuniam maximam fecit; sed etiam voluptatum flagitiorumque istius ipse reliquias colligebat. Itaque in Sicilia non Athenionem, qui nullum oppidum cepit, sed Timarchidem fugitivum omnibus oppidis per triennium scitote regnasse; in Timarchidi potestate sociorum populi romani antiquissimorum atque amicissimorum liberos, matresfamilias, bona, fortunasque omnes fuisse. Is igitur,

Excogitasse) Sic Ern. recte rescripsit pro vulg. *excogitare*. Refertur enim hoc verbum ad antecedens *reperiebam — fuisse*.

Timarchidi) Hanc genitivi formam Priscianus h. l. invenit (p. 706). Vulgo *Timarchidis* legebatur ante Graevium.

ut dico, Timarchides in omnes civitates, accepto pretio, censores dimisit. Comitia, isto praetore, censorum, ne simulandi quidem causa fuerunt.

LV. Iam hoc impudentissime: palam (licebat enim videlicet legibus) singulis censoribus denarii trecenti ad statuam praetoris imperati sunt. Censores CXXX facti sunt. Pecuniam illam ob censuram contra leges clam dederunt; haec denarium XXXIX millia palam salvis legibus contulerunt in statuam. Primum quo tantam pecuniam? Deinde quamobrem censores ad statuam tibi conferebant? Ordo aliquis censorum est collegium? Genus aliquod hominum? Nam aut publice civitates istos honores habent, aut generatim homines, ut aratores, ut mercatores, ut navicularii. Censores quidem qui magis, quam aediles? Ob beneficium? Ergo hoc fatebere, abs te haec petita esse (nam empta non audebis dicere): te eos magistratus hominibus, beneficii, non rei publicae causa, permisisse? Hoc autem quum tute fatebere, quisquam dubitabit, quin tu istam apud populos provinciae istius invidiam atque offensionem, non ambitionis, neque beneficiorum collocandorum, sed pecuniae conciliandae causa susceperis? Itaque illi censores fecerunt idem, quod in nostra re publica solent ii,

Pecuniam illam) Refertur ad narrationem c. 53 de exquisitis pro censura pretiis, ut non opus sit cum Lall. et cod. Pariss. rescribere *pec. aliam.*

Ordo aliquis — hominum?) Hotomanno placebat sic interpungi: *Ordo aliquis censorum est? Collegium? Genus aliquod hominum*; ut tres essent interrogationes: verum sic laborat structura primae interrogationis ad tertiam relatae. Praeterea Cicero quaerere non poterat, an collegium esset censorum. Vt enim collegia dicuntur consulum, praetorum, tribunorum, quidni etiam censorum?

Istos honores) Lallem. mavult *istum honorem.*

Nam empta) Recte sic ed. 1473, Graev. aliique et nuper Beckius. Nam *erepta* quod inde a Naugerio venit in edd. Grut. Ern. sensum commodum non habet.

qui per largitionem magistratus adepti sunt; dederunt operam, ut ita potestatem gererent, ut illam lacunam rei familiaris explerent. Sic census habitus est, te praetore, ut eo censu nullius civitatis res publica posset administrari. Nam locupletissimi cuiusque census extenuarant, tenuissimi auxerant. Itaque in tributis imperandis tantum oneris plebi imponebatur, ut, etiamsi homines tacerent, res ipsa illum censum repudiaret: id quod intelligi facillime re ipsa potest.

LVI. Nam L. Metellus, qui, posteaquam ego inquirendi causa in Siciliam veni, repente Letilii adventu, istius non modo amicus, verumetiam cognatus factus est; is, quod videbat istius censum stare nullo modo posse, eum censum observari iussit, qui viro fortissimo atque innocentissimo Sex. Peducaeo praetore habitus esset. Erant enim tum censores legibus facti, delecti a suis civitatibus: quibus, si quid commisissent, poenae legibus erant constitutae. Te autem praetore, qui censor aut legem metueret, qua non tenebatur, quoniam creatus lege non erat; aut animadversionem tuam, quum id, quod abs te emerat, vendidisset? Teneat iam sane meos testes Metellus; cogat alios laudare, sicut in multis conatus est; modo haec faciat, quae facit. Quis enim unquam tanta a quoquam contumelia, quis tanta ignominia affectus est? Quinto quoque anno Sicilia tota censetur. Erat censa praetore Peducaeo. Quintus annus quum te praetore incidisset, censa denuo est. Postero anno L.

Auxerant) Graev. recepit *hauserant* e MSS. duobus. Verum tamen esse *auxerant* Ern. docuit. Nimirum censores a locupletibus pecunia corrupti iis minora, pauperioribus maiora tributa imperabant, quam pro pristino eorum censu.

Istius censum stare) Cod. Met. et Fabr. *istius censum stari*, unde Gulielm. Veris. 1, 7, coni. legendum *istius in censu stari.*

Metueret) *Metuerit* codd. Iannoct. edd. vett. Quidam *metuerat*. Vtrumque falsum.

Metellus mentionem tui census fieri vetat; censores dicit de integro sibi creari placere; interea Peducaeanum censum observari iubet. Hoc si tuus inimicus tibi fecisset, tamen etsi animo aequo provincia tulisset, inimici iudicium grave videretur. Fecit amicus recens, et cognatus voluntarius. Aliter enim, si provinciam retinere, si salvus ipse in provincia vellet esse, facere non potuit. Exspectas etiam, quid hi iudicent? Si tibi magistratum abrogasset, minore ignominia te affecisset, quam quum ea, quae in magistratu gessisti, sustulit atque irrita iussit esse. Neque in hac re sola fuit eiusmodi, sed, antequam ego in Siciliam veni, in maximis rebus ac plurimis. Nam et Heraclio syracusano tuos illos palaestritas bona restituere iussit, et Epicrati Bidinos, et pupillo Drepanitano A. Claudium; et, nisi mature Letilius in Siciliam venisset cum literis, minus xxx diebus Metellus totam triennii praeturam tuam rescidisset.

LVII. Et, quoniam de ea pecunia, quam tibi ad statuam censores contulerunt, dixi, non mihi praetermittendum videtur ne illud quidem genus pecuniae conciliatae, quam tu a civitatibus statuarum nomine coëgisti. Video enim eius pecuniae summam esse pergrandem, ad HS vicies. Tantum conficitur ex te-

Tamen etsi) Codd. nonnulli *tametsi*. Vulgo *tamen si*. At in codd. Mureti *tamen etsi* quod inde a Grutero receptum.

Ad HS vicies) Vulgo *HS cxx millia*. Haec pecuniae summa, non a singulis Siciliae civitatibus, sed ab omnibus exacta, quia Cicero dicit: *Tantum conficitur ex testimoniis et literis civitatum*, pergrandis dici non poterat, propterea quod *cxxx* censores *xxxix* millia denarium h. e. *clvi* millia *HS* contulerant. Neque vero sufficit cum Nannio et Manutio reponere *ccc* millia. Infra enim Cicero dicit Verrem a solis Centuripinis *ccc millia* statuarum nomine abstulisse. Ergo multo maior summa fuerit necesse est, quam ab omnibus Siciliae civitatibus exegit. Quod autem Lallemandus legi voluit, *HS centies vicies*, id omnem modum ac fidem excedit. Quum enim Cicero saepius dicat Verrem *quadringenties sestertium* ex Sicilia contra leges abstulisse, quis credere possit pecuniam a civitatibus statuarum

stimoniis ac literis civitatum: et iste hoc concedit, nec potest aliter dicere. Quare cuiusmodi putamus esse illa, quae negat, quum haec tam improba sint, quae fatetur? Quid enim vis constitui? consumptam esse omnem istam pecuniam in statuis? Fac ita esse. Tamen hoc ferendum nullo modo est, tantam ab sociis pecuniam auferri, ut omnibus in angiportis praedonis improbissimi statuae ponantur, qua vix tuto transiri posse videatur. Verum ubi tandem, aut in quibus statuis ista tanta pecunia consumpta est? «Consumetur» inquies. Scilicet exspectemus legitimum illud quinquennium. Si hoc intervallo non consumpserit, tum denique nomen eius de repetundis pecuniis statuarum nomine deferamus. Reus est maximis plurimisque criminibus in iudicium vocatus. HS vicies ex hoc uno genere capta videmus. Si condemnatus eris, non, opinor, id ages, ut ista pecunia quinquennio consumatur in statuis. Sin absolutus eris, quis erit tam amens, qui te ex tot tantisque criminibus elapsum, post quinquennium statuarnm nomine arcessat? Ita si neque adhuc consumpta ista pecunia est, et est perspicuum non consumptum iri: licet iam intelligamus, inventam esse rationem, quare et iste HS vicies uno genere conciliarit et ceperit, et ceteri, si a vobis hoc erit comprobatum, quam volent magnas hoc nomine pecunias capere possint; ut iam videamur non a pecuniis capiuudis homines

nomina ablatam plus quam quartam illius summae partem effecisse? Optima igilur ratio asl Garatoni, qui *sestertium vicies* legendum esse censuit, qui numerus forte per *xx* in codd. expressus paulolim in *cxx* millia abierit. Itaque hic et paulu post bis rescripsi *HS vicies*; h. e. 200,000 sestertium; quae efficiunt vicesimam partem omnis pecuniae a Verre e Sicilia contra leges ablatae scil. *quadringenties* h. e. 40,000,000 *sestertiorum*.

Qua vix tuto) Lepide, quasi Verris statuae spoliandi vim et ipsae habeant. Hoat.

absterrere, sed quum genera quaedam pecuniarum capiundarum comprobarimus, honesta nomina turpissimis rebus imponere.

LVIII. Etenim, si C. Verres HS cxx millia populum, verbi gratia, centuripinum poposcisset, eamque ab his pecuniam abstulisset: non, opinor, esset dubium, quin eum, si tum id planum fieret, condemnari necesse esset. Quid? si eundem populum HS ccc millia popcscit, eaque coëgit atque abstulit, num idcirco absolvetur, quod adscriptum est, eam pecuniam datam statuarum nomine? Non, opinor: nisi forte id agimus, non ut magistratibus nostris moram accipiundi, sed ut sociis causam dandi afferre videamur. Quod si quem statuae magnopere delectant, et si quis earum honore et gloria ducitur, is haec tamen constituat necesse est: primum averti pecuniam domum non placere; deinde, ipsarum statuarum modum quendam esse oportere; deinde illud, certe ab invitis exigi non oportere. Ac de avertenda pecunia, quaero abs te, utrum ipsae civitates solitae sint statuas tibi faciundas locare ei, cui possent optima conditione

HS cxx millia) Hoc loco vel *cccIↃↃↃ* vel *xx millia* legendum esse videtur. Nam hic in exemplo ficto nihil opus est numero pressius definito, sed potius rotundo.

Moram accipiundi, sed ut sociis causam dandi afferre videamur) Sensus est: Si hoc probabimus, tantum abest ut avaros magistratus revocemus a cogendis pecuniis, eorumque avaritiam tardemus, ut potius honesta nomina quaesisse videamur, quibus socii sine magistratuum periculo pecunias conferant. Facc.

Afferre) Vulgo olim *auferre*. Hoc Ernestius ferri posse existimavit, si verba *morem* et *causam* sedes permutarent. Recte autem Hotom. coniecit legendum esse *afferre*, quod postea in cod. Metell. repertum plerique editores probaverunt. Atque hoc optime convenit verbis antecedentibus *ut iam videamur — rebus imponere.* Manutio tamen placuit lectio *morem accipiendi — causam dandi auferre* hoc sensu: Si absolvitis Verrem quod adscripserit eam pecuniam sibi datam statuarum nomine, non auferetis magistratibus nostris morem accipiendi, qui auferri omnino debet: sed sociis causam dandi. Intelligent enim Verre absoluto pecuniam neminі esse dandam statuarum nomine.

locare, an aliquem curatorem praeficere (qui statuis faciundis praeesset), an tibi, an cui tu imperasses, adnumerare pecuniam? Nam si per eos statuae fiebant, a quibus tibi iste honos habebatur, audio: sin Timarchidi pecunia numerabatur, desine, quaeso, simulare, te quum in manifesto furto teneare, gloriae studiosum ac monumentorum fuisse.

LIX. Quid vero? Modum statuarum haberi nullum placet? Atqui habeatur necesse est. Etenim sic considerate. Syracusana civitas (ut eam potissimum nominem) dedit isti statuam; est honos; — et patri; bella haec pietatis et quaestuosa simulatio; — et filio; ferri hoc potest; hunc enim puerum non oderant: verum quoties, et quot nominibus a Syracusanis statuas auferes? Vt in foro statuerent, abstulisti; ut in curia, coëgisti; ut pecuniam conferrent in eas statuas, quae Romae ponerentur, imperasti; ut iidem darent homines aratorum nomine, dederunt; ut iidem pro parte in commune Siciliae conferrent, etiam id contulerunt. Vna civitas quum tot nominibus pecuniam contulerit, idemque hoc civitates ceterae fecerint: non res ipsa vos admonet, ut putetis, modum aliquem huic cupiditati constitui oportere?

LX. Quod si hoc voluntate sua nulla civitas fecit; si omnes imperio, metu, vi, malo adductae, tibi pecuniam statuarum nomine contulerunt: per deos immortales, num cui dubium esse poterit, quin, etiamsi quis statuerit, accipere ad statuas licere, idem tamen statuat, eripere certe non licere? Primum igitur in hanc rem testem totam Siciliam citabo, quae mihi

Qui statuis faciundis praeesset) Verba haec Herelius insititia iudicavit.

Dedit isti) Altera lectio *ipsi* F. Vrsino placuit, quia infra c. 67 dicitur; *C. Verris ipsius, et patris, et filii.* Verum h. l. alia ratio est, ubi Verris nomen non additur.

tua voce statuarum nomine magnam pecuniam per vim coactam esse demonstrat. Nam legationes omnium civitatum in postulatis communibus, quae fere omnia ex tuis iniuriis nata sunt, etiam hoc ediderunt, VT STATVAS NE CVI, NISI QVVM IS DE PROVINCIA DECESSISSET, LICERET POLLICERI. Tot praetores in Sicilia fuerunt; toties apud maiores nostros Siculi senatum adierunt; toties hac memoria; tamen huiusce novi postulati genus atque principium tua praetura attulit. Quid enim tam novum, non solum re, sed genere ipso postulandi? Nam cetera, quae sunt in iisdem postulatis de iniuriis tuis, sunt nova, sed tamen non novo modo postulantur. Rogant et orant Siculi patres conscriptos, « ut nostri magistratus posthac decumas lege Hieronica vendant »; — tu primus contra vendideras; audio; — « ne, in cellam quod imperatur, aestiment »; hoc quoque propter tuos ternos denarios nunc primum postulatur: sed genus istud postulandi non est novum; — « ne absentis nomen recipiatur »; ex Sthenii calamitate et tua natum est iniuria. Cetera non colligam. Sunt omnia Siculorum postulata eiusmodi, ut crimina collecta in unum te reum esse videantur. Quae tamen omnia novas iniurias habent, sed postulationum formulas usitatas. Hoc postulatum de statuis ridiculum esse videatur ei, qui rem sententiamque non perspiciat. Postulant enim, non, uti ne cogantur statuere; quid igitur? ut ipsis ne liceat. Quid est hoc? Petis a me, quod in tua potestate est, ut id tibi facere non liceat? pete potius, ne quis te invitum polliceri aut facere cogat. « Nihil egero,

POLLICERI) Ita correxi vulgatum *pollicerentur*. Infra enim diserte postulatum de statuis ita exprimitur: *postulant ut ipsis ne liceat.* Et paulo post: *mihi impone istam vim, ut omnino mihi non liceat polliceri.*

Perspiciat) *Respiciat* Priscian. p. 1147 ed. Putsch.

Nihil egero) Ita recte cod. Vrsin.

inquit, negabunt enim omnes se coëgisse. Si me salvum esse vis, mihi impone istam vim, ut omnino mihi non liceat polliceri ». Ex tua praetura primum nata est haec postulatio: qua quum utuntur, hoc significant, atque adeo aperte ostendunt, sese ad statuas tuas pecuniam metu ac malo coactos, invitissimos contulisse.

LXI. Quid, si hoc non dicant? tibi non necesse sit ipsi id confiteri? Vide, et perspice, qua defensione sis usurus. Nam intelliges, hoc tibi de statuis confitendum esse. Mihi enim renuntiatur, ita constitui a tuis patronis, hominibus ingeniosis, causam tuam, et ita eos abs te institui et doceri: ut quisque ex provincia Sicilia gravior homo atque honestior testimonium vehementius dixerit, sicuti Siculi multi primarii viri multa dixerunt, te statim hoc istis tuis defensoribus dicere: « inimicus est propterea quod arator est ». Itaque uno genere, opinor, circumscribere habetis in animo genus hoc aratorum, quod eos infenso animo atque inimico venisse dicatis, quia fuerit in decumis iste vehementior. Ergo aratores, inimici omnes, omnes adversarii sunt. Nemo eorum est, quin perisse te cupiat. Omnino praeclare te habes, quum is ordo atque id genus hominum, quod optimum atque honestissimum est, a quo uno et summa rei publicae et illa provincia maxime continetur, tibi est inimicissimum. Verum esto: alio loco de aratorum animo et iniuriis videro. Nunc, quod mihi abs te datur, id accipio, eos tibi esse inimicis-

unus Paris. Vulgo *Nihil ergo*. Sensus est: *hac ratione nihil profecero.*

Nam intelliges) *Iam intelliges* edd. Oliv. Oxon. Lall.

Ita) Quum dixisti, Zeno, sapientem nunquam irasci. F.

Inimici omnes, omnes adversarii sunt) Vulgo *inimici omnes, adversarii sunt*. Alterum *omnes* e codd. duobus Pariss. receperunt Lall. Beck. At Lambinus dederat *inimici omnes et adversarii sunt*.

simos. Nempe ita dicis, propter decumas. Concedo; non quaero, iure an iniuria sint inimici. Quid ergo illae sibi statuae equestres inauratae volunt, quae populi romani oculos animosque maxime offendunt, propter aedem Vulcani? Nam inscriptum esse video, quandam ex his statuam aratores dedisse. Si honoris causa statuam dederunt, inimici non sunt. Credamus testibus. Tum enim honori tuo, nunc iam religioni suae consulent. Sin autem metu coacti dederunt, confiteare necesse est, te in provincia pecuniam statuarum nomine per vim ac metum coëgisse. Vtrum tibi commodum est, elige.

LXII. Equidem libenter hoc iam crimen de statuis relinquam, ut mihi tu illud concedas, quod tibi honestissimum est, aratores tibi ad statuam honoris tui causa, voluntate sua, contulisse. Da mihi hoc. Iam tibi maximam partem defensionis praecideris. Non enim poteris, aratores tibi iratos esse atque inimicos, dicere. O causam singularem! o defensionem miseram ac perditam! nolle hoc accipere reum ab accusatore, et eum reum, qui praetor in Sicilia fuerit, aratores ei statuam sua voluntate statuisse: aratores de eo bene existimare, amicos esse, salvum esse cupere! Metuit, ne hoc vos existimetis. Obruitur enim aratorum testimoniis. Vtar eo, quod datur. Certe hoc ita vobis iudicandum est, eos, qui isti inimicissimi sunt, ut ipse existimari vult, ad istius honores atque monumenta pecuniam non voluntate sua contulisse. Atque ut hoc totum facillime intelligi possit, quem voles eorum testium, quos produxero, sive togatum

Consulent) Ita Lambin. Vulgo *consulunt*. Sensus est: si isti aratores honoris causa tibi statuam dederunt, inimici tibi non sunt. Ergo iis testibus credendum est, si testimonium contra te dicent. Tum enim honori tuo consuluerunt; nunc religioni suae in testimonio dicendo consulent.

Quos produxero) Verba vulgo hic addita *qui ex Sicilia testes sint*, plane

velis, sive siculum, rogato, et eum, qui tibi inimicissimus esse videbitur, qui se spoliatum a te dicet; ecquid suo nomine in tuam statuam contulerit. Neminem reperies, qui neget: etenim omnes dederunt. Quemquam igitur putas dubitaturum, quin is, quem inimicissimum tibi esse oporteat, qui abs te gravissimas iniurias acceperit, pecuniam statuae nomine dederit vi atque imperio adductus, non officio ac voluntate? Et huius ego pecuniae, iudices, quae permagna est, impudentissimeque coacta ab invitis, non habui rationem, neque habere potui, quantum ab aratoribus, quantum ab negotiatoribus, qui Syracusis, qui Agrigenti, qui Panormi, qui Lilybaei negotiantur, esset coactum: quoniam intelligitis ipsius quoque confessione ab invitissimis coactam esse.

LXIII. Venio nunc ad civitates Siciliae, de quibus facillime iudicium fieri voluntatis potest. An etiam Siculi inviti contulerunt? non est probabile. Etenim sic C. Verrem praeturam in Sicilia gessisse constat, ut, quum utrisque satisfacere non posset, et Siculis et togatis, officii potius in socios, quam ambitionis in cives rationem duxerit. Itaque eum non solum PATRONVM istius insulae, sed etiam SOTERA inscriptum vidi Syracusis. Hoc quantum est? Ita magnum, ut latino uno verbo exprimi non possit. Is est nimirum SOTER, qui salutem dedit. Huius nomine etiam dies festi agitantur, pulcra illa Verrea, non quasi Marcellea, sed pro Marcelleis, quae illi istius iussu sustulerunt. Huius fornix in foro Syracusis est, in quo nudus filius stat; ipse autem ex equo nudatam ab se provinciam prospicit. Huius statuae omnibus locis;

otiosa visa sunt Nannio, cui prorsus assentior. Cur enim Cicero hoc adderet, quod per rem ipsam intelligebatur? Itaque non dubitavi hoc glossema delere.

Huius statuae omnibus locis) Sic

quae hoc demonstrare videntur, propemodum non minus multas statuas istum posuisse Syracusis, quam abstulisse. Huic etiam Romae videmus in basi statuarum, maximis literis incisum, A COMMVNI SICILIAE DATAS. Quamobrem? Quî hoc probari potest cuiquam, tantos honores habitos esse ab invitis?

LXIV. Hic tibi etiam multo magis, quam ante in aratoribus, videndum et considerandum est, quid velis. Magna res est. Vtrum tibi Siculos publice privatimque amicos, an inimicos existimari vis? Si inimicos, quid de te futurum est? quo confugies? ubi nitere? modo aratorum honestissimorum hominum ac locupletissimorum, et Siculorum, et civium romanorum maximum numerum abs te abalienasti: nunc de siculis civitatibus quid ages? Dices, tibi Siculos esse amicos? qui poteris? qui, quod nullo in homine antea fecerant, ut in eum publice testimonium dicerent, quum praesertim ex ea provincia condemnati sint complures, qui ibi praetores fuerunt, duo soli absoluti; nunc contra te veniunt cum literis, veniunt cum mandatis, veniunt cum testimoniis publicis: qui, si te laudarent, tamen id more potius suo, quam merito tuo, facere viderentur. Hi quum de tuis factis publice conqueruntur, nonne hoc indicant, tantas esse iniurias, ut multo maluerint de suo more decedere, quam de tuis moribus non dicere? Confitendum est igitur tibi necessario, Siculos inimicos esse,

cod. Fabr. et Met. idque probarunt Gruterus et sqq. Olim edebatur: *omnibus locis erectae.* — Edit. Patav. *omn. locis erectae sunt.* T.

Quam ante) Graev. e codd. Nann. *paulo ante.*

Fecerant) Ern. addidit *fecerunt.*

Nunc contra te veniunt) Ita Beck. e cod. Iannocl. unde lectionem istam protulit Garatonus. Vulgo *huc conveniunt.* Codd. Pal. sec. Met. Fabr. *hi nunc veniunt.* Garatono placebat: *hi nunc contra te veniunt.*

Qui, si te laudarent) Vulgo *qui si te publice laudarent.* Sed *publice* h. l. iam intelligitur ex antecedente *publicis* et abest cod. Franc. Itaque id recte delevit Ern.

qui quidem et in te gravissima postulata consulibus ediderint, et me, ut hanc causam, salutisque suae defensionem susciperem, obsecrarint; qui quum a praetore prohiberentur, a quatuor quaestoribus impedirentur, omnium minas, atque omnia pericula, pro salute sua, levia duxerint; qui priore actione ita testimonia graviter vehementerque dixerint, ut Artemonem centuripinum legatum, et publice testem, Q. Hortensius accusatorem, non testem esse diceret. Etenim ille tum propter virtutem et fidem cum Androne, homine honestissimo et certissimo, tum etiam propter eloquentiam, legatus a suis civibus electus est, ut posset multas istius et varias iniurias quam apertissime vobis planissimeque explicare.

LXV. Dixerunt Halesini, Catinenses, Tyndaritani, Hennenses, Herbitenses, Agyrinenses, Netinenses, Segestani. Numerare omnes non est necesse. Scitis, quam multi et quam multa priore actione dixerint. Nunc et illi et reliqui dicent. Omnes denique in hac causa intelligent, hoc animo esse Siculos, ut, si in istum animadversum non sit, sibi relinquendas domos ac sedes suas, et ex Sicilia decedendum, atque adeo fugiendum esse arbitrentur. Hos homines tu persuadebis ad honorem atque amplitudinem tuam pecunias maximas voluntate sua contulisse? Credo, qui te in tua civitate incolumem esse nollent, hi monumenta tuae formae ac nominis in suis civitatibus esse cupiebant. Res declaravit, ut cupierint. Iamdudum enim mihi nimium tenuiter Siculorum erga te voluntatis argumenta colligere videor, utrum statuas voluerint

Omnes denique in hac causa intelligent) Vulgo *omnes denique hoc in hac causa*. Superfluum *hoc* auctore Herelio delevi.

Atque adeo) Lambin. coni. *atque alio*.

Ad honorem) Sic cod. Hotom. et recepit Lambin. Vulgo *honores*.

tibi statuere, an coacti sint. De quo homine hoc auditum est unquam, quod tibi accidit, ut eius in provincia statuae, in locis publicis positae, partim etiam in aedibus sacris, per vim, per universam multitudinem deiicerentur? Tot homines in Asia nocentes, tot in Africa, tot in Hispania, Gallia, Sardinia, tot in ipsa Sicilia fuerunt: ecquo de homine hoc unquam audivimus? Novum est, iudices: in Siculis quidem, et in omnibus Graecis monstri simile. Non crederem hoc de statuis, nisi iacentes revulsasque vidissem: propterea quod apud omnes Graecos hic mos est, ut honorem hominibus habitum in monumentis huiusmodi nonnulla religione deorum consecrari arbitrentur. Itaque, quum Rhodii bellum illud prope soli superius cum Mithridate rege gesserint, omnesque eius copias acerrimumqne impetum moenibus, litoribus, classibusque suis exceperint, et quum regis inimici praeter ceteros essent: statuam eius, quae erat apud ipsos in celeberrimo urbis loco, ne tum quidem in ipsis urbis periculis attigerunt. Forsitan vix convenire videretur, quem ipsum hominem cuperent evertere, eius effigiem simulacrumque servare: sed tamen videbam, apud eos quum essem, et religionem esse quandam in his rebus, a maioribus traditam, et hoc disputari: cum statua se eius habuisse temporis rationem, quo posita esset; cum homine vero, quo gereret bellum atque hostis esset.

LXVI. Videtis igitur, consuetudinem religionemque Graecorum, quae monumenta hostium in bello ipso

In omnibus Graecis) Gulielm. coni. *in hominibus* quod sine causa probant Grut. et Ern.

Religione deorum) *Deorum* abest cod. Franc.

Et quum regis inimici) Vulgo *quum et regis inimici.*

Disputari) Sic Herelius correxit vulg. *disputare.*

soleat defendere, eam summa in pace praetoris populi romani statuis praesidio non fuisse. Taurominitani, quorum est civitas foederata, homines quietissimi, qui maxime ab iniuriis nostrorum magistratuum remotissimi consuerant esse praesidio foederis; hi tamen istius evertere statuam non dubitaverunt. Qua ablata, basin tamen in foro manere voluerunt: quod gravius in istum fore putabant, si scirent homines, statuam eius a Taurominitanis esse deiectam, quam si nullam unquam positam arbitrarentur. Tyndaritani deiecerunt in foro; et eadem de causa equum inanem reliquerunt. Leontinis, misera in civitate atque inani, tamen istius, in gymnasio, statua deiecta est. Nam quid ego de Syracusanis loquar, quod non est proprium Syracusanorum, sed et illorum commune, et conventus illius, ac prope totius provinciae? Quanta illuc multitudo, quanta vis hominum convenisse dicebatur tum, quum statuae sunt illius deiectae atque eversae? At quo loco? celeberrimo ac religiosissimo; ante ipsum Serapim, in primo aditu vestibuloque templi. Quod nisi Metellus hoc tam graviter egisset, atque illam rem imperio edictoque prohibuisset, vestigium statuarum istius in tota Sicilia nullum esset relictum.

LXVII. Atque ego hoc non vereor, ne quid horum non modo impulsu, verum omnino adventu meo factum esse videatur. Omnia ista ante facta sunt, non modo, quam ego Siciliam, verum etiam quam iste Italiam attingeret. Dum ego in Sicilia sum, nulla statua deiecta est; posteaquam illinc discessi, quae

Remotissimi) Sic Graev. Ern. e MSS. Vulgo *remoti*.

Serapim) Sic codd. Pal. sec. Met. Fabr. Male quaedam edd. *Iovem*.

Attingeret) Sic Ern. restituit ex edd. vett. Vulgo *attigit*.

In Sicilia sum) Ern. coni. *in Sicilia fui*.

sunt gesta, cognoscite. Centuripinorum senatus decrevit, populusque iussit, ut, quae statuae C. Verris ipsius, et patris, et filii, essent, eas quaestores demoliendas locarent; dumque ea demolitio fieret, senatores ne xxx minus adessent. Videte gravitatem civitatis et dignitatem. Neque eas in urbe sua statuas esse voluerant, quas inviti, per vim atque imperium, dedissent; neque eius hominis, in quem ipsi cum gravissimo testimonio, quod nunquam antea, Romam mandata legatosque misissent: et id gravius esse putaverunt, si publico consilio, quam si per vim multitudinis factum videretur. Quum hoc consilio statuas Centuripini publice sustulissent, audit Metellus; graviter fert; evocat ad se Centuripinum magistratum, et decemprimos. Nisi restituissent statuas, vehementer iis minatur. Illi ad senatum renuntiant. Statuae, quae istius causae nihil prodessent, reponuntur: decreta Centuripinorum, quae de statuis erant facta, non tolluntur. Hic ego aliud alii concedo; Metello, homini sapienti, prorsus non possum ignoscere, si quid stulte facit. Quid? ille hoc putabat Verri criminosum fore, si eius statuae essent deiectae, quod saepe vento, aut aliquo casu fieri solet? Non erat in hoc neque crimen ullum, neque reprehensio. Ex quo igitur crimen atque accusatio nascitur? ex hominum iudicio et voluntate.

LXVIII. Ego, si Metellus statuas reponere Centuripinos non coëgisset, haec dicerem: Videte, iudices, quantum et quam acerbum dolorem sociorum atque amicorum animis inusserint istius iniuriae: quum Centuripinorum amicissima et fidelissima civitas, quae

Cum gravissimo testimonio) Vulg. adiectum *publice* e cod. Nann. quod tamen hic commodius abest.

Decreta — non tolluntur) Haec in multis libris omissa recte recepit Grut. e cod. Nann. Mel. Fabr.

tantis officiis cum populo romano coniuncta est, ut non solum rem publicam nostram, sed etiam in quovis homine privato nomen ipsum Romanorum semper dilexerit, ea publico consilio atque auctoritate iudicarit, C. Verris statuas esse in urbe sua non oportere. Recitarem decreta Centuripinorum; laudarem illam civitatem, id quod verissime possem: commemorarem, decem millia civium Centuripinorum, fortissimorum fidelissimorumque sociorum, eos omnes statuisse, MONVMENTVM ISTIVS IN SVA CIVITATE NVLLVM ESSE OPORTERE. Haec tum dicerem, si statuas Metellus non reposuisset. Velim quaerere nunc ex ipso Metello, quidnam sua vi et auctoritate mihi ex hac oratione praeciderit. Eadem opinor omnia convenire. Neque enim, si maxime statuae deiectae essent, eas ego vobis possem iacentes ostendere. Hoc uno uterer: civitatem tam gravem statuas iudicasse C. Verris demoliendas. Hoc mihi Metellus non eripuit; hoc etiam addidit, ut quererer, si mihi videretur, tam iniquo iure sociis atque amicis imperari, ut iis ne in suis quidem beneficiis libero iudicio uti liceret; ut vos rogarem, ut coniecturam faceretis, qualem in his rebus in me L. Metellum fuisse putaretis, in quibus rebus obesse mihi posset, quum in hac re tam aperta cupiditate fuerit, in qua nihil obfuit. Sed ego Metello nihil irascor, neque ei suam purgationem eripio, qua ille apud omnes utitur, ut nihil malitiose, neque consulto fecisse videatur.

LXIX. Iam igitur est ita perspicuum, ut negare non possis, nullam tibi statuam voluntate cuiusquam datam: nullam pecuniam statuarum nomine, nisi vi expressam et coactam. Quo quidem in crimine non

Nihil irascor) Recepi lectionem cod. Franc a Graevio probatam. Vulgo *non irascor*.

illud solum intelligi volo, te ad statuas HS vicies coëgisse, sed multo etiam illud magis, quod simul demonstratum est, quantum odium in te aratorum, quantum omnium Siculorum sit et fuerit. In quo quae vestra defensio futura sit, coniectura assequi non queo. « Oderunt Siculi : togatorum enim causa multa feci ». At hi quidem acerrimi inimicissimique sunt. « Inimicos habeo cives romanos, quod sociorum commoda ac iura defendi ». At socii in hostium numero se abs te habitos queruntur. « Aratores inimici sunt propter decumas ». Quid? qui agros immunes liberosque arant, cur oderunt? cur Halesini? cur Centuripini? cur Segestani? cur Halicienses? Quod genus hominum, quem numerum, quem ordinem proferre possis, qui te non oderit, sive civium romanorum, sive siculorum? Vt etiamsi causam, cur te oderint, non possim dicere, tamen illud dicendum putem: quem omnes mortales oderint, eum quoque vobis odio esse oportere. An hoc dicere audebis: utrum de te aratores, utrum denique Siculi universi bene existiment, aut quo modo existiment, ad rem id non pertinere? Neque tu hoc dicere audebis, neque, si cupias, licebit. Eripiunt enim tibi istam orationem statuae

HS Vicies) Iterum h. l. vulgo legitur *HS cxx millia*, ut supra c. 57.

Demonstratum est) Sic Graev. Ern. e codd. Nann. Fabr. Vulgo *demonstrandum est.*

Cives Romanos) Intelligit eos, qui in Sicilia negotiabantur.

Vtrum de te aratores) Excidisse videtur *utrum negotiatores.*

Aut quo modo existiment) Haec olim omissa primus recepit Lambin. e cod. Nann.

Eripiunt enim tibi istam orationem) Vulgo hic additur: *contemnendorum Siculorum atque aratorum* quae verba Gruterus recte suspicatus est pannum esse Tullii purpurae adsutum. Neque me movet Ernestii auctoritas qui genus hoc exquisitum loquendi *orationem contemnendorum etc.* negat eiusmodi esse ut pro glossa haberi possit. Pro *contemnendorum* in MSS. Vrsini erat *negotiatorum.* Forma loquendi *orationem contemnendorum* pro *de contemnendis* mihi quidem durissima videtur. Praeterea quum paulo ante *aratores et Siculi* nominati sint, iidemque statim post nominentur, iu-

illae equestres, quas tu paulo ante, quam ad urbem venires, poni inscribique iussisti, ut omnium inimicorum animos accusatorumque tardares. Quis enim tibi molestus esset, aut quis appellare auderet, quum videret statuas ab negotiatoribus, ab aratoribus, a communi Siciliae? Quod est aliud in illa provincia genus hominum? nullum. Ergo ab universa provincia, generatimque a singulis eius partibus non solum diligitur, sed etiam ornatur. Quis hunc attingere audeat? Potes igitur dicere, nihil tibi obesse oportere aratorum, negotiatorum, Siculorumque omnium testimonia, quum eorum nominibus in statuarum inscriptione positis omnem te speraris invidiam atque infamiam tuam posse exstinguere? An, quorum auctoritate tu statuas cohonestare tuas conatus es, eorum ego dignitate accusationem meam comprobare non potero?

LXX. Nisi forte, quod apud publicanos gratiosus fuisti, in ea re spes te aliqua consolatur. Quae gratia ne quid tibi prodesse posset, ego mea diligentia perfeci: ut etiam obesse deberet, tu tua sapientia curasti. Etenim rem totam, iudices, breviter cognoscite. In scriptura Siciliae pro magistro est quidam L. Carpi-

ficetom essel, eosdem hoc quoque loco inculcari. Itaque illa verba *contemnendorum Siculorum atque aratorum* eieci.

Quod est aliud) Fortasse legendum: *Nam quod est aliud.*

Genus hominum) Sic recte Lambin. e cod. Hotomanni. Vulgo *genus humanum*, quod frustra Graevios defendit exemplis locorum ubi humanus pro *homine* dicitur.

Eorum ego dignitate) Speciosa esl Ernestii coniectura vocabula *auctoritate* el *dignitate* sedes suas permutasse, quum illi magis conveniel *comprobare*, huic *cohonestare*. Vulgaris tamen ordo sic defendi potest. *Auctoritas* refertur ad eos qui Verri statuas decreverant, eiusque honoris auctores fuerant. *Dignitas* vero est alicuius honesta auctoritas, et spectatur in testibus, quibus facilius fides habetur propter dignitatem.

In scriptura Siciliae) *Scriptura* dicebatur eorum ratio, qui pascua publica conducebant: ut exigenda a sociis suo periculo exigerent, quae tamen reipublicae repraesentabant. HOTOM.

Pro magistro est) *Magister socie-*

natios, qui et sui quaestus causa, et fortasse quod sociorum interesse arbitrabatur, penitus in istius familiaritatem sese dedit. Is quum praetorem circum omnia fora sectaretur, neque ab eo unquam discederet, in eam iam venerat consuetudinem in vendendis istius decretis et iudiciis, transigendisque negotiis, ut prope alter Timarchides numeraretur. Hoc erat etiam capitalior, quod idem pecuniam iis, qui ab isto aliquid mercabantur, foenori dabat. Ea autem foeneratio erat huiusmodi, iudices, ut etiam hic quaestus huic cederet. Nam, quas pecunias iis ferebat expensas, quibuscum contrahebat, aut scribae istius, aut Timarchidi, aut etiam ipsi isti referebat acceptas. Idem praeterea pecunias istius extraordinarias grandes suo nomine foenerabatur. Hic primo Carpinatius, antequam in istius tantam familiaritatem pervenisset, aliquoties ad socios literas de istius iniuriis miserat. Canuleius vero, qui in portu Syracusis operas dabat, furta quoque istius permulta nominatim ad socios perscripserat, ea quae sine portorio Syracusis erant exportata: portum autem et scripturam eadem societas habebat. Ita factum est, ut essent permulta, quae ex societatis literis dicere in istum ac proferre possemus.

tatis unus aliquis e sociis dicebatur, qui Romae societati alicui, id est, aut scripturae, aut portorii, aut vectigalium ita praeerat, ut et decumanos quasi senatum cogendi, et ad eos de societatis negotiis referendi potestatem haberet: curamque omnem gereret tabularum et rationum, quae undique ab iis, qui operas dabant, Romam mitterentur. Hic *Promagistrum* in provincia habebat, sui quasi muneris vicarium, et societati praefectum, qui etiam *Magister* dicebatur. *Promagistro* autem coniunctim dicitur, ut *Proconsule*, *Propraetore*. In.

Penitus) Vulgo *bene penitus*. In quo quid significet *bene* nemo dixerit. Particula *penitus* semper simpliciter ponitur sine adiuncto alio adverbio. Et alibi Epp. ad Q. fratrem I, 2 dicitur *in familiaritatem penitus intrare*.

In eam iam venerat consuetudinem) Vulgo *in eam iam venerat familiaritatem consuetudinemque*. Sed *fami-*

Verum accidit, ut Carpinatius, qui iam cum isto summa consuetudine, praeterea re ac ratione coniunctus esset, crebras postea literas ad socios de istius summis officiis in rem communem beneficiisque mitteret. Etenim quum iste omnia, quaecumque Carpinatius postulabat, facere ac decernere solebat; tum ille etiam plura scribebat ad socios; ut si posset, quae antea scripserat, ea plane exstingueret. Ad extremum vero, quum iste iam decedebat, eiusmodi literas ad eos misit, ut huic frequentes obviam prodirent, gratias agerent, facturos sese, si quid imperasset, studiose pollicerentur. Itaque socii fecerunt, vetere instituto publicanorum: non quo istum ullo honore dignum arbitrarentur, sed quod sua interesse putabant, se memores gratosque existimari, gratias isti egerunt: Carpinatium saepe ad se de eius officiis literas misisse dixerunt. Iste quum respondisset, se ea libenter fecisse, operasque Carpinatii magnopere laudasset, dat amico suo cuidam negotium, qui tum magister erat eius societatis, ut diligenter caveret atque prospiceret, ne quid esset in literis sociorum, quod contra suum caput atque existimationem valere posset. Itaque ille, multitudine sociorum remota, decumanos convocat, rem defert. Statuunt illi atque decernunt, ut eae literae, quibus existimatio C. Verris laederetur, removerentur, operaque daretur, ne ea res C. Verri fraudi esse posset.

LXXI. Si ostendo, hoc decrevisse decumanos, si

liaritatem recte abest in cod. vet. quippe quod Cicero paulo ante iam usurpaverat.

Quae antea scripserat) Nempe de Verris iniuriis in societatem publicanorum.

Gratias agerent) Sic Lambin. sine copula, quae abest cod. Met. Fabr. Vulgo *gratiasque*.

Facturos sese) Olim edebatur *facturos esse*. Gruterus edidit e codd. Pall. Fabr. Met. *facturos se;* sane melius. Optime tamen Garatonus coniecit legendum *facturos sese*.

planum facio, hoc decreto remotas esse literas: quid exspectatis amplius? possumne rem magis iudicatam afferre, magis reum condemnatum in iudicium adducere? At quorum iudicio condemnatum? nempe eorum, quos ii, qui severiora iudicia desiderant, arbitrantur res iudicare oportere, publicanorum iudicio; quos videlicet nunc populus iudices poscit: de quibus, ut eos iudices habeamus, legem ab homine non nostri generis, non ex equestri loco profecto, sed nobilissimo, promulgatam videmus. Decumani, hoc est principes et quasi senatores publicanorum, removendas de medio literas censuerunt. Habeo ex iis, qui affuerunt, quos producam, homines honestissimos ac locupletissimos, istos ipsos principes equestris ordinis, quorum splendore vel maxime illius, qui legem promulgavit, oratio et causa nititur. Venient in medium, dicent, quid statuerint. Profecto, si recte homines novi, non mentientur. Literas enim communes de medio removere potuernnt; fidem suam et religionem removere non possunt. Ergo equites romani, qui te suo iudicio condemnarunt, horum te iudicio condemnari noluerunt. Vos nunc, utrum illorum iudicium, an voluntatem sequi malitis, considerate.

LXXII. At vide, quid te amicorum tuorum stu-

Arbitrantur res iudicare) Sic recte Grul. etc. cod. Fabr. et Mel. Vulgo olim *arbitrentur reos iudicare.*

Nobilissimo) Significatur L. Aurelius Cotta, qui in praetura legem iudiciariam tulit, ut iudicia a Senatu ad equites transferrentur.

Quos producam) In multis edd. post *producam* additur *quibus hoc committam.* Sed haec verba absunt cod. Franc. eaque recte omiserunt Victor. Car. Steph. Manut. Graev.

Vel maxime illius) *Illius* dedi pro vulg. *istius.* Lambino placebat *ipsius* vel *eius.*

Ergo equites Romani) Olim legebatur: *Ergo equites Romani te suo iudicio condemnari voluerunt.* Lacunam explevit Nannius e cod. MS. Sensus est: *etsi isti equites Verrem condemnandum esse iudicabant, nolebant tamen, propterea quod suo interesse putabant, se gratos erga Verrem existimari, a iudicibus condemnari.*

Horum te iudicio) Ita Lambin. Vulgo abest *te* inter *horum* et *iudicio.*

dinm, quid tuum consilinm, quid sociorum voluntas adiuvet. Dicam paulo promptins. Neqne enim iam vereor, ne quis hoc me magis accusatorie, quam libere dixisse arbitretur. Si istas literas non decreto decumanorum magistri removissent, tantum possem in te dicere, quantum in literis invenissem; nnnc, decreto isto facto, literisque remotis, tantum mihi licet dicere, quantum possum; tantum iudici snspicari, quantum velit. Dico, te maximum pondns auri, argenti, eboris, purpurae, plurimam vestem Melitensem, plurimam stragulam, mnltam Deliacam supellectilem, plurima vasa Corinthia, magnum numernm frumenti, vim mellis maximam, Syracusis exportasse: his pro rebus, quod portorium non esset datum, literas ad socios misisse L. Canuleium, qui in portu operas daret. Satisne magnum hoc crimen videtur? nullum, opinor, maius. Quid defendet Hortensius? postulabit, nt literas Canuleii proferam? crimen huiusmodi, nisi literis confirmetur, inane esse dicet? Clamabo, literas remotas esse de medio; decreto sociorum erepta mihi esse istius indicia ac monumenta furtorum. Aut hoc contendat nunquam esse factum, aut omnia tela excipiat necesse est. Negas esse factum? Placet mihi ista defensio; descendo. Aequa enim conditio, aequum certamen proponitur. Producam testes, et producam plures eodem tempore; quoniam tum, quum actum est, una fuerunt, nunc quoque nna sint, quum interrogabuntur; obligentur non solum iuris iurandi atque existimationis

Quantum possum) Ern. maluit *possim*, quia sequitur *velit*. At *possum* definite dicitur, *velit* infinite.

Omnia tela) Cod. Met. *omnium tela*.

Aequa enim conditio) Cod. Met. *aequa enim contentio*, minus bene, quia sequitur *aequum certamen*.

Nunc quoque una sint) Ita cod. Metell. Et sic edidit Ern. Vulgo *una sunt*. Sensus autem est: plures eodem tempore producam, ut, quoniam

periculo, sed etiam communi inter se conscientia. Si planum fit, hoc ita, quemadmodum dico, esse factum, num poteris dicere, Hortensi, nihil in istis fuisse literis, quod Verrem laederet? non modo id non dices, sed ne illud quidem tibi dicere licebit: tantum, quantum ego dicam, non fuisse. Ergo hoc vestro consilio et gratia perfecistis, ut, quemadmodum paulo ante dixi, et mihi summa facultas ad accusandum daretur, et iudicibus libera potestas ad credendum.

LXXIII. Quod quum ita sit, nihil fingam tamen. Meminero, me non sumpsisse, quem accusarem, sed recepisse, quos defenderem; vos ex me causam non a me prolatam, sed ad me delatam, audire oportere; me Siculis satis esse facturum, si, quae cognovi in Sicilia, quae accepi ab ipsis, diligenter exposuero; populo romano, si nullius vim, nullius potentiam pertimuero; vobis, si facultatem vere atque honeste iudicandi fide et diligentia mea fecero; mihimet, si ne minimum quidem de eo curriculo vitae, quod mihi semper propositum fuit, decessero. Quapropter nihil est, quod metuas, ne quid in te confingam: etiam quod laetere, habes. Multa enim, quae scio abs te esse commissa, quod aut nimium turpia, aut parum credibilia sunt, praetermittam. Tantum agam de hoc toto nomine societatis. Vt iam scire possitis, quaeram, decretumne sit. Quum id invenero, quaeram, remo-

tum, quum actum est, una fuerunt, nunc quoque una sint, ut obligentur etc.

Ad credendum) In marg. Lambin. affertur lectio cod. MS. *ad cernendum*, unde aliquis coniecit legendum esse *ad decernendum*. Vulgata tamen lectio vera. Refertur enim ad verba superiora: *tantum licet iudici suspicari, quantum velit.*

Ne quid in te confingam) Ita Lambin. Grut. Graev. Alii *fingam*, quod est in codd. Naun. et Pariss.

Vt iam scire possitis) Alii, *et ut verum scire possitis*. T.

taene sint literae. Quum id quoque constabit, vos iam, me tacito, hoc intelligetis: Si illi, qui hoc istius causa decreverunt, equites romani, nunc iidem in eum iudices essent: istum sine dubio condemnarent, de quo literas eas, quae istius furta indicarent, et ad se missas, et suo decreto remotas scirent esse. Quem igitur ab iis equitibus romanis, qui istius causa cupiunt omnia, qui ab eo benignissime tractati sunt, condemnari necesse esset: is a vobis, iudices, ulla via aut ratione absolvi potest?

LXXIV. Ac ne forte ea, quae remota de medio atque erepta vobis sunt, omnia ita condita fuisse, atque ita abdite latuisse videantur, ut haec diligentia, quam ego a me exspectari maxime puto, nihil horum investigare, nihil assequi potuerit: quae consilio aliquo aut ratione inveniri potuerunt, inventa sunt, iudices. Manifestis in rebus hominem iam teneri videbitis. Nam quod in publicanorum causis vel plurimum aetatis meae versor, vehementerque illum ordinem observo, satis commode mihi videor eorum consuetudinem usu tractandoque cognosse. Itaque ut hoc comperi, remotas esse literas societatis, habui rationem annorum, per quos iste in Sicilia fuisset;

Vos iam, me tacito, hoc intelligetis) Vulgo: *vos iam me tacito intelligetis, si illi — condemnarent*; in quo constructio postulabat *condemnaturos*. Sed stare potest *condemnarent*, si *hoc* inseritur ante *intelligetis*, cuius est vestigium in cod. Met. ubi legitur *me iam hoc tacito*.

Ulla via) Vulgo *ulla vi*. Recte autem Ern. emendandum censuit *ulla via*; quamquam is causam emendandi parum idoneam attulit, quia *vis* in absolvendo cogitari non possit. Nam Beckius recte monuit: si iudices contra leges, auctoritates, testimonia improbum absolvant, id ubique eos per vim facere. Neque tamen ideo lectio *ulla vi* defendi potest. Nam *vim* legibus in iudicando inferre iudices semper poterant, si vellent ab officio discedere. Cicero autem negabat Verrem ulla via aut ratione, ullo sub praetextu absolvi posse.

Nihil horum investigare) Vulgo *hac diligentia investigari, nihil assequi*. Ego Gronovium sequutus sum, in Obss. I, 11. Atque in uno cod. Paris. est *investigare*.

deinde quaesivi, quod erat inventu facillimum, qui per eosdem annos magistri istius societatis fuissent. Sciebam enim hanc magistrorum, qui tabulas haberent, consuetudinem esse, ut, quum tabulas novo magistro traderent, exempla literarum ipsi habere non nollent. Itaque ad L. Vibium, equitem romanum, virum primarium, quem reperiebam magistrum fuisse eo ipso anno, qui mihi maxime quaerendus erat, primum veni. Sane homini praeter opinionem improviso incidi. Scrutatus sum quae potui, et quaesivi omnia; inveni duos solos libellos ab L. Canuleio missos sociis ex portu Syracusis; in quibus erat ratio scripta mensium complurium, rerum exportatarum istius nomine sine portorio. Itaque obsignavi statim. Erant haec ex eo genere, quod ego maxime genus ex sociorum literis reperire cupiebam; verum tantum inveni, iudices, quod apud vos quasi exempli causa proferre possem. Sed tamen, quidquid erit in his libellis, quantulumcumque videbitur esse, hoc quidem certe manifestum erit: de ceteris ex hoc coniecturam facere debebitis. Recita mihi, quaeso, hunc primum libellum; deinde illum alterum. LIBELLI CANVLEII. Iam non quaero, unde cccc amphoras mellis habueris; unde tantam Melitensem vestem, unde quinquaginta tricliniorum lectos, unde tot candelabra; non, inquam, iam quaero, unde haec habueris: sed quo tibi tantum opus fuerit, id quaero. Mitto de melle; sed tantumne Melitensium? quasi etiam amicorum uxores; tantum lectorum? quasi etiam omnium istorum villas ornaturus esses.

Vnde tantam Melitensem vestem) Hoc e cod. Franc. edd. vett. restituerunt Graev. Ern. At Lambinus, incertum qua auctoritate, dedit *tantum Melitensium*, quem sequuti sunt Grut. aliique.

LXXV. Quum haec paucorum mensum ratio in his libellis sit, facite, ut vobis triennii totius veniat in mentem. Sic contendo; ex his parvis libellis, apud unum magistrum societatis repertis, vos iam coniectura assequi posse, cuiusmodi praedo iste in illa provincia fuerit, quam multas cupiditates, quam varias, quam infinitas habuerit; quantam pecuniam non solum numeratam, verum etiam huiusmodi in rebus positam, confecerit: quae vobis alio loco planius explicabuntur. Nunc hoc attendite. His exportationibus, quae recitatae sunt, scribit HS LX millia socios perdidisse ex vicesima portorii Syracusis. Paucalis igitur mensibus, ut hi pusilli et contempti libelli indicant, furta praetoris, quae essent HS duodecies, ex uno oppido solo exportata sunt. Cogitate nunc, quum illa sit haec insula, quae undique exitus maritimos habeat, quid ex ceteris locis exportatum putetis: quid Agrigento, quid Lilybaeo, quid Panormo, quid Thermis, quid Halesa, quid Catina, quid ex ceteris oppidis, quid vero Messana, quem iste sibi locum maxime tutum arbitrabatur, ubi animo semper soluto liberoque erat, quod sibi iste Mamertinos delegerat, ad quos omnia, quae aut diligentius servanda, aut occultius exportanda erant, deportaret. His inventis libellis, ceteri remoti et diligentius sunt reconditi: nos tamen, ut omnes intelligant, hoc nos sine cupiditate agere, his ipsis libellis contenti sumus.

LXXVI. Nunc ad sociorum tabulas accepti et expensi, quas removere honeste nullo modo potue-

Paucorum mensum) Ita cod. Nann. Beck. Vulgo *mensium*.

HS LX millia) Vulgo HS LX. In cod. Fabr. HS IↃC. In codd. Met. et Nann. DC. Ratio autem non constat, nisi scribatur *LX millia*. Nam quum Verres exportasset merces, quae essent *HS duodecies*, *h. e.* 1,200,000, vicesima pars quam portorii nomine solvere debuisset, est 60,000.

runt, et ad amicum tuum Carpinatium revertemur. Inspiciebamus Syracusis a Carpinatio confectas tabulas societatis, quae significant, multis nominibus eos homines versuram a Carpinatio fecisse, qui pecuniam Verri dedissent. Erit vobis luce clarius, iudices, quum eos ipsos produxero, qui dederunt. Intelligetis enim, illa tempora, per quae, quum essent in periculo, pretio sese redemerunt, cum societatis tabulis non solum consulibus, verum etiam mensibus, convenire. Quum haec maxime cognosceremus, et iam in manibus tabulas haberemus, repente adspicimus lituras, quasi quaedam vulnera tabellarum recentia. Statim suspicione offensi, ad ea ipsa nomina oculos animumque transtulimus. Erant acceptae pecuniae a C. VERRVTIO C. F. sic tamen, ut, usque ad alterum R, literae constarent integrae, reliquae omnes essent in litura. Alterum, tertium, quartum, permulta erant eiusmodi nomina. Quum manifesta re tam flagitiosa tabularum atque insignis turpitudo teneretur, quaerere incepimus de Carpinatio, quisnam esset is Verrutius, quicum tantae pecuniae rationem haberet. Haerere homo, versari, rubere. Quod lege excipiuntur tabulae publicanorum, quo minus Romam deportentur: ut res quam maxime clara ac testata esse posset, in ius ad Metellum Carpinatium voco, tabulasque societatis in forum defero. Fit maximus concursus hominum; et quod erat Carpinatii nota cum isto praetore societas ac foeneratio, summe exspectabant omnes, quidnam in tabulis contineretur.

Repente adspicimus lituras) Vulgo additur *eiusmodi*, quod auctore Ernestio delevi. Est enim plane superfluum.

Reliquae omnes essent in litura) Nempe antea scriptum erat *A C. VERRE*, id deinde sic correctum erat, ut scriberetur *VERRVTIO*, ideoque extremae literae erant in litura.

Quum manifesta re tam flagitiosa)

LXXVII. Rem ad Metellum defero, me tabulas perspexisse sociorum, in his tabulis magnam rationem C. Verrutii permultis nominibus esse, meque hoc perspicere ex consulum mensumque ratione, hunc Verrutium neque ante adventum C. Verris, neque post decessionem quidquam cum Carpinatio rationis habuisse. Postulo, mihi respondeat, qui sit iste Verrutius: mercator, an negotiator, an arator, an pecuarius; in Sicilia sit, an iam decesserit. Clamare omnes ex conventu, neminem unquam in Sicilia fuisse Verrutium. Ego instare, ut mihi responderet, quis esset, ubi esset, unde esset: cur servus societatis, qui tabulas confecerit, semper in Verrutii nomine, certo ex loco, mendosus esset. Atque hoc postulabam, non quo illum cogi putarem oportere, ut ea mihi responderet invitus: sed ut omnibus istius furta, illius flagitium, utriusque audacia perspicua esse posset. Itaque illum in iure metu conscientiaque peccati mutum, atque exanimatum, ac vix vivum relinquo; tabulas in foro, summa hominum frequentia, exscribo; adhibentur in exscribendo de conventu viri primarii; literae lituraeque omnes assimulatae, expressae, de tabulis in libros transferuntur. Haec omnia summa cura et diligentia recognita et collata, et ab hominibus honestissimis obsignata sunt. Si Carpinatius tum mihi respondere noluit, responde mihi nunc tu, Verres, quem esse hunc tuum paene gentilem Verrutium putes. Fieri non potest, ut, quem video, te praetore, in Sicilia fuisse, et quem

Recepi Wyttenbachii emendationem Bibl. Crit. vol. I, P. 2, p. 12. Vulgo: *Quum manifesta res, tum flagitiosa*. Beckius particulam *tum* uncinis inclusit. Lambinus dedit: *Quum manifesta res, flagitiosa litura tabularum.*

In Sicilia) Sic e codd. Mel. unoque Paris. receperunt Lallem. Beck. Vulg. *ex Sicilia.*

Istius furta, illius flagitium) *Istius* h. e. Verris, *illius* Carpinatii.

ex ipsa ratione intelligo locupletem fuisse, eum tu in tua provincia non cognoris.

LXXVIII. Atque adeo, ne hoc aut longius, aut obscurius esse possit, procedite in medium, explicate descriptionem imaginemque tabularum: ut omnes mortales istius avaritiae non iam vestigia, sed ipsa cubilia videre possint. Videtis Verrutium? videtis primas literas integras? videtis extremam partem nominis, caudam illam Verris, tanquam in luto, demersam esse in litura? Sic habent se tabulae, iudices, ut videtis. Quid exspectatis? quid quaeritis amplius? tu ipse Verres quid sedes? quid moraris? Nam aut exhibeas nobis Verrutium necesse est, aut te esse Verrutium fateare. Laudabantur oratores veteres, Crassi illi et Antonii, quod crimina diluere dilucide, quod copiose reorum causas defendere solerent. Nimirum illi non ingenio solum his patronis, sed fortuna etiam praestiterunt. Nemo enim tunc ita peccabat, ut defensioni locum non relinqueret; nemo ita vivebat, ut nulla eius vitae pars summae turpitudinis esset expers; nemo ita in manifesto peccatu tenebatur, ut, quum impudens fuisset in facto, tum impudentior videretur, si negaret.

LXXIX. Nunc vero quid faciat Hortensius? avaritiaene crimina frugalitatis laudibus deprecetur? At hominem flagitiosissimum, libidinosissimum, nequissimumque defendit. An ab hac eius infamia, nequitia, vestros animos in aliam partem, fortitudinis commemoratione, traducat? At homo inertior, ignavior, magis vir inter mulieres, impura inter viros mulier-

Laudabantur) Sic Ern. Vulgo in omnibus libris *laudantur.*

Defendere solerent) *Solerent* Gruterus e cod. Fabr. et Met. recepit pro vulg. *solebant.*

Infamia, nequitia) Gulielm. coni. *infami nequitia.* Holom. Manul. *infamia nequitiae.*

Impura inter viros muliercula) Sic Lambin. At Grut. Graev. et seqq. e

cula proferri non potest. At mores commodi. Quis contumacior? quis inhumanior? quis superbior? at haec sine cuiusquam malo. Quis acerbior? quis insidiosior? quis crudelior unquam fuit? In hoc homine, atque in eiusmodi causa quid facerent omnes Crassi et Antonii? Tantum, opinor, Hortensi; ad hanc causam non accederent, ne in alterius impudentia sui pudoris existimationem amitterent. Liberi enim ad causas solutique veniebant, neque committebant, ut si impudentes in defendendo esse noluissent, ingrati in deserendo existimarentur.

codd. Pall. Met. Franc. ediderunt: *magis vir inter mulieres, impura inter viros muliercula.* Codd. Nann. *magis vir inter mulieres, quam inter viros muliercula.* Manut. *Magis vir inter mulieres nequam, impura etc.* Lambini lectionem, quia ad sensum et ad concinnitatem aptissima est, revocavi.

Ad hanc causam) Ern. auctoritate cod. Met. edidit *ad causam.*

Neque committebant) Non committebant id, quod commisit Hortensius, qui, si defendit Verrem, impudens est; si deserit, quum ab eo beneficia multa acceperit, ingratus existimabitur. MANVT. Sphingem Hortensio a Verre datam, notum est omnibus mediocriter quidem eruditis. Plinius lib. XXXIV Ciceronis dictum in Hortensium commemorat. *Quum, inquit, orta in Verris iudicio altercatione, Hortensius diceret, Ciceronis se aenigmata non intelligere: respondit debere, quoniam Sphingem domi haberet.* Quintilianus lib. VI his verbis: *Ex historia etiam ducere urbanitatem, eruditum; ut Cicero fecit, quum ei testem in iudicio Verris roganti dixisset Hortensius, Non intelligo haec aenigmata: Atqui debes, inquit, quum Sphingem domi habeas. Acceperat autem ille a Verre Sphingem aeneam magnae pecuniae.* Et idem tradit Plutarchus in vita Ciceronis, et Apophtegm. HOTOM.

Ingrati) Figit Hortensium ob dona a Verre defensionis nomine accepta.

LECTIONES VARIAE

ET ANIMADVERSIONES

IN ASCONIVM PEDIANVM
ET ANONYMVM VETEREM INTERPRETEM

LECTIONES VARIAE

ET ANIMADVERSIONES

IN ASCONII PEDIANI ET ANONYMI VETERIS INTERPRETIS SCHOLIA IN CICERONEM

IN ORATIONEM PRO ROSCIO AMERINO.

(1) Insolenter dictum, pro: *paulo post idem argumentum copiosius pertractat.*

(2) Aeneid. I, 151.

(3) Sic I. Fr. Gronov. In MS. male *Antiptosis.*

(4) Transposui hoc adverbium. In MS. *tamen omnimodo frater est cui praestandum est.*

(5) In MS. male abest negatio.

(6) Male in MS. repetitum *maxime.*

(7) Ita correxi scripturam in MS. depravatam, ubi erat: *qua libertinum hominem interposita f. p. nomina gloriantur.*

(8) Ita correxit Graev. In MS. est *laudem iudicum.*

(9) Scribere debebat Scholiastes: *Scimus a Sulla senatum electum esse.* Saepe sic vitiose ponit particulam *quia*, ubi aut *quod*, aut accusativus cum infinitivo ponendus erat. Semel hoc monuisse sufficiat.

(10) Aeneid. I, 519.

(11) Vocis inclusa in MS. omissa.

(11) Sic correxit I. Fr. Gronov. In MS. erat *nulla f. peccata.*

(12) Verbum *dimisso* in hoc orationis pro Roscio Am. capite plane non occurrit. Itaque haec Scholiastae notatio aliunde huc translata sit necesse est.

(13) Hoc prorsus absurdum et ridiculum est, ut facile Scholiastae ingenium intelligas.

(14) Prima interpretatio vera; altera inepta.

(15) Ita correxi locum in MS. sic depravatum: *vel argumentum et facultatem non potuisse.*

(16) In MS. *immissum — occideret.*

(17) Ita I. F. Gronov. In MS. *ut derogetur.*

(18) Ita rescripsi quo *quaestum*, quod est in MS.

(19) Sic I. Fr. Gronov. emendavit. In MS. *potentibus.*

(20) Sensus poscebat *quae potius voluptati quam poenae esset.*

(21) In MS. *nam praefuit.*

(22) Sic I. F. Gronov. In MS. *non tamen.*

(23) Sic emendavi vitiosam cod. MS. scripturam *studio agendi.*

(24) In MS. abest *peritus.*

(25) Hoc Cicero non dixit. Ait tantum Erucium in artificio accusatorio non callidiorem, quam Roscium in suo.

(26) Ridicule aberravit a sensu Scholiastes. Non Chrysogono illo loco aliquid praecipitur; sed Cicero hoc dicit: *etsi Roscius magna est intelligentia in rebus rusticis, tamen quoniam ei Chrysogonus omnia praedia abstulit, artificium illud obliviscatur et studium deponat licebit.*

(27) In MS. sine sensu: *apud antiquos ante dabant ruri aliquos sic militiae.*

(28) Sic correxit Graev. In MS. *causator.*

(29) In MS. *vicius.*

(30) Vocis inclusa sensus causa inserui.

(31) At h. l. non de literis in indicum tabellis, sed de litera *K* calomniatorum frontibus inusta agitur.

(32) Immo contrarium Cicero dixit « crura quidem vobis nemo suffringet ».

(33) In MS. est *privata — Quintiana.*

(34) In MS. *tamen.*

(35) Orat. cap. 30.

(36) F. *enodavit.*

(37) In MS. vitiose sic legitur *accusatores non apud Servilium lacum caesos.*

(38) In MS. *vitium.*

(39) Inepta nominis notatio.

(40) In MS. *imprudentiae.*

(41) In mentem Ciceroni non venit Roscium Achillem dicere; sed Glauciam tantum, quem paulo post *volucrem nuntium appellat*, iocose Automedontem nominat, ob celeritatem illius nocturni cursus.

(42) Vitiosa omissione aliquot verborum legitur in MS. *in iudicio non diceret.*

(43) In MS. *venit — induxit.*

(44) Graevius coni. παρωνύχιον. Et sic aliquis in margine cod. Vosc. adscripserat. Scholiastes tamen potuit *panaritium* pro *reduvia* dicere. Sic Apulei. de virtutibus berbar. c. 43. Nostri medici graviorem digitorum morbum hoc nomine appellant.

(45) Tres notae sequentes ostendunt Scholiastem codicem habuisse orationis pro Roscio Amer. in quo nondum esset illa lacuna quae in nostris MSS. est post c. 43.

(46) Legendum, *metuit.*

(47) Haec mendosa sunt nec facile corrigenda.

(48) Sic emendavit Graev. In MS. ridiculo vitio *compendium portat.*

(49) Errat Scholiastes. Cicero dicit pro sua parte, quam dicit tenuem et infirmam.

(50) Ita Graev. In MS. *sin autem ductum.*

IN DIVINATIONEM IN Q. CAECILIVM.

(1) Sic recte emend. Gronov. Vulgo *in quibus Marcellus a Marcello ortus.*
(2) Eun. II, 3, 18.
(3) Vulgo additur *mortuorum*, quod recte delendum censuit Lipsius ad Tacit. Hist. IV, 53.
(4) Nempe quia additur *funditus eversae.*
(5) Eundem qui vulgo *Stalenus* appellatur, de quo vid. Verr. II, 32; Cluent. 7.
(6) Sine dubio Scholiastes aut scripsit, aut scribere voluit: *audit enim non accusatorum negligentia, sed iudicum gratia reos absolvi.*
(7) Vulgo additur *militaris*, quod eiiciendum esse vidit Popma. Idem pro eo substituendum censebat *XL annos.*
(8) Adelph. 3, 4, 55.
(9) Verr. Act. I, c. 28.
(10) Recte sic I. F. Gronovius emendavit. In MS. *tribus plebis.*
(11) Ex Ciceronis verbis haud effici potest eum h. l. de tribunis aerariis cogitasse; etsi hoc anno L. Aurelius Cotta legem iudiciariam tulit, qua perlata iudicarunt Senatores, Equites et e plebe tribuni aerarii.
(12) Sic Hotomannus. Vulgo abest *absentis.*
(13) Popm. coni. *Terentius Varro consobrinus frater Hortensii*, quia in MS. erat *frater huic censi.*
(14) Vulgo *scribuntur.* Locus est Orat. III, 61.
(15) Erravit Asconius; non enim hic erat locus ista explicandi.
(16) Act. III, sc. 1, v. 66.
(17) Sic est in MS. atque ita videtur Asconius legisse; quod ex eius interpretatione colligitur.
(18) Vulgo in Virgilii edd. legitur *interluit Allia.*
(19) Vulgo hic addebantur ista: *causis eiusmodi soliti, aderant autem his rebus moratores apti talibus negotiis.* Ea aliunde huc temere translata esse iam alii viderunt.
(20) Sic Graev. e MS. Vulgo *chartarum.*
(21) Verr. Act. II, lib. 2, 3.
(22) Vulgo abest *mali.*
(23) Altera interpretatio inepta. Prior unice vera.
(24) Legendum videtur: *quibus p. s. non permissum fuit.*
(25) Erravit Asconius. Nam P. Lentulus Sura erat illius Lentuli, qui princeps senatus fuit, nepos non filius.

IN ACTIONEM I IN VERREM.

(1) Fortasse scripsit auctor *Gallia.*
(2) Vocis inclusa Menardus recte iudicat ob aliena manu inserta.
(3) Sic legit Anonymus. Praestat autem lectio vulgata *rapuisse.*

(4) Vulgo corrupte *non finitur sed reversione.*

(5) Sic emendavit Graevius. Vulgo *plerumque.*

(6) Vulgo mendose *ex praetore Achaicae.*

(7) Legendum *non amittit quod quumque habet;* vel aliud eiusdem sensus.

(8) Fortasse scripserat Schol. *profanis.*

(9) Haec prorsus corrupta sunt. I. F. Gronovius coni. *istius vitam, privatam ante honores adipiscendos:* ut referatur haec notatio ad superiora Ciceronis.

(10) Vulgo abest *contra.*

(11) Vulgo corrupte προσχύρωσιν est addictio.

(12) Vulgo *civile.*

(13) Ita correxi vulg. *suscipit prs.*

(14) Immo potius quarum ad usum belli et mercaturae maxima erat opportunitas.

(15) I. e. in *actis s. in Actis*, quae significatio voc. *officii* passim occurrit in Digestis.

(16) I. e. inter multos, qui aderant, iudices, bi nominum distribuebantur.

(17) Fortasse scripserat *animum hilarem;* aut *voluptatem sinceram.* Certe ut nunc est, *laetus* haud satis distinguitur ab alacri.

(18) Vulgo *atqui si ex Hortensia amicus erat et Verri magis gratulari — — — ostendit erga nihil ab hoc de omni Verris absolutione cogitare — posicus contemnebat.* In his quae mendosa erant bene correxit Graevius.

(19) Vulgo corrupte: *ecquis quaerat auctorem de multis cognatum dicit.*

(20) Ita legisse videtur Ascon. pro vulg. *illis ipsis diebus;* quod tamen bene se habet. Supra enim dixerat Cicero *his diebus paucis.* Nunc variat locutionem.

(21) Scribere Asconius debebat: *Sextilis*, nondum enim huic mensi nomen *Augusti* erat.

(22) Mirum est Asconium ignorasse *divisores* proprie esse diribitores tabellarum in comitiis, quarum deinde opera utebantur ii, qui pecunia corrumpere cives vellent vel ad obtinenda suffragia vel ad certos candidatos magistratu quem peterent deiiciendos.

(23) Nimirum eo pertinet *praetariis comitiis;* quod autem etiam ait *se proximis consularibus comitiis eos liberaliter tractasse*, intelligitur pecunia data, ut Hortensio amico suo ac patrono consulatum conciliarent in proximum annum.

(24) Fortasse legendum *illigatus in loco intelligitur.*

(25) Nempe *designatum.*

(26) Immo potius, ut Gronovius obss. IV, 1, vidit, quod illae iam iure, hoc est, legitima ordine, non classium modo, sed ipsarum etiam centuriarum, qua in censorum quive censum egeraut tabulis descriptae essent, non sorte praelatae postpositaeve ad suffragium ferendum citarentur.

(27) Vulgo additur *bis*, inepte, quod vidit Menardus.

(28) Ita rescripsi sensus causa. Vulg. *noluerit.*

(28 *bis*) Erravit Scholiastes; quod hic de quaestoribus dicit, de tribunis plebis dicendum erat. (*Omissa est sua loco, me invito, nota numerica, quae ad hanc animadversionem lectorem ablegaret.* Typ. T.)

(29) Ludos votivos Pompeius facturus erat, ob bellum Sartorianum ab eo confectum.

(30) Immo potius viginti.

(31) Ridicula interpretatio. *Auctoritates* sunt testimonia sive publica sive privata, quorum *auctoritate* aliquid probatur. Eae hic opponuntur *literis s. tabulis*.

(32) Ineptissimum hoc est Asconii commentum, quasi Cicero dixisset, se, ut aediles solebant munera populo dare, et feras bestias, quae in Circo depugnarent producere, sic in aedilitate sua Verrem, tanquam porcum masculum muneri loco editurum. Ceterum pro vulg. *bestiae* scripsi *bestiam*.

(33) Aut prorsus erravit Asconius, si dixit *ad urbem* esse i. q. *in urbe*: aut *in urbe* interpolatori tribuenda sunt. Certum est enim qui ex provincia cum imperio rediissent urbem ingredi haud potuisse, nisi imperium deponerent. Itaque qui triumphum sperabant ibi decretum iri, *ad urbem*, i. e. *ante urbem* manebant cum lictoribus et fascibus, donec triumphantes urbem ingrederentur, triumphoque peracto imperium deponerent.

(34) Scil. *iudices* quod vocabulum hic forsan excidit.

IN ACTIONIS SECVNDAE LIBRVM PRIMVM.

(1) Forsan leg. *iocular iter*.

(2) Sic MS Graev. Vulgo *eloquentia*.

(3) Altera haec interpretatio b. l. non est admittenda.

(4) Nullus hic est ad aedilitatem respectus. Nihil aliud ait orator, quam se iam ad id crimen accedere quo libertatis et iura civitatis Verres infregisse arguatur, de quo iudicium sit penes populum.

(5) Sic MS. Vulgo *Ramnensis*.

(6) Scil. *sortitio*.

(7) Hic laborat constructio. Fortasse scripserat Asconius: *aliis dederunt dies XX*, *aliis pauciores*, *aliis plures*.

(8) Vncis inclusa e MS. Graevii accesserunt, sed hic ibi correcta.

(9) Vtrumque falsum: Alius enim est Dolabella, quem Caesar accusavit: et iam supra ad Divinationem in Caecilium c. 7 Asconius utrumque confudit. Hunc Dolabellam autem Ciliciae praetorem a M. Scauro accusatum esse diserte dicit Cicero Act. 1 in Ver. c. 39, ad quem locum ipsis illis quae Asconius paulo ante de accusatore Dolabellae narravit respicitur, ut vix credam ista verba *inimicos —potuit* Asconii esse.

(10) Hoc ineptissimum est. *Miser* dicitur Dolabella, quod damnatus est repetundarum neque in altero loco Ciceronis *miser* innocentem significat.

(11) Ita correxi mendosam lectionem *ne levius fieret hoc non erit* AATOΣ *induceretur*.

(12) Sic legit Asconius. At *sub divo* habent edd. vett. Victor Grut. Graev. Ern. et MSS. Pall. Cuiac. Vtrumque usitatum esse Varro confirmat.

(13) Vulgo *quam temporibus id est sibi* etc.

(14) Vulgo *ex aerario*, vitiose.

(15) In MS. est *trieris* et postea *quatrieris*. Illud Graevius probat quia putat Asconium ostendere velle unde *trierarchus* dicatur, nempe a τριήρης.

At potius rem explicare vult Asconius non veri verbum afferre. Ceterum haec Asconii nota in cdd. ponitur ad finem capite XIX, ut iam eius tempore transpositio verborum *qua de re non ad se pertinere* facta esse videatur.

(16) Ita correxi vulg. *bellum*.

(17) Hoc nihil facit ad rem, qua de agitur. Et fortasse haec nota aliunde huc translata est.

(18) Ita lectionem constituit Graev. Vulgo: *quia licet negotiari equitibus et privatis*; in MS. Graev. *non licet*. Et Manut. habet *magistratibus* pro *equitibus*.

(19) Legendum videtur: *et hoc magistratui romano non licet*.

(20) Vulgo edebatur: *quot signa apud eum nulla emptionis origine furto capta nascantur*. In MS. Graev. erat *nulla origo iure furto*. Inde legendum esse vidit Graevius *nullo emptionis iure*.

(21) Errat Asconius. De M. Antonio oratore opinio erat hominum quorundam falsa eum tabulas non conficere; quod disertis verbis in eius persona Cicero scribit de Orat. II, c. 23. Hic autem, quem Asconius dicit, Antonius erat illius Antonii oratoris filius.

(22) Non dicit Cicero bonum esse aliquem tabulas nunquam confecisse; sed potius ait minime probandum esse. Hoc vero significat non prorsus inauditum ac novum esse, aliquem tabulas haud conficere.

(23) M. Terentius Varro Lucullus et C. Cassius Varus coss. fuerunt A. V. C. 680, tribus annis ante Verris accusationem, quae incidit in A. 683.

(24) Fortasse hic *potitant* scripserat Asconius, et paulo post *quasi saepe potent*, aut nescio quod frequentativum *posco* sibi finxit; quasi saepe peto.

(25) « *Accensi* olim in militia romana erat genus militum inermium, tantum funda et lapidibus hostem impetentium, ut ex iis in demortuorum militum locum alii subrogarentur et supplerent defectum legionum. Dicebantur alio nomine *adscriptitii*. Vide Festum. Illorum meminit Liv. lib. VIII, Plautus et Varro. Ista manus erat separata et habebat suum vexillum; sed Ciceronis et Varronis tempore nulli tales accensi supererant in militia romana. Sed *accensi* tum erant ministratores consulum et praetorum, ut Varro lib. VI de L. L. docet, qui sequebantur castra, ut res iis necessarias administrarent. Hi non constituebant manum singularem, quae suum habebat vexillum. Quin et decuriones et centuriones habebant suos accensos, ut constat ex Varronis loco apud Nonium. In veteribus etiam inscriptionibus mentio exstat: *Accensus Consuli*. Non dicitur *consulis accensus*, sed *accensus consuli*; ut hic apud Ciceronem *accensus Neroni*. Etiam monumenta post Augustum vetera horum accensorum habent mentionem. Et ille ipse, qui in veteri inscriptione fuisse dicitur *accensus consuli*, etiam *Augustalis* appellatur. Cl. Salmasius de re militari romanorum c. 14, ubi vide plura. Et Asconius et alii viri docti confundunt *accensos* veteris militiae, in quorum locum postea velites successerunt, cum his consulum praetorum centurionum ministris, quum tamen sint diversissimi ». Graev. ad h. l.

(26) Sic Hotomannus emendavit vulg. *quum de magistratu dicat, non legato*. In MS. Graevii aberat *non legato*. Quae lectio si vera est, intelligendum, quum de magistratu dicat, qui dicitur quidem legatus, non est autem legatus prodire sic dictus. Hoc certum est, Asconium hic distinguere velle praetorum legatum, qualis erat Verres, a legato foederum aut belli pacisque causa misso.

(27) *Oratorie* — *dixit* Graevius e MS. inseruit, in quibus tamen mendose scriptum erat *oratore*. (*Haec dum lego, memini, male suo loco haec verba me distinxisse, semicolon* (;) *post* oratorie *reponendo, quod ante scribi debuit.* Typ. T.)

(28) Hotomannus recte animadvertit, tempora reliqua quadringenta intelligere videri Asconium, et eorum rationem relatam; quod tamen sibi non sit verisimile. Sed Ciceronem ex eo furti suspicionem facere, quod Verres tam apte quadrantes et perfectas habent acceptorum et expensorum summas.

(29) Mirum potius est hoc mirari Asconium. Saepius sic dicitur *commune* apud Ciceronem, ut Graece τὸ κοινόν.

(30) Non reprehenditur Scaurus adolescens; fecisse potius dicitur perite et callide. Cicero tamen negat se callidam eius rationem in accusando adhibuisse, quia malit in sua persona defensorem (Siculorum) quam accusatorem (Verris) laudari.

(31) Nimia argutatur Asconius in loco Ciceronis exponendo. Melius Ernestius: « Respicit ad morem magistratuum auspicandi extra pomoerium in tentorio; qui auspicium exspectantes, quum vocem avis faustae audissent, surgebant statim, et abibant extemplo. Hoc erat *auspicato surgere* ». Festive igitur ludit Cicero in nomine Chelidonis; significatque Verrem ex eius lectulo surrexisse, quasi hirundine visa aut audita auspicium fecerct.

(32) Hanc Asconii h. l. interpretationem prorsus falsam esse Perizonius docuit in diss. de lege Voconia.

(33) Ne hoc quidem satis est ad locum Ciceronis explanandum. Sed quia lege Voconia sancitum erat, ut qui post A. Postumium et Q. Fulvium censores census esset, ne heredem virginem neve mulierem faceret, Ciceronis aetate multi hanc legem sic eludebant, ut apud censores nomina et facultates haud profiterentur, ideoque, quia incensi essent, illa lege se teneri negarent.

(34) MS. Graev. *superiorem*.

(35) Hic quoque erravit Asconius. Alia fuit legis Voconiae vis, quam supra exposuimus.

(36) Leges a L. Cornelio Sulla latae contra testamentorum subiectores et eos qui nummos adulterinos cuderent.

(37) *Lex Atinia*, a tribuno quodam plebis *Atinio* lata de rebus furto ablatis usu haud capiendis: *lex Furia* s. *Fusia* (nam idem est nomen) lata a *C. Fusio* s. *Furio*, ut ne liceret plus quam mille asses legati nomine capere.

(38) Rectius Manutius: « feminae antequam nuberent, mares ante annum XVI toga praetexta utebantur ».

(39) Errasse Asconium iam Hotomannus monuit. Est enim *non* hic interrogative capiendum.

(40) *Edictum* igitur *tralatitium* erat id quod praetor ex superiorum praetorum edictis transtulerat in suum.

(41) Quod sibi hoc velit, aut cur adnotatum sit, non assequor. Aliunde huc translatum videtur.

(42) Vulgo editur *intertrimentum non ad unius partis spectat, sed dantis et accipientis*. Ceterum saepius *intertrimentum* ponitur pro *iactura* sine respectu ad duas negotium aliquod conficientium partes.

(43) Mira definitio perpendiculi.

(44) Scil. non posse exigi ad perpendiculum.

(45) Gronov. conj. *occurrit*.

IN ACTIONIS SECVNDAE LIBRVM SECVNDVM.

(1) Vulgo absurde *an quia divinabat.* Necessario addenda erat negandi particula. Nannius vulgatam ita corrigebat: *an quia divinabat Arrium sibi successurum, non per triennium* etc. minus commode.

(2) Nulla hic est allusio ad Chelidonis nomen. Alia ratio est festivae narrationis Verr. I, 40.

(3) Sic melius fortasse. Vulgo *et quis* est in edd. Cic.

(4) Corruptus est hic locus.

INDEX ORATIONVM

QVAE

IN HOC QVARTO CICERONIS VOLVMINE

CONTINENTVR.

VOLVMINIS QVARTI FINIS.